Staatsbibliothek zu Berlin
Preußischer Kulturbesitz

0/012
1-08
II-1561

PAVLI IOVII

HISTORIARVM

I

Universidad de Sevilla
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca
3-6634

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum sui temporis

TOMVS PRIMVS.

Accessit rerum Turcicarum Commentarius eiusdem Iouij ad finem operis, ex Italico Latinus factus.

Indicem præterea rerum ac verborum memorabilium copiosissimum singulis tomis adiecimus.



LVGDVNI,
APVD HAERED. SEB. GRYPHII,
1561.

Del Coll. de la Compa. de Jhs (alatayud

ANDREAS ALCIATVS PAVLO IOVIO S. D. P.

EX LITERIS tuis tertio Calen. Septembris Romæ datis, tuam erga me beneuolentiam mirificè confirmatam perspexi, quum rationum tuarum, & suscepti consilij decretum benignè communices. Scribis enim te graui iniuria permotum, Vrbe (quod nunquam fieri posse putaram) propediem excessurum, ne diutius acceptæ contumeliæ deformis testis in ea aula spectetur, in qua per multos annos (vti mihi videtur) cùm aureæ mediocritatis bonis planè beatus, tum studiorum tuorum authoritate clarus hactenus fuisti. Mirum profectò videri potest, quòd tibi doctrinæ ac ætatis honore maiora promerito in petitione Pontificatus patriæ tuæ Paulus Pontifex quendam prætulerit. At quem hominem? qui Comi neque natus, neque vnquam visus sit, & qui (sicut

à multis audio) ex arcanis cubiculi sordibus in lucem repentè sit productus. Quis in hoc Pontificem ἀμώμητον non iudicet? Non enim hostis bonarum literarum & planè ferreus esse non potest, qui te grauissimarum rerum scriptorem intempestiuè contempserit. Hinc est vt arbitrer (contrà ac rebar) eum non putare sua interesse, quid de ipso hinc ad sexcentos annos (vt Ciceronis verbo vtar) historia loquantur. Qua in re Carolum Cæsarem Pontifice ab æquitate iudicij sapientiorem existimare fas est, qui competitorem tuum cum multa inuidia antistitem renunciatum, sacerdotij possessione indignum censeat. Ego verò te hac offensiuncula multò beatiorem factũ esse puto, quòd tui ordinis personam, hoc est, non insulsi philosophi, desumpsisti, vt te diu seruum honestissimo commeatus nomine, tandem in libertatem vendicares. Quid enim tibi Dij aut Fortuna, quæ cuncta iure suo sibi vendicat, melius atque præstantius tribuere potuerunt quàm vt mentem darent, qua opportunè tibi sapere ostenderes? Effregisti nanque ergastulum, & fortiter compedes exuisti, vt liber exiliens apud Larium Musæumque tuum, literati otij tranquillitate frueretur. Nunquam profectò vel podagra tentatus senex, tibi rudo donandus esse videbare, nisi te hærentem ambitiosius quàm

quàm philosophum deceret, & diu reslitantem, eludens Fortuna illinc abstraxisset. Sed dices te indignè deceptum ab inueterati astus sene principe, qui blandis promissis vota tua honestè concepta iniquè fefellerit. Qua in re mihi gratulor, quòd ab eo me decipi non sim passus, quum me, vti scis, magnis propositis præmijs Ticino, Ferraria, atque Bononia in Vrbem accerseret. Tum enim ex iure meo magis cautus fui, quàm tu ex sapientia præceptis prudens philosophus. Cur enim pro inani aut incerta spe purpura, hos tantos primi suggestus honores relinquerem? opinionis præsertim firmatos stipendijs. Cur has tantas contemnerem circumfusæ iuuentutis salutationes: & hanc denique tot consultoribus ianuam pulsantibus, existimationem magno lucro, & non obscura cum laude quæsitam, ineptè stultèque desererem? Quandoquidem nemo commodè se vixisse tesletur, cum in aliena terra degens, mortem à suis desertus, & miser erpetlet, vt eius tota supellex, ab alieno inopinatóque hærede rapiatur. Quod verò historia tua volumen COSMO Principi dicatum Florentiam deferas, vt chalcographo tradatur, magnopere laudo probóque. Nam incomparabilis oblectationis munus cunctis propè gentibus sic imparties, vt gloria tua incunabulis interfuturus

videare, si qua tamen euenire potest ante fa-
ta meritum ingenui laboris fructum expectan-
ti. In hac causa, quæ multos vitiligatores ha-
bitura sit, video te cautissimè præmunitum,
quando ante omnia longè optimum patronum
delegeris. Est enim COSMVS inter huius
ætatis Principes, stabili ingenio sibi constans,
sine vllo fuco veræ laudis appetens, & gloriæ
maiorum suorum grauis æmulator. Propter
quas dotes, ego iampridem honorario, vt iu-
risconsulti vocant, inuitatus ad profitendum
Pisano in gymnasio ad eum iturus eram, nisi
inclementis cæli oram timidius fortasse quam
oporteret, reformidassem. Quod verò ad ele-
gantiam dignitatemque voluminis multum
pertinet, Etrusci præli typos Venetis & Ger-
manicis antepono: sic enim oculos meos dele-
ctant, vt minimè fatigent. Hac nanque æsta-
te librum Florentiæ excusum, quem de Vita
& rebus gestis insignium virorum edidisti,
multa cum voluptate percucurri: scis quam
auidus sim librorum helluo, & tum maximè
quum nouitas excitat palatum. In his libris
quod mei iudicij est, solidum dicendi genus, pla-
néque robustum. & verè tuum agnoui, & id
non sine erudito lepore, quo te prorsus Plutar-
cho Græco æquauerim. Sed te incursurum pro-
uideo in quosdam criticos malignè curiosos,

qui te castra esse historias tuas dicant, vt vi-
tas per se graciles, alieno adipe suffarcires,
quod et mihi accidit. Nam ex libris meis præ-
termissorum, Dissunctionumque & Paradoxo-
rum, integras medullas in Parerga me con-
tulisse prædicabant. Quibus vno Martialis ver-
siculo respondebam, nihil ad eos pertinere, de
cute quid faciat ille, vel ille sua. Superbi enim
ac impudentis præscripti res est, quum quis
sua re, vt libet, bono iure vti vetetur. Quod
enim flagitium esse potest, siquis ex sua lacti-
nia sagum conficiat? Quantum autem ad Hi-
storiam pertinet, de his te amicè admonebo,
de quibus coram, te expetente disputauimus,
quum fortè Mediolani cum Sfondrato et Val-
terio eruditis senatoribus apud Bonromeum
antistitem cœnassemus. Tum enim multa me
dixisse recolo de toto elocutionis genere, quo
mediam, vti reor, inter antiquos & vete-
res scriptores laudem assequebare: Quando
perlectis aliquot historiæ tuæ libris, reliqua
etiam variarum descriptionum ornamenta
commendarētur. Id autem à te præcipuè de-
siderabam, vt ad illud quod Græci μέσον
vocant, non absurdè responderes. Sicuti in
ea oratione animaduertebam, quæ à Mar-
conio gregario milite, ad legiones iam pla-
nè consternatas, & ad seditionem spectan-

tes habebatur, quum Solymano Pannonia finibus excedente, Carolus Cæsar Vienna profectus in Italiam rediret. In ea siquidem concione omnes artis neruos numerósque ita expressisti, vt ille Marconius nequaquam ab aratro Volaterrani agri ad signa vocatus sed ex schola Ciceronis, & Hermogenis ad suggestum raptus esse videatur, quum passim exacta eloquentia schemata interniteant, quæ peroranti turbam parere coegerint. De hoc verò & multis similibus, qui tibi sapis rectè consules. In verborum autem delectu noui mores, noua arma, nouáque castrensium præsertim rerum vocabula, te satis excusabunt, si cum præfatione, & parcè quidem illis vtare. Idcirco quosdam infœcundos, & qui vix dum subodorati literas cuncta passim condemnant facilè contemnes. Hi enim, vt in Adagio est, Ad ἀνίδυ ὄνου steriliores euadunt, quando sua non proferant, & aliena odiosè iudicent. hos nanque illos esse puto, quos tu in Academiam Romanam vltro nomen dantes, vrbano sale Eunuchos appellare soles. serotinis vtique cucurbitis similes, quæ nunquam maturescente semine, ante medium autumnum siccatæ & iactatæ vento, cum sonitu inanes decidunt. Illi porrò qui rerum & locorum notitia gaudent, nec affectatas exornationes admit

admittunt, non reposcent à te rationem, cur lacteam Liuij vbertatem non sis assecutus: post quàm & te omnino piguerit Sallustij sobrietatem imitari, & satis tibi fuerit pauculos tãtùm flores ex Q. Curtij pratis sæpius quàm ex Cor. Taciti sentibetis, arguta manu decerpsisse. Quandoquidem C. Cæsar ipse, vt video, a purissimo opere suo, reiectis styli bracteolis, modum contexendæ, aptisque periodis terminandæ orationis, tibi accurato & perspicaci dissimulanter ostenderit. Cæterum nos omnes supra totum Historiæ munus, quod inæstimabile censeri potest, hoc vno tibi si ingrati esse nolumus, plurimum debere fatebimur, quòd ad singularem legentium vtilitatem per totum ferè terrarum orbem, Prouincijs, Vrbibus, Fluuijs, atque Insulis, antiqua nomina, aut corrupta auo, aut penitus extincta reddideris. Verùm de his disertius atque iocundius agemus, quum te in Musæo complectar, ad quod iam me inuitas propediem ex Ticino secessurum in Buccinascum meum. Inde enim per Alciatem gentilium meorum pagum, tribus horis vel segni mulæ vectus ad te peruenire possum. Tum vnà piscabimur, & hercle vtriq; nostrum pedibus agro, commodius erit nauiculis, quàm mulabus vehi. Tum molliores locos seremus, licebitq; mihi tot imagines cla-

rorum Virorum collustranti, me ipsum aliquanto, quàm sim facie formosiorem intueri. Nam, vt audio, me inter Erasmum, atque Budæum æterni nominis Viros, medium collocasti: sic vt Vius inter bonos mortuos honoris causa spectet. quod vni M. Varroni in Augusti Bibliotheca contigit. Vale Datum Ticini Non. Octobris.

M. D. XLIX.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini in libros historiarum sui temporis

PRAEFATIO.

AD COSMVM MEDICEM Reipublicæ Florentinæ Principem.

MAGNOS profectò & longè honestissimos optimorum studiorum fructus, Magnanime Cosme, illi ante alios in hac vita cepisse existimantur, qui omnes ingenij facultates in id maximè opus sanctissimo fine proposito contulerunt, quo & prodesse bonis mortalibus ingenuo labore possent, & sui memoriam præclaro literarum testimonio posteris commendare niterentur. Quando in hac vita, quam natura

natura incertis breuis æui angustiis humano generi præscripsit, nihil beatius esse potest, quàm nominis famam immortalibus inuicti animi monumẽtis, ad non incertã spem sempiternæ laudis exrendisse. Hæc opinione ab ipsa statim adolescentia imbutus, & post aliquot annos magis ac magis non ignobili ratione confirmatus, impellente Genio, conscribendæ historiæ negotium suscepi. Quum animus in philosophiæ & medicinæ studiis Romæ docendo agẽdóque certiore aliquãto quæstu quàm gloria versaretur, ad idque me laudis & famæ cupidum vehementer incitarent nostræ tempestatis res bello gestæ, quę ab aduentu Caroli Octaui Gallię regis in Italiam propter varietatẽ & magnitudinem tot pręliorũ & casuum, vberrimam ingenijs materiam præbere videbantur. Sperabam enim hunc laborem meum quadam ingenij liberalitate spõte susceptum, multò vtiliorem atque iocundiorem posteris futurum, quàm si earum artium præcepta nouis commentariis locupletare cõtendissem. In hoc itaque nobile decretum pertinaci studio omnes ingenij neruos contendenti, ita boni euentus numen affulsit, vt qui res gestas nostri

seculi conscribere (quod vel grauissimis, atque doctissimis viris arduũ semper fuit) ausus sim: absoluto tandẽ opere id in publicum edere non dubitẽ, magno hercle incorruptę veritatis argumẽto: Quando-quidem plerique eorũ, qui hæc bello paceq; gesserunt, adhuc viuant, ac idcirco graui existimationis meæ cum periculo mentientẽ refellere possint. Sed, vt planè reor, factiosi & tetro liuore cõtaminata ingenia occurrent, quæ vel rectè & fideliter scripta sæuo dente cõmordeãt, vbi aliquid paulò diuersius ab eo, quod audierint, aut certè rudius & licentiosius dictũ (id ad delicatos attinet) offenderint: sic vt nimis atrox & planè miserũ scriptori videatur pro summæ vtilitatis, & iocundæ oblectationis beneficio, vbi gratiã speret agrestis inuidiæ & diræ malignitatis contumeliã referre. Verùm hæc ciuili animo ita contẽpserim, vt Marcellini, Spartiani, & Pollionis collatione me consoler, qui contra Gothorũ rabiẽ, & vetustatis iniuriã, nullo subnixi impressoriæ artis præsidio, quo iã planè literæ ab interitu vindicantur: hactenus vixerũt, & vti arbitror, diu etiã viuẽt. Tãtus enim est honos historiæ, vt vel ineptè scripta, non insulsos homines

mines magnopere delectet. Neque adeò sum impudens, vt procaci æmulatione ad Cęsaris atque Sallustij & Liuij decus aspirem. Huius verò seculi scriptoribus, neq; me cõparo, neque cõparari velim, quum plerique eorũ nequaquã tantã, vti nos, locorũ, rerũ, atq; hominũ notitiã, aut opulentioré vigentis memoriæ thesaurum, quem cælo datũ, & figuratis sedium artificiis diligenter adauctũ fatemur, ad scribẽdum attulerint: nec in ea luce domicilij totius orbis, Vaticanæq; aulæ, vbi per triginta septẽ annos multa opportunaq; didicerim, versati sint: vt hîc omittãtur optimarũ disciplinarũ præsidia, quibus non obscurè muniti sumus. Maximorũ autem regũ atque pontificũ, insigniumq; bello ducum familiaritatẽ ac amicitiã promeriti, ex eorũ ore hæc hausimus, quę amore, vel odio nusquã distracti, fideli literarũ memoriæ mãdauimus. Ad id quoque explendũ munus mirificè me adiuuit principes dominos in prouincias ad bella secutũ, castra, acies, prælia, expugnationes vrbiũ, cãpos in victoria cadaueribus stratos, admirandaq; obiter vtriusque Fortunæ militaris exẽpla spectauisse. Cæterùm hoc qualecunque est opus, si non felici ingenuo certè labore, ad spem promerẽdæ saltem apud posteros honestæ laudis susceptũ, tibi iure optimo dicamus: vel ob id præcipuè, quòd læto quodam auspicio aspirante Leone, in maiorũ tuorũ domo, quæ præcellentiũ artium celebre domicilium semper fuit, inchoatũ elucubratumq; est. Nec dubito quin decora progenitorũ tuorũ vestigia secutus, magno mihi præsidio sis futurus: postquàm eadẽ musarum studia, quæ familiã tuam ad ciuitatis principatũ, indeq; ex gemmato & propè coniuncto summo pontificatu, ad celsissimũ rerum fastigium extulerunt, religiosè & liberaliter colis, totq; Etruriæ vrbes, & Florentiã patriã summa æquitate, sapientia, pietateq; gubernes: ac domesticam insignis aulæ atque familiæ disciplinam, ad incorrupti pudoris decus, multò quàm alij luculentius atque splendidius tueare. Id verò in te Principe admirabile, prorsus ac inusitatum conspicimus, quòd in hac numerosæ decoraq; prolis felicitate, vna prorsus tua virtute, quàm ipsa Etrusci imperij fortuna, maior atque beatior euadis.

VALE.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini Historiarum sui temporis

LIBER PRIMVS.

QVIESCEBAT *terrarum orbis nullis bellorum procellis agitatus, ac in primis Italia quassata paulò ante inteſtinis malis optima pace florebat, quum bellum opinione hominum maius ac atrocius in Italia exarſit, quod poſtea Europam non modò omnem, verum Aſia atque Aphrica longinquas partes concuſſis vbique vel euerſis clariſſimarum gentium imperijs, paucorum annorum curriculo perturbauit. Quin & peruagata quoque eſt eadem fatalis bellorum lues quicquid terrarum Oceano alluitur, incognitos hactenus populos nobis aperuit, ad quos neque Romana*

mana virtus, neque illæ priſcorum literæ penetrarant. Ita vt his quinquaginta annis, in quos vniuerſa confertur hiſtoria, nihil reliquum tot cladibus afflicto terrarum orbi Mars & Fortuna feciſſe videantur, quum remotiſſima quæque prouinciarum ab ortu ſolis ad occaſum, per ipſos etiam paulò antè fabuloſos Antipodas bello tacta ſuo, vel externo cruore maduerit. Sed priuſquam tantarum rerum mitia memoriæ prodantur, vt omnia ad cognoſcendum clara atque illuſtria in aperto ſint, operæpretium erit quænam gentium opes, quiue reges noſtra tempeſtate floruerint, ordine recenſere. Nam poſtquam Cæſarum potentia Fato ceſſit, quæ quondam ſublatis vndique regibus, cuncta vni parere coegerat, quum ferociſſimi quique populi priſtinæ libertatis memoria rebellarint, nobiliſſimum imperium, alio atque alio Barbarorum impetu conuulſum atque dilaceratum, in minora regna & multorum ditionem abyſſe manifeſtum eſt. Fuere exinde res Gothorum maximè illuſtres, qui vt totius orbis iniurias vlciſci viderentur, egregijs virtutis atque amplitudinis Romanæ monumentis immani rabie deuaſtatis, vni hominum, de victore gentium populo triumpharunt. Athila quoq; Hunnorum imperator, quum à Riphæis montibus ad Pyrenæos cuncta rapidiſſimi torren-

tis more prostrauisset, insignem rerum ab se gestarum memoriam reliquit. Fuit & longè memorabilis Gallorum expeditio, qua Gottifredus Bolionius pietate & virtute bellica insignis, supra quadringenta millia voluntariorum militum Syria terrestri itinere petita, ad condendum Hierosolymitanum imperium adduxit. Claruere multis inde annis & Scytharum arma, Tamerlanis maximè ductu, quibus Armenia, Syria atque Aegyptus aliquando cesserunt. Sed nec postea Gothorum Hunnorumue, aut Gallorum, vel Scytharum alienis in terris diuturna fuere imperia. Nam sicuti ab initio ea bella vehementer & repentinos impetus habuerant, ita non multò post quum nullis certis opibus innitebantur, breui temporis spacio consenuerunt. Certatumque subinde est minore aliquanto sauitia, vsque ad patrum nostrorum memoriam, quum & suis terris redditæ nationes, ac frequentes atque ob id inualidæ obiectarum noui reges, qui sibi armis atque virtute regna pepererant, ad prolatandos finet nec ingenti apparatu, nec vllis paulo acerbioribus odijs inter se dimicarent. Sepèque accidit, sicuti naturæ humanæ variantis vicissitudo semper tulit, vt dum aliquæ nationes post longa bellorum incommoda, partæ pacis fruerentur, alia atq; aliæ quæ paulò antè con-

quieuissent, externis aut ciuilibus bellis desflagrarent. Sed is annus qui fuit à partu Virginis quadringentesimus nonagesimus quartus, supra millesimum letissima pacem, qualem ab Augusto nulla maiorii ætas antè meminerat, vniuersis gentibus dedit. Verùm ea mox quæ primo aspectu secura ac florens bona sic tranquillitatis, atque opulentiæ mortales impleuerat, portento similis, quòd sæuitatem terris denunciaret, in omnes prouincias maximè atrox, & diuturnum bellum diffudit. Regnabant tum ad Orientem tres maximi Reges, amplitudine imperij, & claritate rerum gestarum fermè pares, Baiazetes Turcarum Imperator, Caytbeius Aegypti, Syriæq; Sulthanus, & Iacuppus in Persis magni Asseij cognomento Vssumcassani filius. Baiazeti quicquid Euphrate & Amano monte Ciliciòque mari, ac Euxino continetur, Greciáque omnis, Thracia & Mœsia cum Illyrici parte, & ad Istrum late omnia per Pontum vsque ad Theodosiam Tauricæ Chersonesi emporium parebant, Huius ante alios finitimis formidandæ opes erant: nam ingentes equitum ac peditum copias virtute ac disciplina firmissimas, certis semper bello pacéq; stipendijs alebat: quibus & Amurathes auus & pater Mahomethes paulo antè tatum sibi ditionis & gloriæ peperissent. Verùm Baiaze-

tes. Erat ingenio mitis, ac religioni philosophiæq; studijs intemperanter deditus, post deuictum pulsumq; Asia Gemem fratrem qui res nouas in Bythinia atque Cilicia molitus fuerat, pacatis circũ omnibus finitimis, quiete atq; ocio fruebatur. Caytbei autem imperium à Cyrenis finibus q; Aphricæ per oram ad Isycum sinum, qui Ciliciam à Syria disiungit, & introrsus hinc ad Euphratem & Desertæ Arabiæ terminos, illinc aduerso Nilo q; ad arenarum solitudines, & læua dextraq; per Arabicũ sinum ad Erythræas angustias extendebatur. Fuit Caytbeius natione Cercaßius, & conditione seruus, caterùm bello acer, & virtute magnitudineq; animi maximorum regum nemini secundus. Is vt tum in Aegypto seruorum tyrannide oppressa, mos erat, Mamaluchorum suffragijs regnum adeptus, plurima ac difficillima bella singulari felicitate confecit. Nam & Baiazetis ingentes copias, Cherseogle eius genero fortißimo duce capto, ad Tarsum late cæciderat, & Aßimbei Regis, qui è Mesopotamia Birtha vrbe in Euphratis ripis occupata, Syriam inuadebat, conatus infregerat, domuerat Turcomanos Arabiã, & seruile bellum oppresserat, quo nullum periculosius fuit, quum innumerabiles subserui Aethiopes, cõiuratione facta captis armis ad delendos Mamaluchos in vnum

vnum ex repentina fuga coiuissent. Porrò Iacuppus in Maiore Armenia, Media, Perside, Mesopotamia atque Aßyria rerum potiebatur: vir belli auidus, sed Vssumcassano patre, à quo regnum acceperat, virtute atq; fortuna inferior, vt qui nulla re memorabili gesta, impudicæ vxoris fraude perierit, scilicet, vt regnum Hismaeli Sopho fratris filio, qui demum terrarũ orbem nominis sui fama compleuit, inuadendum occupandúmque relinqueret. Aßimbeius enim pater Magni cognomine dignus, Hiberos & Hyrcanos Caspij maris accolas Armeniæ finibus imminentes cladibus illatis longè summouerat, & pulso Mahomete Baiazetis patre duobus secundis prælijs Ottomannorum opes attriuerat: sed pleniorem rei bellicæ gloriam fuisset adeptus, nisi ad Arsengam, dum tertio summi certaminis fortunam periclitatur, multitudine tormentorum expugnatus infelici exitu superiores victorias corrupisset. Aphricam ab Aegypti finibus ad Atlanticum Oceanum multi reges obtinebant, omnes infirmis opibus & bello ignobiles, cum his Getuli & Numidæ alijsq; populi mediterraneæ Aphricæ colentes, qui vno nomine Arabes hodie nuncupantur, continuè per latrocinia, & repentinas incursiones bella gerunt. Gens etenim nullis certis sedibus assueta mutãdo loca atq;

eundando cuncta populatur, actum maximè Aphris acre bellum incumbit, quum maturas in agris segetes tutari oportet aduersus Arabum iniurias, qui vt alieni laboris fructus intercipiant, ex insidijs & summis aliquando viribus messores oppidanorum præsidio confirmatos adoriuntur. Inter tot Reges Mahometes, qui ad Tunetza supra Carthaginem regnabat vbertate agri, diuitijs atque authoritate lege clarissimus habebatur, quàquam & Fessano regi Mauritaniæ Tingitanæ, atque item finitimo regi Marochio ad Atlantem ac Oceanum permagnis equitum copijs valido opulentæ regiones pareant. Sed eminet Tunetanus quum ab eo sacra petantur. At citra fretum Herculeum Hispania omnis, præter exiguam veteris Lusitaniæ partem, quæ tum Ioannes rex Portugalliæ potiebatur, cum ipsa etiam Sicilia atq; Sardinia, & Balearibus in ditionem Ferdinandi concesserat. Is è Tarraconēsi vbi tum Ioannes pater imperabat, in vlterioris Hispaniæ regnum, quod Elisabellæ vxoris dotale fuerat trangressus, Lusitanos prouinciam suam inuadentes, aliquot prælijs superatos expulerat. Nouissimè autem quum Maurorum imperium in Bætica opulentum & floreni continuis decem annis ab se oppugnatum, eiecto rege, & tota gente deuicta, funditus euert

euertisset, tantam bellicæ virtutis atque prudentiæ opinionem apud omnes adeptus est, vt nemo illi Christianorum regum vel altitudine ingenij, vel industria vel rebus gestis conferendus esse videretur. In Gallia autem longè latéque imperabat Carolus eius nominis octauus, qui tametsi neque manu neque consilio multum valebat, tamen vt mox dicemus amplissimis maximi atque opulenti regni viribus innixus, viginti trium annorum adolescens, & pacem in Italia euertit, & rem Gallicam quæ nobis erat obscurior, armis atque ausu primum illustrauit. Britanniam verò ab ea parte quæ continentem Galliæ prospicit, atque alio nomine Anglia nuncupatur, Henricus septimus bello & pace insignis, ac in primis auari ditissimus obtinebat. Scotis autem qui extrema insula ad Caledoniam syluam & Orcadicum Oceanum incolunt, Iacobus Stuardus paterna cædis scelere, ac ipso postea vitæ exitu infelix dominabatur. Belgæ, Batauiq; & Burgundi Heluetijs & Tulingis proximi, post Carolum Belgarum principem in Mediomatricibus ad Nansim cum exercitu ab Heluetijs cæsum, Philippo Maximiliani Cæsaris filio parebant. Ipse Cæsar totius Germaniæ imperio potiebatur, ita vt eius nomen in honore sit, sed non inania iubendi iura, veraq; opes apud liberas ciuitates censeantur, quæ mu-

tuo fœdere consociatis viribus septuaginta Vrbium insignium numerum implent, atq; vno consensu insuperabiles libertatem defendunt. Cæterum Maximilianus multarũ virtutum laude inclytus, se ipso maior haberetur, nisi Fortuna quæ pulcherrimis iuuentæ cœptis adfuerat, postrema eius consilia & nouissimos conatus penitus elusisset. In Pannonia regnante Matthia Coruino vita functo, qui gloriæ clarissimis belli pacisq; artibus quæsitæ, omnes eius ætatis Reges superauit, Vladislaus rex Bohemorum successerat. In Polonia verò Alexander eodem quo & Vladislaus Casimiro patre genitus imperabat. Fuit hæc olim Sarmatia, quæ nunc ab Odera flumine, id in Venedicum sinum decurrit, ad Borysthenem vsq; & Rosolanorum fines extenditur. Supra Tanaim & Borysthenis fontes ad Boream, Moschi Scytharum finitimi, latè omnia tenent, attingunt q; Volgam amnẽ, Rha ab antiquis nuncupatum. Moschorum tum rex erat Ioannes Basilius sanè Christianæ religionis cultor egregius, nisi Græcanicos ritus, qui minus ab Romano Pontifice probantur, pertinaci superstitione sequeretur. Is equitatu maximè abundat, & cum Polonis & Scythis continentes bella gerit. Supra Moschos, qui hodie Moschouitæ appellantur, ab Aquilone ad occasum vergentibus Suetia occurrit, ignota quondam ma-

manis scriptoribus, & huic proxima, nostro q; malo clarior Gothia quæ circumfluo & resta-gnante Oceano munita est. Vltra verò Suetiã Noruegia longissimo tractu portenta ad Chaledonij maris terminos ingentem sinum effecit, atque inclusis innumerabilibus insulis, contra vltimum Cimbricæ Chersonesi promontorium irrumpente demum Oceano recuruatur, & Daniæ regna concludit. De natura eius terræ, atque his gentibus, quæ supra Noruegios existunt, Ichtiophagis atq; Pygmeis nuper repertis, apud quos certa calefactione per coniunctas inter se noctes & perpetuos Soles, totus annus alterna varietate reuoluitur, suo loco memorabimus. In Italia autem ea temperatæ Veneti & magnitudine opum, & diuturnitate imperij, & rebus terra mariq; fœliciter gestis summam authoritatem obtinebant. Vrbs eorum ampla atq; magnifica, mercaturæ & rei naualis studio à paruis initijs creuit. Sed ea propter incredibilem situs munitionem, ante alias & beata & admirabilis existimatur, quòd interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nullisq; ob id opportuna hostium iniurijs, veteres thesauros domestica in pace cumulatos periculosis etiam temporibus conseruarit. Nulli etenim à terra aditus, intercedente quadraginta stadiorum pelago, nulli penitus à mari ingressus propter cæca atque

humilia, & su tãtum indigens notæ, aut ingruentium barbarorum auaritiæ, aut magnis ab alto classibus patuerunt. Veneti homines in vniuersum consilio sunt graues, seueri in iudicijs, & in aduersa rerum fortuna constantes, in altera nunquam immodici. Omnibus quum idem sit conseruandæ libertatis & auzendi imperij incredibile studium, in senatu liberè & sæpius acerrimè sententias dicunt, nec quenquam temerè ex optimatibus, qui vel insigni virtute, vel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur: Quibus institutis, dum seruitutis metu, aliena virtute quàm sua, terrestri in bello vti longè vtilius & tutius putant, togati omnes per octingentos amplius annos rempublicam nullis ferè intestinis seditionibus exagitatam, administrarunt. Cæterùm ipsa nobilitas totius maritimi negotij & naualis disciplinæ munera nauiter implet, exutisq; togæ arma desumit. Paruere eis ab initio, quo tempore maximè classibus valebant, Istri, Liburni, Dalmatiæ atque Illyrici ora, multæ item nobiles Græciæ vrbes, cum Eubœa Cretaq; insulis. Mox transgressis in proximam continentem, Patauium, Veronam, Taruisium atq; Vicentiam, quæ ab infirmissimis regulis tenebantur, accesserunt. His quoque Rauenna addita est regia

regia quondam Gothorũ, atq; alterum totius Italiæ nauale pulcherrimum. Quo rerum successu erecti, & terrestribus auctis copijs, non multo pòst Philippo Vicecomiti pluribus bellis defatigato, Brixiam & Bergomum ademere. Cessit & eis Crema, Francisco Sfortia concedente: exinde Venetorum potentia cunctis in Italia maximo terrori esse cœpit. Nam finitimus quisque pro se, vt periculo proximus, suspectas eorum vires habere, quæ paulo antè sergnitudinem excreuissent: ac plurimũ vereri, ne quæ ipsi per socordiam adolescere sinerent, ea sibi mox vel tenui rerũ occasione exorta in perniciem verterentur: quando omnes qui humanarum rerum vsu periti essent, vim illam inueteratæ reipublicæ non caduci alicuius hominis ingenio atque industria regi sicuti cætera imperia quæ à virtute vel ignauia principum fortunam sortiuntur, sed vno atque eodem immortali perpetuæ Senatus consilio gubernari manifestè perspicerent. Quamobrem consternati aliquando Italiæ principes vno consensu eorum conatibus obstitere, ac nouissimè quum Ferrariam nobilem atque opulentam vrbem pertinacius oppugnarent, authore Xysto pontifice, consociatis viribus libidini atque potentiæ eorum obuiam itum. Secundas autem authoritatis atque opulentiæ

lentiæ partes in Italia Ferdinandus Aragonius obtinebat. Is Neapolitanum regnum Alfonsi patris virtute partum deuictis proceribus, qui rebellione facta Andegauensem ducem sequuti, grauissimum bellum excitarant, cum magna gloria conseruarat. Ferdinando filius erat Alfonsus ætate integra, manu prõptus, atque ingenio ferox, omnium qui tum in Italia exercitus ductarent, longè clarissimus. Huius virtute audaciáque vsus Ferdinandus, quum ipse Neapoli iam senex prudentia plenus in exaquandis Italiæ rebus omnium vires singulari iudicio metiretur, cum Florentinis & Venetis duobúsque pontificibus bella gessit. Quo tempore Aragonia res adeo firmata stabilitáque est, vt quum domi consilium vigeret, & foris arma florerent, nullam mutationem vnquam ea hominum ætate habitura videretur. Regnum eius multis insignibus atque opportunis vrbibus nobile, atque vndique à Supero atque Infero mari portuosum, omni genere commeatus, acribus viris, & militaribus equis abundabat. Idq; à Tarracinensi saltu, Pontiniq; paludibus per Volscorum fines, transuersis Sabinorum ac Marsorum tugis per Furconenses & Ferentanos, ad Truentum amnem, Romani pontificis terminos attingit. Catera ab ipso Siciliæ freto, hinc Tyrrheno atque illinc Hadriatico ambitur.

tur. Pontificia verò ditionis erat Picenus ager, Vmbria, Flaminia, Aemilia, Latium cum multo maxima Thusciæ parte. Verùm nobiles ac libera ciuitates incuria vel imbecillitate veterum pontificum, passim impotentibus tyrannis seruiebant: aut propter dira odia, immortalium factionum cruentis seditionibus agitabantur. Inter cæteros moderatè admodum Vrbinatibus Guido Feltrius, Camertibus verò Iulius Varanius imperabat. Ioannes Bentiuolus apud Bononienses principem agebat. Foroliuij & Forocornelij Caterina Sfortia dominabatur: Fauentiæ Manfredi, Pisauri Sfortiani, & Malatestæ Arimini principes erant, sed qui iam vetere potentia & claritudine decidissent. Perusia Baleonum familia multis fortibus viris, sed admodum sanguinarijs ampla & florens pulsa Oddorum factione, ciuibus suis leges dabat. Tiferni Vitelliorum nomen clarum erat atque illustre: sed ea mox domus, quæ multos simul duces insigni gloria tulerat, miserabili eorum interitu funesta atque infelix fuit. Populus autem Romanus in partes discissus, Vrsinæ aut Columniæ factionis studia sequebatur. Columnijs Sabelli vetustate familiæ & frequenti sobole militarium iuuenum potentes, Vrsinis verò Comites cognomento Grapellij claritate atque opibus fermè pares adhærebant. Nobilissimi procerum

cerum tunc erant, quiq; postea domi ac foris militiæ claruerũt, Virginius & Nicolaus Vrsini: Columnæ verò prosper atque Fabritius: Iacobus item Comes, Antonellusq; Sabellus. Horum opibus Romani pontifices, dum per varias temporum ac bellorum occasiones licuit, semper infensi infestiq; fuerant: nihilq; vnquam antiquius habuerunt, quàm alterutrã factionem fouere, atque alere eorum controuersias: vt quum attritæ mutuis cadibus atq; iacturis amborum vires forent, ipsi postea deletis reliquijs, oppidis eorum Vrbi proximis potirentur. Romani etenim siue pristini decoris ac antiquæ libertatis memores, siue vt sunt natura turbidi atque feroces, sacerdotum imperia, quòd plerique eorum parum moderatè auareq; imperitent, æquo animo ferre non possunt. Propterea quum iniurijs aut contumelijs exagitati fuerint, quo minus omni maleficio desæuiant, neque vi, neque legibus, neq; sacrosancti pontificis authoritate deterrentur. Cepere aliquando, atque interemere Bonifacium Octauum, hominem quanquàm factiosum, morum tamen ac literarum dignitate venerabilem: Quin & Eugenium eximiæ virtutis pontificem sede atque Vrbe immaniter expulere: alios palàm oppugnauere armis, alios coniuratione facta, ac obsessis itineribus in maxima vitæ atque amittendæ dignitatis per-

pericula coniecere. Præerat tunc Christianis sacris Alexander Sextus, natione Hispanus, antea Rodericus Borgia nuncupatus, qui præalto ingenio, eoq; semper æstutè liberali, quibusdam Senatoribus per comitiales dies non occulta largitione corruptis, quum potiores eius ordinis, solis inimixi virtutibus repulsam tulissent, pontificatum adeptus est. Is ab immani cupiditate maiores opes affectans, vt mox dicemus, Columnios pariter atque Vrsinos variis afflixit cladibus, pontificatuq; varia labe polluto, cuncta antea nomen sanctius ac venerabilius fuerat, Italicarum rerum statum magnopere conturbauit. Senensium libertatem, quum plebeij nouiq; homines cum optimatibus, & rursus inter se nobiles varia fortuna per aliquot annos contendissent, Pandulfus Petrucius, vir apprimè sagax paulo antè sustulerat. Florentina autem respublica Petri Medicis consilio atque auspicijs regebatur, eam biennio antè vita excedens Laurentius pater, in quo summa sapientia, eximia virtus, & singularis humanitas fuit, optimis constitutam legibus, opulentam florentemq; reliquerat. Tũ primum enim Florentini pace parta, quum domi foriq; industrij, & in mercatura maximè diligentes publicè ac priuatim res suas mirum in modum auxissent elegantius & sumptuosius quàm cæteræ gentes ædificare,

exco

excolere digniſsimarum artium artifices: & quòd incomparabili gloriæ eis ceſsit, Græcas atque Latinas literas illuſtrare cæperunt. Lucenſium ciuitas, vt ſeſe à Florentinorum iniuriis, qui libertati eorũ ſemper inuiderunt, tueretur, Maximiliano Cæſari & nonnunquam Mediolanenſium principibus tributa pendebat. Genuenſes verò qui cuncta quondam maria peruagati, relictis vbique clariſsimarum victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore nauali gloria ſuperarant, quum domi ſeditioſi atque diſcordes ſæuiſsimis factionum fluctibus mergerentur, in clientelam Sfortianorum conceſſerant. Vigebant tum in Liguria duæ factiones, Adurnia atq; Fregoſia, ambæ populares & Gibellini nominis: ipſa enim ciuitas in nobiles & populares familias plebemq; tripartitò diuiditur. Nobilitas duplici factionum morbo laborabat: nam patritij cùm ex profeſſo partim Guelfi eſſent, partim Gibellini, etiam Adurnium, aut Fregoſium nomen pertinaci quadam inſania ſequebantur: accidebatq; ſæpius, vt Guelfi Gibellinos, quos maximè odio habere conſueuiſſent, nouarum partium libidine cæci, acerrimis ſtudijs iuuarent. Idq; propterea fiebat, quòd nobiles lege quadam antiquitus lata, ſi premum in ciuitate magiſtratum, qui ad ſolos Gibellinos pertineret, capere non licebat. plebs

plebs quoque quæ mirum in modum incertis rumoribus ſeruit, incredibili mobilitate tumultum excitare, ad arma diſcurrere, atque eodem nonnunquam die commutatis voluntatibus, modò ijs, modò illis fauere, cõſueuerat. Quibus de cauſis effectum eſt, vt quum diſcordia atque inteſtinis confecti malis ſeſe regere non poſſent, diſſociatis animis, attenuatiſque opibus facilè veram libertatem amiſerint. Arcem quæ vrbi imminet, Ludouicus Sfortia præſidio munitam obtinebat: Prætoriani milites Auguſtini & Ioannis Adurniorum, qui Ludouici clientes erant, iuſſa faciebant: ac tum omnibus vna atque eadem cura inerat, vt Fregoſios quos antè expulerant, vrbe prohiberent, & Senatus populusq; omnis Ludouici conſilia ſequeretur. Porrò Ferraria, Mutina, Regium Lepidi Herculis Ateſtini, Mantua Franciſci Gonzagæ, Vercellæ, Auguſta Prætoria, Taurinum, Iporegia, Subalpinaq; oppida Philippi Allobrogum Principis, cuius imperium per Graias alpes vſque ad Genevam & Lemanum lacum extenditur ditionis erant. In Gallia autem Ciſalpina quæ nunc Lombardia à Longobardis, qui ibidem ſedes imperiumq; tenuerunt, recentiore nomine nuncupatur. Mediolanenſium princeps erat Ioannes Galeacius, Galeacio Sfortiæ genitus, qui à conſuratis in templo diui Stephani in ipſo ætatis

flore trucidatus est. Caterùm Ludouicus patruus ad quem summa rerum omnium respiciebat, imperio potiebatur, vir singulari prudentia, sed profunda ambitione ad exitium Italiæ natus. Is multis antè annis animo agitans, quibus maximè consilijs imperium adsequeretur, Cicchum Simonetam virum grauem, & pro puero tum Ioanne Galeacio, rem Mediolanensem syncera fide administrãtem, falsis obiectis criminibus, capitali supplicio affecerat: Mediolani opportunisque alijs in locis ceteres ac puero fidos custodes arcibus eiecerat: præfecerat copijs atque vrbibus nouos homines, & quos cœptis suis obstare prouidebat, variijs circumuentos artibus oppresserat. Eo modo ad imperij procurationem euectus, quum Veneti cæterorum Italiæ principum armis in Ferrariensi & Brixiano premerentur, res eorum in angusto sitæ, ac plurimum diuturno ac ancipiti bello attritæ essent, primus à fœderatis impudentissimè defciuit, & pace ad Balneolum oppidum firmata exploratæ victoriæ cursum interrupit scilicet vt Veneti hostes immortali beneficio sibi obstringerentur, quorum ope atque auxilijs Mediolanense imperium, amoto fratris filio se adepturum confidebat. Ea res Xisto pontifici tantum mœroris attulit, vt intra paucos dies ingenti dolore victus interierit, & Alfonsius, qui sociorum dimi-

Elabat

Elabat exercitum, erepti sibi è manibus triumphi contumelia accensus, nunquam se eam iniuriam animo depositurum esse iureiurando affirmauerit. Erant plerique eo tempore qui Ludouicum amplissima prudentiæ laude cumularent, quòd eam belli flammam, qua pernobilis Italiæ tractus deflagraturus esse videretur, felici diligentia restinxisset: vnde sibi vti rerum æquus arbiter ac moderator, summam consilij atque virtutis opinionem apud omnes esset consecutus. Id quoque ad amplificandam eius existimationẽ pertinebat, quòd Ascanius frater ipso impetrante, Cardinalatus honorem fuerat adeptus, qui tum et summa gratia apud Alexandrum Pontificem valebat, & propter immensas opes atque animi magnitudinem, eius ordinis facilè princeps habebatur. Nec multis antè annis Sedunos Heluetiorum socios in Italiam irrumpentes, supra Verbanum lacum acie profligarat, & Rhetorum impetum qui Clauennam oppidum inuaserant, armis atq; pecunia fregerat: cum aduersus similes barbarorum irruptiones, imperij fines faucesque Alpium mirificis operibus atque arcibus erectis egregiè muniuisset. Quibus de rebus magna illi indies potentia, singularis authoritas, cum ingenti etiam gloria crescebant. Enimuerò tametsi ambitione præceps in diuersum ab æquo & bono rapie-

batur, multis tamen optimis artibus abundè instructus flagitiosa consilia mirificè contegebat. Erat in primis, quod maximè populares gratiam fauoremq; conciliat, aditu alloquióque perhumanus & facilis: nunquam eius animus iracundia superabatur: moderatè ac patienter ius dicebat: ingenia quæ vel literis vel exquisitis artibus claruissent singulari liberalitate prosequebatur. Postremò cum fames pestilentiáve ingruerent, maxima annonæ & salubritatis cura habita, sublatisq; latrocinijs, atque enormibus vrbis ædificijs ad lineam directis, tantum splendoris ac opulentiæ Cisalpinæ Galliæ inuexit, vt ab omnibus aureæ pacis & publicæ securitatis atque elegantiæ conditor esse diceretur. Id modò summam illi apud honestos ciues conflabat inuidiam, quòd Ioannem Galeacium egregia mentis indole iuuenem, iam tum quatuor & viginti annos natum, sceptra tenere atque obire principis munia minimè permittebat, ceu illa propter ingenij ac ætatis imbecillitatem, maximarum rerum curis tantóque oneri impar foret. Nec iuuenis paternorum amicorum auxilio destitutus, quos antea Ludouicus sustullerat, aut specie honoris, per causam gerendi magistratus ablegarat, reposcere imperij iura, aut quicquam principe dignum eloqui audebat. Siquidem à Ludouico summissi specula-

tores, qui eius dicta factaq; notarent, in aula haud quaquam dissimulanter obuersabantur. Iamq; eo contumeliarum erat peruentum vt Ludouici quæstores, irrespectis sumptuarijs rationibus quæ etiam pertenues erant, nimij luxus eum castigarent, certamq; tantum expendendæ pecuniæ summam præscriberent. Ita miserrimus princeps odio impotentis patrui subactus, neque vlla amicis aut clientibus beneficia collocabat, neque præinopia quicquam egenti, mestaq; familiæ largiebatur. At in aula Ludouici, quæ hilaritatis atq; opulentiæ plena erat, vnis subtectis cuncta luxu & continuo liberalitatis splendore magnifica atq; illustria visebantur, quódque magnopere mœrorem accumulabat, Beatrix Ludouici vxor (erat hæc Herculis Atestini filia) fastu atq; luxuria ingenti mulier, plerunq; grauioribus consilijs sese arrogantius quàm mulierem deceret, immiscere, demandare præturas, & capitalium ciuiliumq; rerum iudicibus planè dominari ita consueuerat, vt Ludouicus qui iam tum blanditijs eius delinitus, vxorius habebatur, importunæ mulieris libidini nonnunquam obtemperare cogeretur: præsertim, quòd ei filium, cui postea Maximiliano nomen fuit, paulò antè pepererat. Vnde cum magna ludorum celebritate puerperæ atque infanti principalia ornamenta collata essent, manauit in

vulgo fama, Ludouicum Papiæ vrbis principatum, vt inde more maiorum puer veluti è proximo gradu ad imperium euecheretur, infanti filio destinasse. Ea res Ioannis Galeacij & præsertim Isabellæ vxoris animos magnopere exulcerauit: ipsa quòd & patrem Alfonsum & auum haberet Ferdinandum, & iam Franciscum auitæ indolis puerum in spem sibi debiti imperij primo partu peperisset, maiores, quàm muliebris animus ferret, ad vindicandam contumeliam spiritus gerebat, eoq; grauius ac infestius, quòd Ludouici opera per fugas, ipso nuptiarum die magicis cantamnibus & veneficijs quibus fœcunditatem impedirent, se pariter & coniugem petitos esse persuasum habebat: & tum cuncta patrui consilia eo ferri manifestè perspiceret, vnde ipsi circumuenti omnibus dolis atq; artibus è medio tollerentur. Itaque Isabella impotenti dolore acta, ad patrem auumq; in hanc sententiam literas conscribit, & spectata fidei clienti suæ cum id sæpius tentare periculosum foret, Neapolim deferendas tradit. Scio vos qui & claritudinis Aragoniæ domus, & regiæ dignitatis memores semper fuistis, nunquam me priorem vestram, atque in sinibus vestris educatam, Ioanni Galeacio fuisse desponsos, si quem paterno atq; auito imperio quum per ætatem licuisset, successurum arbitrabamini, eum ex-

acta adolescentia liberis q; susceptis ambitiosissimo atque sæuissimo patruo seruiturum putasse tis. Ludouicus enim non iam patruus, sed immitis & atrox hostis, nunc primum apertè, quòd multis antè annis longa gubernandi consuetudine allectus percupidè semper affectauit, Mediolanensis imperij sceptra solus obtinet, & cuncta cum vxore ad arbitrium moderatur. Illi custodes arcium, copiarum duces, magistratus atque omnes prouinciæ ciuitates parent. Ipsè principum legatos audit, belli & pacis fert leges, & denique necis ac vitæ Vetigalium atque ærarij supremam habet potestatem. Nos miseri ab ipsò circumscripti, & destituti ab omnibus: quum solis rerum inanium titulis decoremur, in obscuro luctuosam ac miserabilem vitam agimus, solicitiq; etiam de salute quæ imperio atque honoribus amissis reliqua est, nisi maturè opem feratis duriorem in dies afflictis rebus exitum opperimur. Eripite obsecro natam, generumque vestrum his ærumnis, & si vos diuina vel humana iura permouent, si qua iustitiæ & pietatis, si quæ denique in illis vestris regijs animis prisfini decoris cura residet, libertati atque imperio restituite. Non desunt nobis studia optimorum ciuium: in Ioanne Galeacio animus viget curarum atque imperij capax, veteres amici qui nunc tyranni sæuitiam reformidant, prompta

ac fidelem ex occasione operam nobis taciti pollicentur, atque omnes peregregia erga nos voluntate ciuitates existunt quibus ille inusitata & prægraui acerbitate pecuniam imperauit: postremò Dij ipsi immortales scelerum vindices nobis non deerunt, si vos qui alienissimis etiam misera atque indigna seruitute oppressis præsidio esse æquum & Regium semper existimastis, sanguini vestro & iustissimæ causæ minimè defueritis. Ferdinandus et Alfonsius, qui multum antea illa vera esse multorum literis & fama cognouerant, rei indignitate permoti, legatos ad Ludouicum decernunt, qui Ioannis Galeacij causam agant, sed amicè atque lenissimè negotium pertractent, quoad vim eius hominis in ipso metu sufficiosi atque præcipitis, neque minus, neque vllis denunciatione periculi exagitandam eo tempore iudicabant. Mittuntur itaque Antonius & Ferdinandus Gennarij viri graues, ij Mediolani magnificè suscepti, luculentam de Ludouici laudibus in consessu primorum ordinum orationem habuerunt, quæ eò pertinebat, vt ager ambitione animus postquam nihil aliæ artes valuissent, gloriæ ac laudis mentione sanaretur. Erat enim Ludouicus æternitatis appetens & gloriæ auidus, sed qui peruersis rationibus imaginem pro solida sectaretur, vt plerique principū solent, qui adepto statim rerū fastigio, dum

veræ virtutis obliuiscuntur per superbiam atque animi vanitatem insaniunt. Cæterùm exitus orationis fuit, Ferdinandum regem atque Alfonsum obnixè rogare, vt imperium quod multos annos adolescenti Ioanni Galeatio singulari virtute ac vigilantia cōseruasset, eidem qui & vir & pater esset effectus iam tandem restitueret. Id si faceret vti humana iura postularent, ipsum sicuti antea sapientis, ita mox viri optimi nomen insigni cum laude consecuturum, Aragonios verò reges qui Sfortianis coniunctissimi semper extitissent, eo singulari accepto beneficio immortales gratias habituros. Ad ea Ludouicus respondit se ab ineunte ætate in vnam eam curam totis sensibus semper excubasse, ne res Mediolanenses aut intestinis insidijs turbari, aut vllis affici detrimentis ex opportunitate pueri principis ab hostibus posset. Id se Dijs bene iuuantibus abundè præstitisse. Veri principis nomen penes Ioannem Galeatium fuisse semper, atq; in posterum futurum. se interea nihil præter labores & difficillimarum rerum curas vsurpasse vnquam, & id eum summa animi solicitudine, valetudinis q; iactura, neque esse commissurum, qui multis æquitatis atque modestiæ exemplis honestissimam apud omnes existimationem esset adeptus, vt aliquo suo paulò iniquiore facto superioris vitæ gloria fœdaretur: proinde se breui,

postquam fratris filius sua cura ac diligentia in eam spem adoleuisset, administrandi imperij graue & permolestum onus esse depositurum, & non modò Aragonij reges, qui id obnixè postulare viderentur, sed cæteri etiam principes, priuatiq; omnes se nulla ambitione, verum officij necessitate adductum ad id munerus accessisse intelligerent, quàdo res sua haud mediocriter aliquorum perfidia labefactat. dubijs temporibus pro salute pueri atq; imperij maiora præsidia flagitassent. At Gennarij quiu cæteris diebus per priuata colloquia agendo atq; adhortando apud animum ea libidine duratum nihil profecissent, speciosaq; tantùm verba factis contraria sibi dari manifestè perspicerent, re infecta Neapolim reuertuntur. Eo eo tempore Aragonij haud dissimulanter cum Ludouico inimicitias gerere, comminari aliquando illi acrioribus verbis, & tandem postquam legationibus nihil impetrabant, de inferendo bello agitare cœperunt. Ferdinandus tamen, & sunt lentiora senũ consilia, omnia alia priusquam bellum experiri malebat. Verùm Alfonsius in quo ætas & militare studium vrgebant, quum & priuatas etiam cum Ludouico simultates ex Balneolana pace conceptas exerceret, rem ad arma deducere properabat. Nec defuere qui dicerent Alfonsum inuidiæ atq; ardentius sumẽda arma decreuisse, quòd

imani quadam occupandi Mediolanensis imperij fiducia duceretur: Id enim sibi deberi haud obscuro iure prædicabat, quoniam Philippus Mediolanensium princeps, in quo Vicecomitum progenies defecit, Alfonsum regem ipsius auũ, & Venetorum conatus qui tum Mediolano imminebant, eius viri virtute frangerentur, primis ac vltimis testamenti tabulis hæredem imperij reliquisset. Igitur Ludouicus qui Ferdinandi experientis & callidi senis consilia, & vim Alfonsi acerrimi ducis, maximasque eius regni opes formidabat, quum sensim arma & classes aduersum se Neapoli pararentur, præuertendum sibi ratus, & sese aduersus omnem eorum iniuriam muniret, bellicosam atq; infensam Italico nomini Gallorum gentem in Italiam euocandam existimauit: quod consilium tam sibi posteà ac suis exitiabile, quam toti Italiæ calamitosum fuit. Vendicabat sibi Neapolitanum regnum rex Caroluę repetito iure ab Andegauensibus prouincia regulis, qui à Ioanna Regina per adoptionem in regnum adsciti fuerant. Ioanna etenim Ladislao rege fratre extincto, quum Iacobum virum Gallum cui nupserat insolentius secum agentẽ repudiasset, & paulò post muliebri leuitate palàm insanis amoribus seruiret, à Martino Pontifice Maximo, & Ludouico Andegauensę armis petita est, scilicet & impudicus Reginæ animus

animus, qui verecũdia ac pudore moueri non poterat, metu belli in ipso amittendi regni periculo sanaretur. Eam ob causam regina timore implicita, Alfonsum citerioris Hispaniæ regis fratrem, qui tum in Corsica magno apparatu Bonifacium vrbem oppugnabat, cum valida ac expedita classe Neapolim accersiuit, cuius virtute & Gallorum & Sfortiæ tunc longè omnium in Italia fortissimi ducis conatus repressit, ipsęq; vt antea per conditiones regina promiserat, ob nauatã egregiè operam in filium adoptatus est. Sed Alfonsus paulò pòst Ioannã Caracciolo eius amatore in vincula conięcto oppugnauit armis, Neapoliq; expulit: siue quòd malè tectas reginæ libidines, salua regio pudore, ferre nò poterat: siue quòd iam solus dominari et cuncta regere volebat. Vt sunt impotẽtia animi, imperandi auida ingenia Hispanorũ, qui cum semel irrepserint, ad summã semper potentiam cunctis artibus contendunt. Itaq; Ioanna circunuenta omnibus malis Alfonsum tanquam impium & ingratum apud Pontificem accusauit, & rescissa priore adoptione, Ludouicũ Andegauensem in Alfonsi locũ sibi substituit. Inde grauissima secutæ sunt bella, mortuoq; Ludouico ad Renatũ eius fratrem bellum eodẽ iure translatum. Durauitq; ea contentio vsq; ad Ioannem Renati filiũ, qui ab excessu Alfonsi, cum hoc

hoc Ferdinando vehementi impetu et magnis partium viribus per aliquot annos sed parum prospero successu bellum gessit: quorũ motuum causas atq; euentus, Iouianus Pontanus vir ad omne genus eloquentiæ natus in historijs explicauit. At Ioannes regno atque Aenariæ insula pulsus, quum in Galliam adnauigasset, non multò pòst febre correptus interijt, superstite adhuc Renato patre, qui mox & ipse sine liberis atq; nepotibus vitæ excedens, Ludouicum Galliæ regem huius Caroli patrem testamento reliquit hæredẽ. Fuit post hæc non semel regio in consilio de repetenda Neapoli magnis procerum studijs actum: Sed Ludouicus qui diu domestico & Belgico simul bello implicitus fuerat, totam eius consilij rationem & damnosam & perdifficilẽ multis de causis semper existimauit. Mortuo autem Ludouico qui sublatis infensioribus regulis & rebus singulari prudentia constitutis, Carolo filio regnum Galliæ omni bellico motu vacuũ pacatumq; reliquerat, non defuere proceres qui Galliæ vires extollendo, quòd nuper Britones citerioris Britanniæ gentes quæ in Gallia est, ad Sanctum Albinum Rhedonum oppidum memorabili prælio deuicissent, ad suscipiendum parandumq; bellum adolescentem incitarent. Nanq; viri militiæ dediti & continuis superiorum temporum exercitati bellis,

lis, quum partæ pace quietem atq; otium ferre nescirent, nouum bellum quo diuturi & virtutem ostendere possent, exoptabant. Neque gens alacritatis & peramplæ fiduciæ plenamirumq; in modum dedita regibus suis, quibus diuinum quendam animi vigorem inesse persuasum habent, rege duce quicquã sibi arduum aut factu difficile fore existimabant. Pernaserat quoq; in vulgus hominum ex antiquis quorundam vatum carminibus celebris fama, Carolo Gallorum regi maximum totius orbis imperium portendi, illumq; esse eius nominis octauum, cui Mathematicorum testimonio fatum foret, occidentis simul atq; orientis imperio potiri. Nec deerant qui nobilissimum quondam Græcorũ imperium, quod Mahometes Ottomannus, Byzantio capto & cæso Constantino Grecorum imperatore, non multis antea annis occupauerat, ad Gallos pertinere iactarent. Turcæ quoq; per eos dies subitis incursionibus Dalmatiam atq; eam Illyrici partem, quæ Pannonios attingit direptis atque incensis pluribus vicis afflixerant, & iam maius bellũ Barbarus hostis aduersus Christianos, adauctis copijs ac ingẽti classe cõparata, moliri dicebatur: qua res in Galliam delata multis sermonibus materiã prebebat. Nam qui pacem oderant, publicam omnium incuriam et segnitiem principum incu-

sabant, futurumq; esse dictitabãt, vt Christianæ respublica postquam omnes Europæ reges prisſimæ pietatis atque virtutis oblinisceretur, aliquod insigne detrimentum acciperet. Nec tantam, si ab eo hoste lethale vulnus infligeretur, ad alias gentes, quantã ad Gallos vel infamiam, vel publici decoris iacturam esse peruenturam: quando vni omnium Galli omni tempore rem Christianam aduersus Barbarorũ iniurias peculiari studio protexissent. Cæterùm quanquã ea transmarini belli desiderio dici viderentur, omnes tamen his de causis quas superius attulimus incitati, ad inuadendam Italiam, quam prouinciarum opulentissimã intelligebant, animos intenderant, quòd prius & conflandũ & conficiendum Neapolitanum bellum foret, quàm in Græciam aduersus Turcas liberandis eius prouinciæ populis arma transferrẽtur. Antonellus quoque Salernitanus princeps, & plerique alij cum eo Neapolitani exules, repetendæ patriæ desiderio, id bellũ nullius propè negotij fore prædicabant: pluresq; populos apud quos ipsi propter factiones non mediocrem obtinerent authoritatem, si semel in Italia Gallorum signa conspicerent, continuò ab Aragonijs defecturos esse pollicebantur. Is erat animorum habitus regia in aula, quum ad cohortandum atq; impellendum regem, Carolus

Ius Balbianus Ludouici Sfortiæ legatus superuenit: qui vt erat in eo munere admodum paratus, non prius sibi in concilio cui proceres cum rege ac intimi amicorum intererant, de bello disserendum arbitratus est, quàm singulos quos gratia atq; authoritate potentes esse cognouerat, pollicendo præmia, atque docendo quã facilis ac expedita victoria foret, ad expessendum bellum accendisset. Igitur Balbianus quum secretò ac palàm propensis animis audiretur, sapiusq; in Aragonios acerbè inuectus, eos omnium qui vnquã in Italia fuissent superbissimos & crudelissimos tyrannos esse miscendo falsa veris ostendisset, ad extremum in concilium vocatus, talem habuit orationem: Si quid reges qui haud dubiè non hominum consilijs, sed deorũ immortalium prouidentia & munere supremum generis humani fastigium consequuntur, non ingrati neq; impij superis debent, te vnum felicissimè Carole ante omnes Deo summo maximè debere fatendũ est: si quidẽ cum prætextatus pene puer ad imperiũ accesseris, tantus tibi futur solãoris indole cõciliatus est, vt tumultuantes paulò antè, & variis belli motibus excitagentes, ipsiq; proceres natura infensi regibus quos idem prudens atque eximiè fortis patet tuus vix armis et multa solertis ingenij arte domuerit, statim vno consensu atq; incredibili studio

studio te regem exceperint, quo maximè tempore & rebellandi, & noua agitandi consilia ex ipsa morte patris occasio nata videbatur. Quinetiam dum in citeriores Britãnos arma moueres, secuti auspicia tua, bellog; secundissimè confecto, prouinciam illam Oceani & fluminum opportunitate opulentã veteri Galliæ imperio adiecerint. Ea res totius Galliæ populos in tui admirationem adduxit: te externi principes inde suspicere cœperũt, & nunc maxime quũ vigere in animo tuo non regios tantùm atq; viriles, sed humanæ virtute augustiores spiritus apertè conspiciant, te maiori rerũ imperio destinare non dubitant. Iamq; si auspicio aperire fata volueris, te magni Caroli progenitoris tui nomen & gloriã æquaturum pollicẽtur. Tibi enim præclara et consimilis fama hominũ sacri belli pronunciã decernit, vt Constantinopolim vbi maiores tui aliquãdiu regnauerũt, è manibus immaniũ barbarorum eripias, atq; inde demum profectus sacrosanctum Christi sepulchrum Christiano nomini vindices: id de te nõ vana augurio responsa vetum & antiqua carmina diuino sacratorum hominum ingenio conscripta pronunciant: iubentq; te explicare vela, vt quò fata vocant in altũ ad quærendos immortalis gloriæ titulos feliciore aura proueharis. Nec quenquam è tota Gallia fore putarim qui te maximi ac

d opulen

opulentissimi regni regem, veteraní inuictiq; exercitus imperatorẽ in hoc eximio studio atq; incredibili cupiditate ducũ & militũ, omnes cõtinuò terras quas armatus adire voluerit, secundo victoriæ cursu peruagaturũ esse non intelligat. Transuere aliquando maria maiores tui Galli heroes, aut vltro in Syriã, Aegypto, Africa, Barbaras gentes, quæ nec occidentales quidem populos fama cognouerant, armis petiuere, quum certatim omnes celeberrimis Magni Caroli trophæis ad virtutem accenderentur: & proferre Christiana religionis terminos, satis dignã belli causam, pro qua & superanda maria longissimi tractus, & petenda alieni cæli regiones forent, dubitet etiam atq; incertis rebus existimarent. Quod si hæc animum minimè permouẽt, vtpote quæ ab aliquot seculis vti nimis vetusta, excidisse hominum memoriæ videri possint, te profectò vel non vltrò inflammatum pulcherrimo studio gerendarum rerum, nec vnquam ignobili ocio defluentem, trophæa Bathica vicini regis excitabunt. Is enim Mauro diro hoste Hispania depulso, terram patriam gloriosè liberauit: magna herclè cum laude, sed quæ minimè conferenda videatur si tota Græcia Turcicum nomen expuleris, quod equidem votis piè conceptis facilè cedet. Epirotæ enim, Aetoli & Peloponnesi gentes suppliciter opem tuam im-

plorant, vt te authore consilia repetendæ libertatis audaciter explicent, atque obiter fortia arma aduersus Barbaros conspectis vexillis tuis expediant. Sed liberandum prius nobilissimum Italiæ regnum ab Aragonijs tyrannis esse censemus, vt cum illud hæreditario iure Galliæ regibus attributum, à miserabili seruitute in libertatem vendicaueris, continuò ex Apulia, vnde breuissimus in Epirum & Macedoniam traiectus legionibus transportatis, si & fama victoris exercitus ac ducum atq; hominũ immenso fluuore terribilis, Byzantium rectà contendas. Implorãt abs te auxilium Calabri, Lucani, Brutij, Samnites, Cãpani, cæteraq; eius regni gentes, quæ quòd à Andegauensium nomen secutæ, aduersò belli exitu, iniquam Fortunæ conditionẽ subierunt. Horum omnium sanguine ac fortunis Aragonij sæuissimi regnatores, per multos annos tam crudelitatẽ atq; auaritiam expleuere, vt nihil iam præter veteres animos quibus constantissimè semper Gallicas partes coluerunt, victis ac miseris reliquerint. Horret animus recensere, quot proceres, quotq; præclaros duces, interposita fide & sacramenti religione in gratiam receptos, quod antea Gallicarũ partium fuissent, violato iure, non modo hospitij sed ipsius regiæ mensæ crudeliter enecarint. Horum parrò cadauera, tremendum visu, sic-

cata et condita odoribus in eo habitu quo Viui fuerant ijsdemq; insignibus exornata, adseruari atque ostentari ferunt, vt eo execrabili tyrannicæ immanitatis atq; perfidiæ exemplo, paria timeant qui seruire noluerint. Contra hos summè scelestos homines, & quòd à Vobis Viris fortibus nisi indignãter serri non potest, per contumeliam Gallicæ gentis irrisores, gladium feliciter educes. Dijs enim ac hominibus inuisi præpedientè scelerum conscientia, nec consilia in negotio, neque arma opportunè vnquam expedient. Tibi quoq; aderit Ludouicus Sfortia prudentis ingenij authoritate atq; opibus clarus, ac in primis decoris tui, & Gallici nominis apprimè studiosus. Siquidem vetere suo instituto, nihil vnquam amicitia Gallorum antiquius duxit: Francisci Sfortiæ magnanimi patris vestigijs subsecutus, qui Ludouicum patrẽ tuum, cum ille Gallico tumultu & in multa procerũ perfidia penè obrutus summis omnium rerũ difficultatibus laboraret, & consilio admodũ salubri, & quanta potuit pecunia, & veteranis copijs maximè Galeacio filio duce in Galliam transmisso, opportunissimè iuuit. Is igitur summa fide singulariq; studio fessum exercitum, quum Alpes transcenderis, fertilissima prouincia copijs recreabit: comeatus passim expedietur: in Liguria validã classem exornabit: non contem-

contemnendas copias, ac duces locorũ, Italicarumq; artium peritos adiunget: & principes Italiæ qui fermè omnes ipsius authoritatem sequuntur, tibi fœdere vel amicitia consociabit. Hoc deniq; opulento fideliq; socio, cuncta facilia ac explorata erũt, ad incomparabilem victoriam, cuius vel præcipuũ fructum non in præsenti tantùm gloria & cõmodo, sed in ipsa sempiternæ laudis magnanimi reges posuerunt. Postquam Balbianus dicendi finem fecit, Carolus Gallorum regum more per epistolarum Magistrũ respondit, se plurimũ debere Ludouico Sfortiæ, quòd eo studio atque ea fide Gallorum amicitiam coleret, vti Franciscus eius pater instituisset, ob idq; ea omnia quæ regiam respicerent dignitatẽ, & ad summam Galli nominis amplitudinem pertinere viderentur, amicissimè commemorasset. Proinde se rem integram ad matus atq; frequentius concilium esse delaturum, & morem superiorum regum imitaturum, qui vti regni proceres virique prudentes, humanis ac diuinis legibus maturè perspectis, faciundum esse censerent, bella iustè suscipere consueuissent. Nec multo post totius Galliæ concilium apud Turonos indicitur, vbi quum Reguli fermè omnes, & sacrati viri sacerdotijs insignes conuenissent, Carolus de suscipiendo bello magnificè disseruit, ab his instructus qui eius

adolescentiam regebant, atque obuentura sibi ex bello ingentia commoda arbitrabantur. Initio autem orationis quum Neapolitanum bellum perfacile in primis ac honesto causa nomine sibi ac vniuersæ Gallorum genti maximè decorum fore multis rationibus ostendisset, ad extremum dixit, se non modò villas, prædia, & domos eorum qui pro hostibus haberentur, verùm totius regni oppida, vrbes ipsas, sacerdotia, & præfecturas pro nauata opera amicis ac ducibus esse diuisurum: se solis recepti regni titulis contentum fore: ac mox postquam ad certiorem atque ampliorem gerendarum rerum gloriam diuino monitu vocaretur, aduersus Turcas traiectis in Macedoniam maioribus copijs, ad vlteriora præmia milites perducturum. Qua oratione Galli omnes qui verba, habitum, orij effigiem, & cuncta denique religione quadam in regibus suis admirantur, facilè permoti regium decretum dictis sententijs confirmãt, miriſque laudibus extollunt, ipſique ante alios qui summa freti authoritate, facilè quo vellunt dubiorũ animos proclinant: ij tum erant, quos Balbianus aut largitione aut promissis accenderat, Stephanus Belcarius à pueritia regio cubiculo assuetus, qui nutritij nomen atque inde summam consulendi authoritatem collegerat, & Guiliermus Brissonetus erarij præfectus quæstorúmque omnium magister, vir calliditatis atque solertiæ singularis, qui ex humili loco pertinaci quadam industria, diuitias quàm amplissimas consecutus, ad maximos honores ambitiosè cõtendebat: quæ omnia si bellum esset ingenio atque pecunijs suis confisus, se facilè multis de causis adepturum arbitrabatur. Horũ maximè impulsu regem vel nihil de Neapolitani regni hæreditate cogitantem suscepisse bellum, Philippus Argentonius in historijs Gallica lingua præscribit. Caterùm id probabat ex ordine militari Petrus Rohanius, quẽ Gienſem Marescalcum vocabant. Eo enim nemo ducum regendis exercitibus in tota Gallia peritior habebatur. Ideóque primas secundum regem imperij partes cæterorum omnium concessione sibi deberi intelligebat. Hos quoque pleno assensu Petrus Borbonius summæ claritatis Regulus sequebatur, aut vana spe ductus totius Gallia administrandæ, quod discedente in Italiam rege cuius sororem in matrimonio haberet, propter affinitatem in Gallia cum imperio haud dubiè esset permansurus. Cæteri erant Gilbertus Mompenserius, Ludouicus Ligninus, Eberardus Obegninus, & duo germani fratres Persiuus atque Palicia viri egregiè fortes, qui primos honores in exercitu, atque vrbium & regionum præfecturas ex regia liberalitate sibi

destinabant. Itaque bellum in proximum annū decernitur, vt eo temporis spatio exornari Gallicus equitatus, pedestres copiæ acciri ex Heluetijs atque Germanis, parari classes, & quod summum in negotio momentum habebat, vt finitimi reges conciliari, & fœdere adiungi possent ne illi diuersas Galliæ prouincias partes solitis nudatas præsidijs, atque ob id iniuriæ atque periculo expositas, ab Hispania vel Germania inuaderent. Siquidem cum Maximiliano iustæ graueſq; inimicitiæ intercedebant: Nam Carolus paucis antè annis Margaritam Maximiliani filiam, apud se in Gallia ab incunabulis enutritam, quanquam suauissimis moribus atque insigni forma præstantem, repudiarat, vt Annam Francisci citerioris Britanniæ reguli filiam, quæ Maximiliano desponsata fuerat, vxorem duceret, quod per eam dotis nomine subactæ nuper, neque adhuc satis pacatæ Britanniæ citerioris imperio potiretur: adeò vt Maximilianus duplici contumelia affectus, propter acerbissimarum offensionum magnitudinem in tam iusto atque inexpiabili dolore nunquam eas iniurias memoria depositurus esse videretur. Verum Ludouicus Sforcia, qui per eos dies Blancam Ioannis Galeacij sororem Maximiliano in matrimonium collocarat, & cum eo Heluetiorum legati, qui magnam apud vtrunque regem auctoritatem

ritatem obtinebant, omnem eorum controuersiam composuerunt: quum Carolus remissa in Germaniā puella, & restitutis dotalibus opidis cum multo verborū honore Maximiliano satisfeciſſet. Atque in excusationem inhumanioris facti, se nō regia libidine aut superbia inductum, sed impulsum temporum ac bellorum necessitate, ad eas nuptias descendisse fateretur, vt prouincia illa tantæ opportunitatis ad arcendas Britannorū classes, pro quæ toties cruentè admodum decertassent, redempta eo coniugio prouincialium animis, pristinæ quieti redderetur. Sforcia quoque Cæsarem monebat, ne cum Gallo, in ea temporum conditione, vanas & nihil profuturas simultates exercere vellet: quando omnibus rebus imparatus, illum iam transcendentem Alpes in Gallia non esset retenturus, futurūmque esse si pertinacius pacem abnueret, vt Gallus in Italia victor, aureā coronam & sceptrum Romani imperatoris insignia, quæ post Carolum cognomento Magnum Germani proceres adepti fuissent, ab inermi vel mutto pontifice sibi repetendam arbitraretur. Quibus de causis Cæsar non solùm iniurias in præsens dissimulauit, verum etiā fœdus atque amicitiam cum Gallo palàm iniuit. Quæ res sicuti omniū opinionem fefellerat, ita mox Aragoniorum consilia magnopere perturbauit, quū illi Trās-

alpinum pacem Italici belli & cladium suarum initium fore prouiderent. Fœdere cũ Maximiliano Cæsare Germaniscq; percusso, Carolus ad Hispanum regem, vt cum eo amicitiam pacemq; firmaret, se conuertit: quoniam apparebat Ferdinãdum eius animi atque prudentiæ regem, Aragonios consanguineos ac gentiles suos in eo discrimine minimè deserturum esse, nec vtique passurum Gallos, qui aliquando etiam Siciliæ rebus inhiassent, potiri Neapolitano regno, vnde mox angustijs eius freti facilè superatis, facultas inuadendæ insulæ praberetur. Caterum Ferdinãdus cuius tale semper ingenium fuit, vt præsentia commoda quæ à certa rerũ occasione ostenderentur, omnibus alijs suis rationibus anteponẽda esse censeret, neque pacem, neque fœdus detrectauit, modò oppida quæ de Hispanis Galli obtinerent, sibi gratuito redderentur. Tenebant enim Perpennianum ditissimam vrbem in ipso Hispaniæ aditu, qua Pyrenæi mõtes supra Salsulas Narbonense littus attingunt, & cum eo Ruscinnonensem agrum opulentis pluribus castellis florentẽ, quæ ad Gerundam & cæteres Emporias spectant. Ea omnia à Ioanne patre multis ante annis Ludouico vndecimo oppignerata fuerant, quum ille aliter Celtiberico bello in summa rei pecuniariæ difficultate cõstitutus, Caroli filij, qui à se patre regeq; cum multo maxima

maxima nobilitatis parte desciuerat, vim atque impetum sustinere non posset. Verùm Ioannes Gallorum pecunijs atq; auxilijs opportunè adiutus, belloq; ex sententia confecto, quum post aliquot annos collecta atque oblata Gallis ea pecuniæ summa oppida redimere vellet, surdas Ludouici aures semper inuenit, qui opportunitate eius regionis longè maxima captus, parum syncera fide, veteris pacti conditionem, quò minus ea restitueret multis iuris cauillationibus tnoluebat. Vnde postea Ioannes & Ferdinandus filius, quòd sæpius legatos ad repetendas res suas frustra misissent, ad arma descenderũt. Sed ea res parum feliciter armis tentata est, itæ vt Ferdinandus tum Bathico defuncti us bello, quo tantum sibi nominis in re militari vindicarat, valido aduersus Gallos exercitu comparato, ea mox repetiturus esse videretur. Ergo dum Galli omnes Italici belli cupidine deflagrarent, & Carolus retẽtorum contra ius oppidorum infamia permotus Perpenniano cæteris q; oppidis insigni liberalitate decedendum esse decreuisset, omnis cum Hispano controuersia sublata est, fœdusq; solenne ictũ, quo Ferdinandus ac Elisabella vxor nihil se interea, dum à Gallis in Italia bellum aduersus Aragonios gereretur, hostile molituros esse iureiurando promiserunt. Cæterũ Perpenniani, aut solidè, aut certè nimis properè restituti

restituti, grauis inuidia perstrinxit Stephanũ Petitũ, inter præcipuos consiliarios notæ auaritiæ quæstorẽ. Sed et hac pariter arsit Ambrosius Albiẽsis cucullatus, professione sanctitatis à confessione criminum Ludouicum regem expiare solitus: quòd Strunæ, rex Hispanus singulis lagenis signato auro pro vino repletis callidè corrupisset, vt adolescentis regis animo religionem incuterent, contestando scilicet eum impiè facturum, nisi manes patris apud Tartara cruciatos eo atroci piaculo exolueret, quoniam morientis Ludouici suprema voluntas excepta pijs alloquijs fuisset, vt Perpennianum tanquam malè partum veteri domino redderetur. Per hunc modum Hispaniæ atque Germaniæ regibus in amicitiã receptis, quum nihil sibi ab Henrico Britanniæ rege, qui nuper eius beneficio & Gallicis armis memorabilem de Ricardo rege victoriam & Britanniæ imperium fuerat consecutus, in Gallia timendum arbitraretur, tentandos sibi atque explorandos Italicorũ principum animos existimauit. Itaque mittitur Venetias Philippus Argentonius, qui historiam Gallica lingua scitè conscripsit, vt Senatum ad ineundam societatem, & bellum communi consilio aduersus Aragonios gerendum peramplis propositis conditionibus inuitet. Ad Alexandrũ verò Pontificem, Eberardus Obigninus vir Scotus è Stuar-

è Stuarda regia familia bello illustris destinatur, qui ex itinere Ioannem Bentiuolum, Herculem Ateſtinum, Petrum Medicem, Pandulphumque Petrucium conueniat, aditisque singulis vrbibus, quinam hominum animi, quæ vrbium facultates, & quæ demum itinera in Alpibus forent colluſtrando, cuncta oculis diligenter exploret. Veneti qui ex aliorum ruina atque incommodis tantum imperium magna ex parte condiderant, & ipſas semper maturis temporibus gerendi belli occaſiones captando, atque aliena fortunæ circumſpectando euentus, res ſuas amplificare didicerant, reſponderũt. Si rex Gallus in Italiã tranſiret, & Aragonios bello perſequeretur, ſe pro vetere amicitia, quæ ſenatui cum ambobus regibus eſſet, neutris præbituros auxilia, & ab omni prorſus cõtentione abfuturos. Quoniam & ſibi terra marique paranda arma aduerſus Turcas forent, qui proximè peracerbam Dalmatiæ atque Illirici populis cladem intuliſſent, & tum maximè terreſtribus copijs in Græcia coactis, & claſſe deducta inſulis & vrbibus, quas in Peloponneſo atque Aetolia tenerent, Chriſtianis inteſtino bello implicitis imminerent. Porrò Bentiuolus qui eo tempore Ludouici tuſſa faciebat, & Hercules omnium Ludouici conſiliorum particeps, atque vnus ante omnes Gallici belli concitator, Obignino amicam

amicam fidelémque operam obtulerunt, sed id Hercules aliquanto proluxius, quòd per Carolum, ad quem iam Ferdinandum filium amicitiæ obsidem in Galliam miserat, si semel Italia iusto armorũ tumultu quateretur, peninsulam Rodiginam de Venetis recepturum sè confidebat. Florentiæ autem Petrus Medices, quum eum Obignimus deprecando, ne veteris necessitudinis, quæ Medicæa familia & Florentia ciuitati cum Gallię regibus semper extitisset, obliuisci vellet, atque etiam non obscurè bellum comminando, in partes traducere conaretur, negauit se vlla denunciatione periculi fœdus esse violaturum, quod Laurentius pater, Florentinúsque senatus antiqueitus cum Aragonijs regibus percussissent: propterea non debere sibi succensere Galliæ regem si iusiurandum coleret fidémque seruaret, qua violata nõ mediocre rerum suarum periculum esset aditurus: quãdo in tãta propinquitate Aragonij ad vlciscendã iniuriã, sti superioribus tẽporibus ferissent, inferre arma, atque omnẽ Etruriæ statum perturbare facilè possent. Senensès rem Gallicam omni ope se adiuturos esse dixerunt, cæterùm non prius ex tuto se posse profiteri Gallicas partes, quàm validam Gallorum manum in Etruria consisterent, ne ipsi propterea imparati, opportunique iniuria, a Florentinis æternis hostibus suis opprimerentur. At Romæ Obignimus veteri legato adiunctus in senatu grauiter expostuit, quo iure Carolus repetẽdum sibi armis Neapolitanum regnum iudicaret: & subinde Pontificem patrésque hortatus est, vt amicitiã potius quàm Gallorum experiri vellent, qui omni tempore Christianæ religionis antistites cum summa veneratione coluissent: adiecitque magni interesse ad augendam summi pontificis dignitatem exturbari Italia impios & execrabiles tyrannos, qui toties pontificum & sacrosancti eius ordinis tranquillitatem nefarijs armis vexauissent. Erant varia hominum studia. Cardinales procerésque Romani qui priuatæ libidini & factionibus seruiebãt, in diuersas partes trahebantur. Ipsè Pontifex anceps, suspensus cura, quando in pari spe, & æquali metu consilia malè explicentur, in incerto habebat, Gallisne faueret, an Aragonium amicitiam sequeretur. Timebat potentiam propinquã præualidi quo regis, si hostis foret, qui paucis ante annis castra ad ipsa vsq; Romana mœnia promouisset: perhorrebat exaduersó Gallica arma, quæ sine confusione rerum omnium in Italiam euocari non poterãt. Quibus de causis vir eruditus artificio simulationis, modò harum modò illarum partium legatos, alia palàm, alia secreto mentiendo ac pollicendo, ipsa sibi ineundæ societatis mirificè

distra

distinebat: ita tamen vt multi eum ad Aragonios inclinare manifestè sentirẽt. & si quid propensius vel apertius in causa Gallorum diceret, aut faceret, id eo simulante fieri arbitrarentur. Vt anxijs & dubitantibus Aragonijs, amicitiam suam grauioribus impositis conditionibus venditaret. Interea fama grauior indies ac ingens simul cura de aduentu Gallorum Aragonijs crescebat. Nam Venetos, quos multis legationibus ac precibus ad prohibendos Italia Gallos frustra fatigabant, in veteri suo consilio, vt aliena fortuna euentum extra belli discrimen positi ociosè despectarent, permansuros esse dixerant. Nec Cæsar & Ferdinandus Hispanus qui cum Gallis pacem precio pepigissent, quicquam opis vel extremis etiam eorum casibus allaturi videbantur. Quibus de rebus Ferdinandus per eosdem Gennarios, & nouissimè per Camillum Pandonium excellenti dignitate atque ingenio virum, qui ad Carolum in Galliam mittebatur, Ludouicũ aggressus est, vt aliqua conditionũ æquitate proposita molliendo eius animum, ac suæ erga eũ futuræ fidei obsides pollicendo, oritis flamma initia, propter quã omnia mox circum exarsura crudeli incendio forent, restinguí possent. Postremò quum neque Gennarij neq; Pandonius hominẽ insanis consilijs pertinacius insistentẽ expugnare vlla ratione potuissent,

tuissent: ipse triremibus vltrò in Liguriam atque inde Mediolanum ad exorandum placandumq; eum proficisci cogitauit: maturasset q; eo, & fortassis alloquio atque industria communes clades, quæ Italiæ fato destinabantur, auertisset, nisi amici filius q; Alfonsus senem septuagenarium tenuissima valetudine, & super hæc grauibus affectum curis, Hyberno mari minimè committendum esse censuissent. Nec multò post idem Pandonius, postquam Mediolani cuncta improsperè tentata fuerant, cum amplissimis ad componendam controuersiam mandatis ad Carolum in vlteriorem Galliam profectus est. Eorum summa erat, Ferdinandum omnesque Aragonios, fœdus quod sibi cum Ludouico eius patre antiquitus ictum fuisset, omni tempore ac difficillimis præsertim illis tempestatibus, quibus totius fermè Galliæ regulorum conspiratione periculosè admodum fuisset iactatus, sanctissimè coluisse, neque vllas postea intercessisse iniurias, quibus a vetere amicitia diduci alienarique deberet. Propterea iniquum sibi admodum videri, quòd contra se arma pararentur, quando ipse nullo indigniore facto, diuturnæ amicitiæ iura violasset. Quòd si augendi imperij cupiditate inductus, aliquod sibi Neapolitano in regno, quod Aragonijs multis iam pontificum decretis esset adiudicatum, ius esse arbitrare-

tur, paratum se iure potius quàm armis disceptare, ac protinus reiecturum ad arbitrium pontificis regnum ipsum, vt ab eo tanquam æquissimo maximeque prudenti arbitro, sine vlla perturbatione humani generis, omnis controuersia finiretur: Se tum vel aduersum iudicatæ litis euentum æquo animo laturum esse, paternoq; se imperio continuo decessurum, si iure ac legibus iuberetur. Quòd si antiquissimum quodq; tempus respicere, ac ob id incerti Martis fortunam omnino periclitari vellet, Aragonios neq; bellum deprecari, neque magnopere Gallorum arma formidare, qui in Italia toties, & pro ea ipsa causa illatis ininsté bellis, infelices exitus habuissent. Sed Carolum, qui iam sibi cuncta quæ armis aggrederetur omnino cessura esse in animũ induxerat, Pandonium frustra plures dies in aula versatum, atq; exponendæ legationis potestatem sibi fieri demisse postulantem, inauditum dimisit, omnesq; Neapolitani generis negotiatores intra certam diem decedere Galliæ finibus iussit. Pandonius tamen, post quam regijs excluſus foribus, neque officio, neque sibi, vti negotij magnitudo flagitare videbatur, satisfacere poterat, apud proceres cunctosq; eius aulæ ordines, querendo se contra gentium consuetudinem non admissum, concionari in coronis hominum cœpit, ostentando vtilia & decora Gallis de pace

de pace mandata, quibus nomen rex suus subscripsisset, ac Deos regiæ voluntatis testes inuocando, testando q; non suam fore culpam, si pace turbata, cum multa cæde hominum diuina atq; humana permiscerentur: ac obiter, vt erat planè disertus, monendo Gallos, ne adeò incautè Ludouico salutem atque existimationem suam credere vellent: Illum esse fluxa ac temporaria fide, qui proprijs magis commodis, quam alienæ gloriæ vel amplitudini studere didicisset: Neq; eum etiam propter multiplicis affinitatis necessitudinem Aragonijs si certiora eorum relus atq; Galliæ à vi Gallorum pericula imminerent, esse defuturum: ipsumque ac Venetos simul passeros nunquam, vt Gallus deuictis hostibus, rerum in Italia potiatur: Venetos enim cum eo, qui vna animos haud obscurè consociarint, tantummodo experiri cupere, & procul videre quantum Aragonij duces virtutis atq; animi, quantum veteranus eorum exercitus vigoris ac disciplinæ aduersus ingruentium Gallorum impetum sint habituri. Cæterùm quum Mars diu incertus in alterutram tandem partem inclinauerit, ipsos statim ex occasione consilia sua plena calliditatis inclinatæ Fortunæ applicaturos, vt quæ vtrumque mutuis incommodis defatigatum attritumq; consumpserint, ipsi potentes atq; integri, ambobus, quas voluerint belli & pacis proli-

bidine leges imponant. Postremò annales suos Galli euoluerent, & quot insignes clades omni tempore in Italia ipsorum exercitus accepissent, intuerentur: ac demum illud quod omnium sermone vsurparetur, verum esse discerent, Gallorum corpora fato quodam Italiæ veluti propriæ ac gentilitiæ sepulturæ demandari. Interea Alexander pontifex, quum sæpè antea, Gallisne, an potius Aragonijs fauendum foret Cardinales consuluisset, & tum maxime Ascanius Sforția pro Gallis, contrà verò pro Aragonijs Franciscus Picolhomineus Senatus princeps, patribus diductis, summis vtrinq; studijs contenderent, ad extremum pro Aragonijs statuere cõstituit. Ratus se priuatis simul ac publicis rebus ea inclinatione consulturum, quoniam Aragoniorum liberalitate mediocres adhuc filiorum suorum fortunas, ad ampliorem statum perducere, & tueri pontificij nominis, ipsius q; Italiæ dignitatem aduersus infensissimam gentem, vtile sibi in primis, ac demum apud omnes honorificum arbitrabatur. Nec multò pòst Ferdinandus curis & morbo prægrauatus diem obijt statimq; Alfonsus iustis regali pompa defuncto patri persolutis, ad imperium euectus est. Auditæ insuper gratulantium principum legationes, quæ vndique officij causa Neapolim coibant: Regni proceres sacramento adacti, lustratæ copiæ, ingentes pecuniæ

mulctatis acerbissimè populis toto regno exactæ, & cuncta demum quæ terrestri maritimoq; apparatui conducere videbantur, summa cura & singulari celeritate administrata: Missusque subinde Verginius Vrsinus ad Alexandrum, qui leges conditionesq; renouandi fœderis coram pertractaret. Idemq; Pandonius Camillus, qui dudum è Gallia redierat, ad Baiazetem Turcarum imperatorem destinatus, qui doceret, quales quantiq; Gallorum apparatus, qui eius gentis animi, quæ decretæ regis ad inuadendam Macedoniam essent, hortaretúrque Barbarum regem ad transmittenda auxilia, quando vna ea ratione, & tum, & in posterum Macedoniam ac Epirum omni periculo esset liberaturus. Quòd si Calabriæ & Apuliæ oram, quæ proculdubio Graciæ & Constantinopolitani imperij munimenta forent, occupari à validissimo communi hoste pateretur, ipsum serò aduersus victores Gallos, qui continuò in Graciam essent traiecturi, consilia atq; opes suas oppositurum. Postulabat Alfonsus sena millia peditum & equitũ, quæ ipse dum hostis in Italia foret, liberali stipendio esset aliturus. Erat enim præcipuus Turcarum virtutis admirator, vt qui paucis antè annis Hydruntino bello, & mox ad Velitras iusta in acie eorum disciplinæ ac fortitudinis periculum fecisset. At Pontifex ob

eas causas quas supra memorauimus, & cohortantibus maximè Florentinis, cum Alfonsio his conditionibus fœdus percussit, vt ipse Aragonios Florentinosq; illi verò pariter pontificios fines, si bellum ingrueret, certis auxilijs tuerentur. Gothifredo item Borgiæ Carinolæ principatus dono datus, cui & Alfonsi filia obscura matre genita nupserat, Franciscus verò Candianus magno cum stipendio regiæ adscitus militiæ. Ii pontificis filij erant, qui tum ex paternæ fortunæ ad insigne opum atque potentiæ fastigium nitebantur. Alfonsius quoq; paucos post dies coronam, cæteraq; Neapolitani imperij insignia à Pontifice impetrauit, missusq; Neapolim magno comitatu Ioannes Borgia Cardinalis, qui celebri pompa, & sacris de more peractis diademate regem insigniret, reclamantibus Gallorum legatis, qui pontificia concessione præiudicari sibi in ea ambigui iuris controuersia querebantur. Interim Alexander atque Alfonsius, vt Caroli consilia disturbarent, Gallorumque impetum, qui iam omnes ab insita eorum animis belli cupiditate ad superandas Alpes incitabantur, aliquam ex parte retardarent, idoneos homines in Galliam miserunt, per quos secretò primores regiæ aulæ singulis præmia pollicendo, ad impediendam aut differendam expeditionem inducebant: Brissonettoq; in primis rosei galeri dignita-

dignitatem affectanti, si operam suam præstaret, syngrapha cum breui epistola ex fide transmissa, eius insignis sacerdotij honor oblatus est. Nec defuere viri militares, qui iam præcipiti ætate id bellum in proximum ver tempus differendum esse dictitarēt. Nam quæ partim largitione corrupti, partim occultis actis simultatibus, voluntates facilè commutabant. Aliqui etiam studio contradicendi, qui morbus ducum omnium maximè peculiaris est, pleraq; vera, aut vero proxima suadendo, amulorum authoritatem comminuere atque obseruare nitebantur: In his erat Aurantius princeps Miolanius regulus, & ante alios Philippus Dechordes militaris prudentiæ nomine facilè primus, qui accurata oratione omnes eius belli difficultates explicādo, grauem in Italia Autumnum his fore disseruit, qui subitò è salubberrimis Galliæ regionibus Alpes transirent, hyeme autem Apenninū tormentis curulibus inaccessum & penitus insuperabilem, omnesq; Togatæ Galliæ, vel Etruriæ vias, perpetuo luto impeditas & inextricabiles, maioresq; aliquanto quàm ipsi putarent Alfonsi opes, quum in Italia forent, inuenturos, Florentinis præsertim atq; pontifice adiunctis: qui animis ditionisq; finibus coniuncti, summas haberent expediendæ pecuniæ facultates, & maximam Italiæ partem obtine-

rent. Nec satis sibi ad securitatem Gallici exercitus exploratas videri Venetorum voluntates, qui se in neutram inclinaturos partem fallaci quadam specie quietis profiterentur, et arma tamen interim tenere, nec publicam fidem vllis certi fœderis legibus obligare vellet. Ludouicum quoq; Sfortiam è commodo suo latebrosis semper inuolutum consilijs, qui tantoperè ad profectionem maturandam regem accenderet, nihil magis exoptare, quàm Aragoniorum opes sibi admodum formidabiles alieno periculo atritas labefactasq; considere. Caterùm hominem peracutum ac insidiosum, confirmatis rebus suis circunspecturum bellici motus euentum, & Gallos si ita casus ferret, iam demissos in vltimam Italiam, non modò deserturum, sed (quod Dij prohiberent) nouis occultis q; consilijs & palam armis oppugnaturum. Ea enim esse Italorum principum ingenia, vt externis nationibus, et ante alias Gallis, quarum natura implacabilis odio prosequantur, facillimè fidem fallant. Debere esse documento Gallis omnibus tria bella superioris tempestatis cum summo detrimento susceptæ, quum Galli vltrò inuitati à factiosis Italiæ populis, ad Alexandriam, & aliquanto pòst ad Boscum, & postremò ad Genuam, dolo potius quàm virtute superati, Italicæ crudelitatis atque perfidiæ funestam admodum importuno aduentu

suo memoriam reliquissent: proinde Gallici imperij decus, ipsius q; regis & totius Galliæ nobilitatis salutē, incertæ fidei Italorum principum non esse cōmittendam videri. Id verò sē e republica, dignitatéque magnanimi regis existimare, si in Sfortiam arma conuerterentur, atque eo pulso, Mediolanense imperium, vti iura postularent, Ludouico Aurelianensi attribuerent. Tum enim Venetos, aut vi, aut voluntate in belli societatem concessuros: Mediolanum enim totius Italiæ arcem esse, vnde ipsi comparatis tuto amplioribus copijs, & de Neapolitano regno, & de transmarinis etiam imperijs cogitare atque decernere possent. Allobrogum Salassorumque Regulos, qui Sfortiæ infensi essent, in subalpina regione, commeatus atque omnis generis auxilia cupidissimè prabituros: & satis superque validas eas fore copias quæ tum in Gallia paratæ coactæq; essent, ad conficiendum intra autumni tempus Mediolanense bellum. Adepta verò victoria, fertilissimis in vrbibus hybernaturos milites, atque inde eos omnibus rebus instructos, externoq; insuefactos cœlo, ad prima veris signa melioribus auspicijs, nullo metu suspectandæ socialis perfidiæ, quò voluerint penetraturos. Hæc apud regem in concilio, & passim in regia domo & frequentioribus procerum conuiuijs, summa dicendi libertate disserebantur.

Nam Ludouico Aurelianensi, qui postea regnum Galliæ & Mediolanense imperium adeptus est, complures ingentibus studijs fauebat, & Sfortiam, vt sunt Galli fermè omnes naturæ aperti, & de alio facilè suspicaces, propter vulgatam eius prudentiæ opinionem, veluti callidi occultiq; ingenij hominem oderant, & regi suspectum reddere conabantur. Nam Pandonij conciones apud omnes habitæ, cunctis propè eum inuisum reddiderant. Accidit quoque per eos dies ad suspitionem augendam, vt Ioannes Mattaronius apud Petrum Medicem Caroli legatus, Ludouicum Sfortiam consilia perfidiæ plena agitare significaret. Nanque Petrus Medices, quum apud se Stephanus Tabernius, qui pro Ludouico legationis munere fungebatur, secretiore in cubiculo de magnis rebus disputaret, Mattaronium turpi quadam, aut certè parum virili astutia sub aulcis condiderat, vt illo audiente arcana omnia Sfortianiq; animi recessus, quæ Tabernius ignarus fraudis ingenuè proferebat regi Gallo proderentur. Quæ res, sicuti Bernardus Oricellarius, qui tum Florentiæ publi. concilijs interfuit, in historijs asseuerat, Ludouico apud Carolum incertæ voluntatis vel perfidiæ ignominiam conflauit. Postulabat Ludouicus a Medice Florentinis q3, ne Alfonsum cõtra se iuuare vellent, nec cum eo commiscere res suas prope-

perarent: coactum se minis atq3 iniurijs Aragoniorũ, aduersus eorum vim externa præsidia comparare, quibus dignitatem atq3 salutẽ tueretur: Non esse se adeò insano perditóue consilio, vt Gallorum gentem in Italia dominari velit, quæ sibi in primis magnitudine virium atque ambitione latius imperandi esset suspecta, & maioribus suis infensissima semper extitisset: Posse eos qui & vim & authoritatem ad cogendum haberẽt, monere ac inducere Alfonsum, vt à vi paranda minis q3 desisteret, & Mediolanensium rerũ tandem obliuisceretur, quarum negociũ Aragonijs rationibus esset penitus alienum: Debere Alfonsum fortunæ suæ ac desiderijs abundè satisfactum arbitrari, quòd Neapolitano regno potiretur. Id si Florentini enixè curarent, & Alfonsus salutaribus consilijs obtemperaret, se protinus Gallorum expeditionem interpositis difficultatibus impediturum, foréque, vt sua industria omnis Italia eo metu atq3 periculo liberaretur. Quòd si obdurarẽt, nec longè prospicere vellent, dum facultatem conseruandæ salutis haberent, se consulturum rebus suis: omnem q3 eam tempestatem quæ ab Alpibus immineret, pro auertenda clade, in alienos agros effusurum. His fermè sermonibus exceptis, Mattaronius regẽ proceresq3 monuerat, vt cautè ac maturè de expeditione accelerãda pro

de propter dubiam sociorum fidem deliberarent. Quibus omnibus de rebus, quas superius commemoraui, magna est in ipso rege ac ducibus voluntatum facta commutatio. Nam qui bellum tantoperè suadebant, pristinum illum ardorē magna ex parte ita remiserant, vt terrestres & nauales apparatus tanto omnium studio cœpti, præfectis plura admodū tepidè administrātibus, intermitti viderentur. Eius rei fama Ludouicum vehementer perculit, quum sibi & Ascanio fratri timere cogeretur, Aragonijs iam tum ad gerendum bellum abundè instructis, nisi Carolus eo autumno transire alpes, atq; eos inuadere maturaret. Igitur in eam adductus solicitudinem, Galeacium Sanseuerinum ducem generumq; suū in Galliam cum ornatissimo comitatu ad Carolū mittit: qui publicè orando ac priuatim largiendo, magnaq; equitū auxilia, plures naues, ingentemq; pecuniā in subsidium decreti belli pollicendo, aduersos de se rumores extingueret, regemq; & cæteros proceres confutatis suspicionibus, difficultatibusq; sublatis pristinæ spei restitueret, atque eos ad superandas alpes, quanta maxima fieri celeritate posset, hortaretur. Quæ legatio ipsius regis atque omnium erexit animos, & breui maximū bellicis administrationibus, quæ vel incuria vel vltrò negligēter omnibus fermè locis refixerant

rant momentū attulit. Nec diu in Gallia cunctatum est: nam longarū aliarumq; nauium classis Massiliæ deducta exornataq; est oneraria spectatæ magnitudinis ab Armorico Oceano in mare nostrum accitæ: & prima peditū agmina cum nouo, ac ob id maximè formidabilis æneorum tormētorum apparatu ad Cottias alpes præmissa sunt. Dum hæc in Gallia parātur, Iulianus Rouereus Ostiensis Cardinalis, qui postea ad Pontificatum euectus, Italiæ & toti fermè Europæ magnorum motuum causam præbuit, dum insidias pontificis perpetui hostis sui vereretur, clam celeri nauigio ab Ostia in Galliam profugit. Eius aduentu regem magnoperè lætatum ferunt, quoniam per eū qui potētia atq; authoritate inter Patres plurimū valeret, Alexandri pontificis consilia se vehementer turbaturum arbitrabatur. Siquidem plerique è Patribus non deerant, qui eū vitio creatū dicerent, & propterea quòd sacrosanctum eius dignitatis fastigium sibi pretio quæsiuisset, veluti damnatum ambitus lege, omnino gradu pellendum esse iudicarēt. Igitur Iulianus vti erat inquieto vehementiq; ingenio, apud regē ac proceres pontificis atq; Alfonsō cunctis artibus odium inuidiamq; conflare, concitare eis bellū, victoriam terra mariq; perfacilē fore pollicerī, ac demum, qui militia vsus in Italia, quæ cōsilia

& facultates sociorũ atque hostium essent, earum tum rerũ imperitos & rudes Gallos sigillatim perdocere contendebat. Ipse verò Ludouicus iam supra quingentos grauis armaturæ equites ad signa vocauerat. Genuæ sex triremes, quatuorq; trium millium amphorarum onerarias naues tormentis armisq; instruxerat: coëgerat vndiq; pecuniam ad supplenda Gallorũ stipendia, & magnã vim omnis generis cõmeatus, qui terra mariq; diu turno etiã bello sufficerent, in opportuna loca contulerat. Romæ quoq; per eos dies ab Ascanio Cardinale atq; Obegnino, Prosper & Fabritius Columnæ, & è Sabella gẽte, Vrsinisq; aliquot obscurioris nominis duces: itemq; Ioannes Rouerius Iuliani Cardinalis frater cũ singulis equitũ turmis Regio Sfortianoq; stipendio addicti: cæterum iussi nõ prius ostentare arma, aut Gallicarum partium nomẽ profiteri, quã Ostiæ vel Neptuni ad Antiũ regia classis appropinquaret, ne ipsi interea, si studium suũ nudarẽt, à pontifice atq; Aragonijs, quorũ copiæ iam instructæ in cõspectu erãt opprimerentur. Sed dum Columnij in Vrbe, & in Latio præsertim, vbi eorũ sunt clientelæ, secretis admodũ stipẽdijs equites conducũt, & denique omnia in aduentũ Gallorum ad mouendum bellũ dissimulanter parãt, Alexãder ad oppugnandam Ostiam Nicolaũ Vrsinum Petilianum

lianum misit: tenebatur enim Iuliani præsidio summãq; habebat opportunitatẽ ad suscipiẽdas Gallorũ classes vrbẽq; ipsam obsesso ac intercluso mari, fame & multarũ rerum inopia subigendã. Perstitere aliquandiu in fide præsidiarij, cũ Petilianus maioribus tormentis arcem contenter oppugnaret: Verum mox vrgenti vitæ periculo adducti, ea conditione arcem dediderũt, vti senatui Patribusq; publicè custodienda, donec Iulianus ad officiũ rediret, traderetur. Verũ nõ multis interpositis diebus eadem arx quæ multo militũ labore partæ fuerat, dolis atq; ausu duorũ militum recepta est, qui ab Ascanio ac Prospero haud dubiè summissi, simulata amicitia custodem arcis in lectulo quiescentẽ cõprehenderũt, & Colũnios milites ex cõdicto ab oppido ad arcẽ conuolantes præsidiarijs terrefactis introduxerũt: Vnde postea tantis incõmodis rem Romanã atq; ipsum põtificem Guerra Monaldus afflixerit. Conatus est Alexander, qui eã iniuriã doloremq; animo sustinere non poterat, Ostiã suis quoq; artibus recuperare, Ascanio & Prospero sub specie componendarũ rerũ fide data in Vrbem euocatis, atq; his continuo in Hadriani molem coniectis. Verũ illi paulo post carcere sunt emissi, quum ob insolatã fidem auxilia à Dijs ac hominibus, & præsertim ab aduenante Carolo per Ludouicum Sfortiam implorarent

rarent. Iisdem fermè diebus Alfonsius ut coram de bello consultaret, ad Pontificē qui tum in Tyburti ad Vicum Varronis secesserat cum duabus expeditorum equitum alis peruenit. Affuere concilio Florētinorum legati, Cardinales q3 omnes, præter eos qui Ascaniū secuti, Gallicis rebus fauebant. Ferunt, Alfonsum quum pro se fortiter & magnificè, tum pro Italiæ salute prudenter atq3 diuinè peroraſſe, omniumq3 animos eius oratione ita esse permotos, ut Pontifex nulla interposita dubitatione nō modò bellum quod ingrueret constantissimè sustinendum, verum hostes audaciori cōsilio, illatis vltrò armis præoccupādos esse decreuerit. Erat apud Alexandrū Paulus Fregosius Cardinalis Genuæ ab Adurnijs pulsus: is per Hybletū Fliscū clientes q3 suos & nobiles aliquot Fregosiæ factionis ciues, qui Adurniorum potentiæ infensi erāt, se Genuam erecturum. Adurnijs occupaturū pollicebatur, si ante Gallicarū nauium aduentum ac priusquam Sfortianæ triremes planè exornari, vel maiora præsidia terrestri itinere ab vlteriore Gallia Genuā adduci possent, ipsi expedita classe in Liguriā aduolarent: fore etenim ut ad primum Aragoniæ classis aduentum cuncti inferioris Liguriæ populi, ipsiq3 Genuenses metu aut voluntate studia cōmutarent. Nec aliam postea Gallos gerendi belli rationē inuēturos si

Genuæ

Genuæ cæterisq3 peropportunis Liguriæ portubus excluderetur. Itaq3 Alfonsus Neapolim reuersus Ferdinandū filium, in quo mirifica indoles militaris virtutis eminebat terrestribus copijs, Federicum verò fratrem toti maritimo negotio præfecit. Cæterū Petilianus, Alfonsus Daualus Piscariæ Marchio, & Ioānes Iacobus Triuultius, qui tum peregregij duces erant, & postea omnibus bellis cum summa imperatoriæ virtutis laude claruerunt, Ferdinando attributi sunt, ut alacriores in iuuene spiritus maturo consilio temperarent. Is è Campania per Marsos & Sabinos Apenninū transgressus, adiunctis q3 sibi in Vmbria pontificijs aliquot turmis, per Aemiliā in Fauentinum agrum, ut inde Cisalpinæ Galliæ fines inuaderet, cōtendit. Porrò Federicus è Baiano sinu cum triginta quinque triremibus, & quatuordecim onerarijs, multis q3 minoribus nauigijs profectus, lenissimis vsus tempestatibus, Liburnum quod olim fuit Labronæ statio, citra Arni ostium peruenit. Affuere illi Petrus Medices, legatiq3 Florentini, & magna pars ciuitatis studio visendæ classis eò profecta, certatumq3 est hinc inde liberalitate atq3 modestia. Cæterū repletis omni rerū copia naualibus socijs cū secundi perflarent venti, classis Liburno edicta in Lunensem orā cursum tenuit. Erat in conspectu Portus Veneris oppi-

dum, quo si potiretur Aragonius, alios posteà eius oræ populos parvo negotio in ditionē eius concessuros apparebat. Id in faucibus Lunensis portus ad lævum positum est, cōtra eam insulam quæ portui obiecta, ab ipso memorabili Veneris templo, summā olim amœnitatis & religionis famā obtinuit. Hinc sinus ipse admirabili flexu Latissimè introrsus aperitur, panditq; se ad latitudinē quadraginta stadiorū, ac demum curvatus in plenū orbem, ad portū Erycis & Coruum Lunæ promontorium extenditur, minores passim portus, & tutæ obiq; stationes efficiēs, multis procurrentibus in mare apricis collibus, quos frequentes rivi altioribus delapsi iugis, & nemorosæ passim valles, amœnissimo quodā naturæ ordine distinguūt. Medio in sinu Spedia est, oppidū piscosū ac amabili vino maximè nobile. Ad dextrā autē nō longè ab ostio Macræ amnis, Erycus vicus traiectu admodū recto Veneris insulam, at q; ipsum portū contrà respicit, ab eo quo in Sicilia est Eryx haud dubiè cognominatus. Igitur Federicus ad tentandā oppidanorū fidē, Fregosinū Pauli cardinalis filiū Aloysiūq; Rapollū consiliariū suum singularis industriæ hominē in oppidū præmittit, qui eos ad deditionē faciendā, & Fregosios, quarū partium nomē ipsi naturali studio colere consueuissent, portu aut oppido recipiendas adhortentur: ac mone-

monēāt ne inani & mox nihil profutura pertinacia, in summæ periculū quod à validissima classe statim immineret, sese ac fortunas suas deuocare vellent. Præerat oppido Balbus, qui è Cisalpina Gallia trāsuersis Apēnini iugis, eò cū delecta peditū manu, singulari celeritate cōuolarat: Cum paulò ante Ludouicus ad famā Aragoniæ classis, singulis totius oræ oppidis opportuna præsidia diligēter imposuisset. Is oppidanorū fidei & virtuti militū cōfisus, respondit eam esse omnium Ligurū consuetudinem vt nunquā in potestatē noui principis voluntate concedāt, quādiu illi sint incolumes qui rerum Genuæ potiātur: Quòd si externa vi aut aliquo ciuili tumultu accidat, vt præsentium rerum status perturbetur, ipsos tum absq; defectionis infamia victoribus cedere, quorū fortunā ex publico ciuitatis euentu sequerentur: proinde non debere sibi iratos Federicū, si ipsum oppido portuq; recipere recusarent, quum Adurnium Sfortianumque imperium Genuæ, totaq; Liguria vigeret, pro quo ipsi extremæ sustinere parati essent, ne primi omnium perfidia aut metu defecisse videantur. Dirempto colloquio, Aragonij indignantes quòd oppidum muro debile & facultatibus modicum, tantæ classis vim atque impetum morari auderet, confestim arma expediunt. Triremium proras admouent, cohortes

euectæ maioribus scaphis sub signis in proximum litus desiliunt, atque oppidũ terrã mariq; ẽno tempore expugnare adoriuntur. Contrà oppidani misti militibus frequentes in muro esse, egregiè omnes propugnare, in classem è propugnaculis faces ac tela omnis generis iaculari, in subiectos qui scalis ascendere conabantur ingentia saxa prouoluere: ipsæ mulieres singulari audacia in murum arma, tigna, lapides comportare, solari saucios ac defessos, ac demum cuncta nullo virili officio prætermisso, laborantibus subministrare: ipse Baltbus ingenio velox & manu promptus, huc & illuc pugnando atque adhortando ferebatur. Tormenta minora pro ea copia quam nactus erat idoneis in locis, vnde hostiũ milites qui descenderant, & turbæ nauales destin. ato scriri possent industriè collocabat: neq; interim tormenta maiora nauibus emissa cessabant: Aragoniiq; admotis triremiũ prorisce rtatim in terrã desilire conabantur. Sed oppidani nouo æstu, authore Frandaia prædone insigni, à quo demum sene locus litoris cum risu nobilis ostentatus est, scopulos saxaq; de industria ad exiliendum in litore antiquitus collocata, multo seuo conspserant, ita vt milites saltu incitati desilire properãtes, labentibus extẽplo vestigijs in mare, interq; eminẽtes petras cum summa propugnantium voluptate, & multo

omniũ risu præpedientibus armis laberentur. Pugnatum est continenter horis septem pari virtute: Verùm ingruẽte nocte, quum Aragonij, qui & iniquo loco, & sine idoneo apparatu pugnauerant, frustra omnes aditus pertentassent, nonnulliq; eorũ occisi, plures cõsauciati, cæteri æstu & labore defatigati essent, et Iulius Vrsinus qui cohortibus præerat, lapide ictus prælio excessisset, se ad naues relicta oppugnatione receperunt. Ea nocte quæ secuta est, Federicus, sublatis anchoris, Clauario vico classem appulit, mox inde citata remigatione in Rapallinum sinum profectus est. In eo situ est Rapallum oppidũ ædificijs admodũ frequens, quod æquali fermè spatio à Delphini portu, & à Segesta Tigullorum distat. Id in duas regiones diuiditur, quarũ altera vocatur Guelpha, altera autem Gibellina à vetere factionũ appellatione, quib. sese Ligures omni tempore ad lethalem insaniam exercuerunt. Aragonij nemine impediẽte expositi in terrã, celeriter q; electo præsidio quod paucorum erat militũ, oppidum occupant: idq; tumultuario opere ad sustinendũ hostium impetum, quod sine muro erat, cõmunire celeriter parant. Nec multo labore milites montaniq; homines, quos Hyblettus & Fregosinus è proximis castellis reuocauerant, munitiones circumtulerunt. Erat earum ratio sicuti tum optima, ita nunc ma-

ximè ridenda. Furcis enim crassioribus solo defixis, ita vt ad vmbilici mensuram extarent, longissimæ trabes continuato ordine confixæ clauis imponebantur. His se ab omni repentino hostium incursu tutos ac munitos esse antiquiores existimabant, ac pro his tuendis, cum eas transcendere aduersarij niterentur, acerrimè præliari consueuerant, felici admodum tempestate, qua militū virtus nullo tormentorum obiecta periculo ex ipsis virium & dextræ fortis operib. veluti ludicro in spectaculo, certa cum laude notabatur. At Genuæ ipsi multo antea de hostium classe cognouissent, terra mariq; arma parabantur. Iam q; Aurelianus Ludouicus, qui primus alpes fuerat transgressus, ab Asta Colonia suæ ditionis Genuam peruenerat: eumque fuerat subsecutus cū septem Heluetiorum cohortibus Antonius Basseius, quem à Magistratu in Heduis gesto, Diuioni Bailiuum vocabant: Is & Germanicam callebat linguam, & summus artifex tractandis Heluetiorum ingenijs habebatur. Antonius quoque Maria Sanseuerinus inter Sfortianos duces egregiè strenuus, alam suæ equitum, & cohortes duas veteranas adduxerat. Adhæc onerariæ duodecim, & decē & octo triremes militibus complebantur: cuncta apud omnes erat opinio, Aragoniam classem quæ remigio tantum valeret, posse à maxima atque

atque validissimis Ligurum Gallorumq; nauibus facilè superari, si aliqui ab Occidente perflarent venti. Nam per eos dies tanta malacia vbique fuerat, vt in ea maria mirabili tranquillitate constrata, nulla penitus facultas educēdæ classis alicuius auræ beneficio præberetur. Neque ea res Federicum vel Aragonios trierarchos fallebat, qui ne classis aduersis Austri vel Africi flatibus in intimū sinū adigeretur, quo in loco effugijs desperatis omnino pereundum foret, exposito statim exercitu, ac prouisa maris commutatione, triremes in altū extulerant, vnde hostilis classis motū euentumq; suorum qui ad oppidum castra habebant, parati in vtriusque fortunæ cōsilium despectarent. Porrò Adurnij & cæteri Galli duces postquā Aragonios ad Rapallum considere nunciatum est, inter se rei gerēdæ munia partiuntur. Aurelianus classem conscendit, in altumq; eā promouet, vt implendis velis terrestri aura potiatur, reliqui copias educunt, & prout libido cuique fuit, Itali fermè omnes terrestri itinere, Heluetij lembis actuarijsq; nauigijs Rapallum proficiscuntur. Id abest à Genua viginti passuū millibus, verùm iter adeò concisum, confragosumq; est, adeoq; angusti in arduis rupibus calles existunt, vt equites armatos, nisi summa cum difficultate nō admittant. Peruentum est in conspectum Aragonio-

rium, magna adhuc superante diei parte, quòd per noctē & vitandi æstus & fallendi hostis causa iter illud tempestiuè confecerant. Erat proxima oppido satis lata planities, vbi quum duces castrametari inciperent, quippe qui ea nocte conquiescere, & inalbescente cælo recreatis militibus hostes adoriri decreuerant natæ est paucorū audacia & temeritate occasio committendæ pugnæ, sicuti plerunque accidit, vt prælia casu potius quàm certo ducum decreto conserantur. Sforciani nanq; milites in proximum hostilibus castris tumulum ad tendendū processerant, vt ante alios pro gloria inter prima pugnæ pericula decertarent, quòd vniuersi agminis frontem ipsaq; principia, propter inueteratam bellicæ laudis opinionem, tot asteris quæsitam bellis sibi deberi honoris loco existimabant. Id non tulere Prætoriani, quòd sibi nimia sociorum arrogantia probandæ virtutis atque operæ facultas eriperetur: cùm præsertim in oculis Genuensium, ac ipsius Ioannis Adurnij ducis sui, apud quos tot opima stipendia ociosa in pace meruissent, pro laude saluteque foret dimicandum. Erant ij quadringenti fermè veterani omnes & gladiatores eximij, qui sæpius in acie singulariq; certamine fortiter pugnando, spectatæ virtutis fama ac vberiora stipendia fuerāt consecuti. Sumptuosa omnibus vestes, & splendida arma cōspicie

bantur, vt pote qui vrbanæ militiæ assueti, nihil ad ornatum prætermittebant. Videre erat penulas militares coccineas aureis circūdatas limbis, argenteos passim gladiorū capulos, inauratæ scutæ, thoraces serico purpuraq; contectos: ita vt milites qui hodie modico & vili admodū corio pro veste contenti sunt, despicientes tanquā egētissimi eorū recordatione videātur. In his erat Antonellus Potētianus Beuilaqua Insuber, Franciscus Nardous, Auanzinus Cassiana, Thomas Firmanus, Honofrius Calaber, ipseq; Salernitanus cognomēto Prauus, & complures alij insignis audaciæ centuriones, qui ordines superioribus bellis in Italia duxerant. Ii itaque cùm totæ acie fremerent, tumq; locū sub ipsis hostiū munitionib. à Sforcianis occupari vehementer indignarētur, raptim omnes vesano gradu, ac vix seruatis ordinib. vt aquiorē supra Sforcianos locū anteciperent, versus castra hostium contenderunt. Nec dubitauere Aragonij, rati eos ad oppugnādas munitiones approperare, quin continuò erumpēdum & collato pede reprimendā subeuntium audaciam iudicarent: quoniam & ipsi temeritate persimili intra munitiones repugnare parum decorum putabant: præsertim quum amissum decus ad portum Veneris, egregio aliquo facinore edito resarcire cuperent ad retinenendam virtutis opinionem, quam de se

apud omnes iactatius prædicando totã ea nauigatione præbuissent. Nec mora, disiectis statim trabium repagulis, patefactoq; exitu, insessis signis euolauerũt. Accinxere se prælio Prætoriani, quanquam Aragonios munitionibus egressuros esse minimè putarant, concursumq; est inopinãtibus omnibus, ac diu maxima contentione dimicatum. Vtrique duces quorum nullum ea die fuit imperium, postquam neque arte, neque consilio, sed promiscua temeritate omnibus locis pugnabatur, summittendo auxilia, adhortando quos regere non poterãt, ac demum ipsi capessendo pugnam periculo suorum militum occurrere nitebantur. Ad extremum Aragonij neque Sfortianorum Virtutem, neque Prætorianorum impetum tulerũt: loco etenim pulsi, & deiecti eo ponte qui diuersas oppidi partes interfluẽte riuo disterminat, terga vertere. Fusos fugatosq; totus exercitus perruptis eorum munitionibus persecutus est, ingensq; ea die pro numero hostium cædes facta. Nam Heluetij qui tardius aduenerant, stratos à Prætorianis & vulneratos barbara crudelitate mactabãt. Ab his quoque nobilis captiuus, quem Aloysius Fliscus Vnus è ducib. in equi clunes sustulerat, vt in pacatum abduceret, cum maximo ipsius conseruatoris periculo trucidatus est: quanquam Aloysius sua claritate omnibus notus esset, vt qui Genuæ cuncti

ctis interfuerat consilijs, & tum magna aduersus Aragonios fratremq; Hyblettum auxilia montanorum adduxerat. In eo tumultu Hyblettus ipse prælio effugiens cum ea manu agrestium, quam ex ditionis suæ castellis accitã circa se præsidij causa habebat, asperis inusitatisq; tramitibus, per Lauaniæ amnis, quæ Entella olim fuit, valles mõtesq; profugit. Iulius Vrsinus Fregosinusq; vulnere tardatus, & Orlandus pariter Fregosius capiũtur, magnaq; Aragoniorũ multitudo proiectis armis deditæ est. Pauci ex victoribus interfecti, sed in his Auanzinus Cassianus inter fortissimos centuriones annumeratus, & ex Sfortianorũ Prætorianorumque numero supra sexagintæ grauiter vulnerati discessere. Hinc ad prædã discursum, totumq; oppidum nullo discrimine amicæ partis ab Heluetijs direptum, nullum Aragonijs ad mare, nisi paruorum admodum lemborum beneficio, effugium patuit. Quoniã Federicus ab alto Ligusticas conspicatus naues, quæ secundo vento ferebantur, & iam tormẽta proculeminabrabant, in pacatiora litora ad Arni ostium & Liburnum retrocesserat, vnde mox etiam aduerso rerum euentu consternatus Neapolim repetiuit. Fuere tum complures qui eius amplissimæ classis tanta impensa tantoq; studio comparatæ, vanos conatus & fœdum exitum riderent. Sed contrà nõ deerant

vsu

Vsurerum periti atque prudentes, qui nullis addicti partium studijs omnibus lugendũ esse iudicarent, quum ab his rerum initijs supremas ac miserabiles ruiturę mox Italiæ clades ominarẽtur. Profligatis Aragonijs, exercituq; Genuam reuerso, cum maximo externorũ militum discrimine in Vrbe tumultuatum, cum Heluetijs Gallisq; prædam venditãtibus, Rapallini vestes, vasa, supellectilemq; suã passim agnoscentes, implorato ab amicis affinibusq; auxilio, res suas repeterent. Hinc ab iurgijs ad arma populari furore discursum est, puncto q; temporis diuersis in Vrbe locis nonnulli ex Heluetijs & Gallis trucidati, proculdubio q; ea die externum militem incitata plebis insania deleuisset, nisi Augustinus atque ipse Ioannes cum prætoria cohorte in publicum egressi, circummissis præconibus, audacioribusque correptis, atque his protinus ad exemplũ laqueo suspensis, irata ac sæuientis multitudinis impetum repressissent. Rapallinæ victoriæ nuncius, & Ludouicum incredibilis affecit lætitia, & Carolũ veluti certo iam victoriæ omine accepto, ad maturandum in Italiam solicitauit. Iam tota fermè Heluetiorum multitudo per Graias Alpes in Vercellensem agrum descenderat: & Obegninus cũ valida eorum manu atque ala sua Britannica, & trecẽtis fermè Gallis equitibus cataphractis in Flaminiam

miniã processerat: Quo paulo antè ad iungendas vires Ioannes Franciscus Sanseuerinus Calatiæ comes fuerat profectus. Is tũ Sfortianis copijs imperabat, in queis grauis armaturæ equites sexcenti, & termille pedites veterani censebantur. Quibus viribus in vnũ coactis, vt Ferdinandi conatibus obuiã irent ad Fossam Giliolam in finibus Ferrariensis agri munitissimo loco castra posuerunt. Hisdem fermè diebus Ferdinandus è Viterbo, vbi cũ Petro Medice apud Vitellios hospites fuerat collocutus, Molliorib. Apennini iugis in Fauentinũ agrũ trãscendit. Erãt eius copiæ equestres fermè omnes, equorũ virorumq; robore præstantes, & apparatu longè omnium ornatissimæ quib. vt primũ in Aemiliã est deuentum, conscriptis vbiq; cohortib. supra sex millia peditũ adiunxit ex Bononiensibus, hisq; populis quæ Aenemonis vallẽ & sinistrũ Apennini latus incolunt. Eorũ erant præfecti viri fortes, Dionysius Naldus & Vicentinus eius frater. Præterea aderant Guido Vrbinatiũ & Ioannes Sfortiæ Pisaurensiũ reguli. Accessere quoq; ex pontificijs tres equitũ turmæ, Serræ Hispani nobilis ductu: ex Florentinorũ quoq; copijs quadringenti vtriusq; armaturæ equites, quibus Annibal Bentiuolius imperabat. His viribus Ferdinãdus in Parmensem agrũ irrũpere se posse crediderat, adiuuãte vel permittente Ioanne

anne Bentiuolo: quē tam Alexander Pontifex a Ludouici Gallorūq; amicitia magna ex parte dimicabat, cùm Galeacio eius filio purpurei galeri honorē, cæteris item filijs vberiora stipendia promisisset. Verū Bentiuolus ob res in Liguria infeliciter motas, & Federici fœdā fugam: itemq; Caroli celeriorē opinione omnium aduentum, & Obegnini Calatiniq; præsentes exercitus, quādo ex ipsa belli fortuna hominū voluntates facilè permutātur, omnē initi eius consilij cogitationē abiecit. At Ferdinādus ab Sapt amne vbi per aliquot dies castra habuerat, in Fauentinos campos eo cōsilio progressus est, vt cū primū dimicandi facultas præberetur, statim cū hoste confligeret, quòd & regem transire alpes, & se mox imparē eius viribus si Galli Sforttianiq; totæ belli mole simul incūberent, futurū esse intelligebat. Cōtrà Obegninus & Calatinus, qui illā eadem tempestiuis admodum consilijs prouidebant, ne inuiti ad summæ rei certamen traherentur, obnixè studere, in palustribus semper ac fossa munitis locis castra metari: ostentare tamen copias ad famam opinionemq; hominum retinendam, sed aciem nisi loco hostibus iniquo nunquam explicare, ita vt tantùm ab leui armatura quotidie pugnaretur. Oblata tamen est occasio haud semel prælij committendi non longè à Sanctæ Agathæ oppido, quum vtrique duces ex itinere in

re in proxima prata processissent: quæ tametsi pluribus fossis à cultoribus perductis & directis ad lineam salictis aliqua ex parte erant impedita tamen ad confligendum satis opportuna videbātur. Intererat fossa mediocris inter vtranq; aciē: hanc vt Aragonij transirēt, Obiginus & Calatinus expectabant quippe qui illuc eo se consilio venisse meminerant, vt Ferdinandū si in Aemilia moraretur, leuibus prælijs distinerēt, nū quā vniuersæ pugnæ aleā subirēt, sin in Galliam Cisalpinā ire cōtenderet, ipsi ijsdem vestigijs abeuntē persequerētur. Petilianus autē, vt ab aduersarijs transeundi initiū fieret, opperiri, & se minimè comissurū dicere, vt in ripis impedita fossæ de Neapolitano regno dimicaretur. Vir enim natura tantus, & minimè pugnax, qui prouidere potius ne vinceretur quam alios superare didicerat, quū Italis Heluetios pedites anteferret, Sforttianos suis pares, Gallos verò equites quorum virtutes adhuc erat incognita, si non optimos, longè tamē acerrimos putaret, & tormenta aenea, qua parte Galli plurimū valere dicebātur, maximè vereretur, nullo modo vt vniuerso certamine cōfligeret adduci poterat. Contrà Trivultius, et acer & pugnæ auidus Heluetios ab se Rhenatoq; fratre paucis ante annis supra Domossulā iusta acie superatos cōmemorare, Italos equites Gallis omnibus terrori esse

cum

cũ ipse in Gallia regulorũ bello iuuenis interfuisset, abũdè testari, tormẽta in acie quod antea nunquam cernerentur, ac demum si manus conserere cogerentur, victoriã polliceri. Quod si cuncta pericula, quæ ab infinitis penè casibus oriri possent, pensando ac dubitando occursura sibi arbitrarentur, vincendi occasionem per incuriã amitterent, ac paulo post tantis hostium copijs, quæ rege duce ab alpibus imminerent, futuro impares, & mox regnũ cum summo ignauiæ dedecore, quãdo nulla reliqua spes salutis nisi in turpi fuga futura esset, amissuros. Sed Ferdinandus quanquam Triuultij præsaga mente de belli exitu proloquentis authoritate moueretur, Petiliano tamen assensit, ne ipse qui pugnandi studio deflagrare videbatur, si aduersam prælij fortunam experiretur, spreto cautis ducis consilio, inexpiabilem funestæ temeritatis infamiã apud Alfonsum patrem, ipsumq; pontificem subiret. Itaque in munitiora loca ab vrisque concessum. Sequentibus verò diebus quum Triuultius parandæ victoriæ facultatem, ab his quì inmatum timorem prudentiæ nomine contegerent, amissam quereretur, eiusq; sententiæ Alfonsius Piscarius accessisset, Petilianus à Bartholomeo Liuiano familiari suo (is tũ alã equitũ ductitabat) qui posteà summos militiæ honores adeptus est, quotidie oppugnaretur, vt cũctari desineret, & rẽ prælij fortunæ tandem committeret, decertare statuerunt. Sed à conserendo prælio aliena mens hostibus fuit. Nam tametsi per præcones ad pugnam prouocarentur, nunquam tamen castris copias eduxerunt sic, vt ludificati varijs artibus, Aragonios, quum leuis eorum armatura propius munitiones accessisset, emissis subitò pluribus tormentis eam inde cladis metu recipere sese, & confestim terga dare coëgerint. Liuianus tamen triduo post, alam vnam Gallorum equitum longius è castris ad sanctæ Agathæ oppidũ progressam noctu adortus, cæsis captisq; pluribus equitibus, magna ex parte deleuit. Cæterùm Ferdinandus postquam hostem inuitum non posse elici ad pugnam videt, ad Fauentiam promouet castra, eaq; sub ipsis mœnibus latissima fossa per quam Anemonis partem corriuarat, alijs q; præaltorum aggerum magnis operibus communit, vt amica vrbis copijs vtatur, tutoq; in loco Germanorum auxilia, quæ sibi è Sueuia & Vindelicia adducebantur, expectet, atq; interim ad motum aduentantis Galli regis. Vti pater ac Alexander monuerant, iussa capessens, melioris fortunæ consilia sibi sequatur. Interea Carolus è Gratianopoli Coctijs Alpibus in Italiã transmisit. Fuere olim Cottiæ quæ nunc montis Genebræ culmina nuncupantur, vt alijs diffusè

monstrabitur, quum ipsis Alpibus, sicuti & ceteris orbis terrarum clarioribus locis, pro recentibus & semibarbaris nominibus antiquiora vocabula passim reddemus. Descendentem Astã Colonia excepit, omnique rerum copia abundantibus eius regionis oppidis, milites sese largè & gratuitò recrearunt. Processerat Astam Vsq; honoris causa Ludouicus, vxorem Beatricem cum lectissimis Insubrum fœminis adducens, quibus rex iuuenis oblectaretur. Sed is non multò pòst ad insoliti cœli commutationem aliquandiu vehementi morbo conflictatus est, quum crumpentes pustulæ vti sæpe pueris accidit, artus & faciem defœdassent. Verùm mitescente Autumno, & recepta subinde valetudine, Ticinum vrbem, quam recentiores Papiam appellarunt, contendit. Ibi regio apparatu, & exquisitis honoribus à Ludouico in arce susceptus est. Laborabat tum suprema valetudine Ioannes Galeacius, adeoq; infelix tuentis lento atq; tabifico morbo erat confectus, vt non viribus quæ iam nullæ erant, sed ipso vno desituri mox spiritus vigore regeretur. Is Carolo, qui ad lectulum accesserat, vti ægruno officij causa humaniore alloquio solaretur, lachrymans, veluti mox imminentibus fatis concessurus, Franciscum Bonamq; liberos magno pere commendauit. Nec multò pòst Carolus acceptæ à Ludouico pecuniæ, exercitúque ex Mediolani

diolani officinis omni castrensium rerum copia instructo, peditibus secũdo amne deuectis, & equitatu terrestri itinere præmisso, Placentiam profectus est. Inde per agrum Parmensem ad Apenninum est peruentum, iugisque, haud multo labore superatis ad Pontremulum posita castra, quod Macræ amni impositum descendentibus in Hethruriam per Apuanos Ligures primùm occurrit. Erat Pontremuli præsidio Badinus Insuber cum trecentis Sforcianis: qui quum fortè ad amabilis vini tabernam ab leui verborum contentione ad acriorem iurgia cum Heluetijs deuenissent, & vti ipsi erant expediti cum scutis & gladijs, aliquot Heluetios in angustijs viarum prælongis suis impeditos contis trucidassent, aliquanto pòst supremam oppido calamitatem pepererunt. Cæterum Carolus motis inde castris secundum Macram amnem præterq; Papirianas fossas quæ Fossa nouæ oppido nomen dederunt, Sergianum profectus est. Creuit Sergianum ex ipsis Lunæ antiquæ vrbis ruinis, quum incolæ pestilenti eius litoris aura, quæ maximè ad Macræ ostium vergit vehementer offensi, ædificia in editiorem locum subduxissent. Id primum Florentinæ ditionis oppidum erat, eóque Paulus Vrsinus præsidij causa peditum atque equitum manum paulo antè præmiserat. Interea Gilbertus Mompenserius, qui primum

Gallorum agmen ducebat, Castellum nouum ex itinere tormẽtis aggressus expugnauit, præsidijq; præfectum Angelum Cencellum, & ad vnum eius milites trucidauit, præmissis q; ad mare longo circuitu equitum alis, Franciscum Montedotium cum cohorte Sergianum properantem, improuiso equitum incursu, protritis occisisq; omnibus fermè peditibus, intercepit. Quibus de rebus magnus adeò Gallorum metus omnibus est incussus, quòd ab his non more Italico humaniter, sed barbara crudelitate cruentè admodum geri bellum videbant, vt oppidani atque ipse Paulus muris viribusque diffisi, & Petrasanctenses qui Fanum Feroniæ incolunt, quum in portis eorum equestri prælio certaretur, de dedendis protinus oppidis cogitarint. Erat arx supra Sergianum editiore tumulo imposita loci natura atq; arte permunita, quam incolæ à Castruccio Lucensium tyranno ædificatam fuisse commemorant. Eam quum prolato omni tormentorum apparatu Galli expugnare niterentur, Petrus Medices Florentia profectus ad Carolum in castra peruenit. Is enim fama celeritate q; hostium penè obrutus, quum ad eam imminentis maximi exercitus molem sustinendam consilio ac viribus se imparem cerneret, voluntate commutata ad promerendam regis gratiam, se cuncta vti imperatum foret facturum, tradi-

turum q; Hethruriæ vrbes, arces q; omnes pollicitus est, modò incolumi dignitate in fidem & clientelam à Carolo reciperetur. Timebat enim vehementer rebus suis, quoniam Laurentius & Ioannes eadem Medicea orti familia apud regem in honore erant, qui paulo antè quum nouis rebus studerent, Petri potentiæ insensi, aduersus eum coniurauerant, detectis q; eorum consilijs, quòd Petrus proprio sanguini parcendum esse putauerat, ruri tantum publico iudicio relegati fuerant. Mox verò descendentibus in Italiam Gallis noua spe inducti, & veteribus innixi consilijs ad Regem profugerant: ac tum maximè apud singulos proceres agendo maledicendo q;, bellum, insidias, cuncta q; assera Petro molirebantur. Caterùm Petrus apud Fanum Feroniæ cum Brissoneto Belcario q; rebus compositis obuiam profectus regi, comitate militari, & lato admodum vultu in gratiam recipitur. Nec multò pòst missis qui tesseras repetendæ fidei custodibus ferrent, Sergiani, Fani Feroniæ, Pisarum, & Liburni portus arces, regijs præfectis traduntur. Interea Florentinorum legati viri insignes, in quorum numerũ Senatus honoris causa Petrum ipsum absentem decreuerat, superuenere, qui amica aperta q; omnia transeunti regi futura publico nomine dicerent, & quantis maximè possent officijs regis animum, detersis ob repudia-

tam antea eius amicitiam offensionibus, pactumreddere niterentur. Sed Petrus mox Florentiam redijt domesticorum literis reuocatus, quibus aduersos de eo rumores tota Vrbe excitatos, ad famam deditarum arcium asserebatur, propterea q3 veteres inimicos in spem nouarum rerum esse erectos: populum fremere, mutare Senatū ex eius facti indignitate permotum: atq3 ex amicis demum paucos qui audacter inimicorum consilijs obuiam irent reperiri, solicitè admodum perscribebant. Alienauerat ab se Petrus, tametsi praclaro erat ingenio multorum optimatium animos, quum iuuenili quodam feruore equorum, armorumq3 studijs & matronarum amoribus deditus, ciuiles curas ignobilioribus ministris demandaret, & perrarò quum Senatus cogeretur in curiam veniret, nunquam verò collegiorum magistratuumq3 officijs interesset, quorum munia à summis & grauissimis ciuibus implebantur, ac demum Laurentio patri prorsus dissimilis euasisset: Qui vt erat diuina prudentia in regenda Vrbe, & promerendis ciuium animis Vrbana quadam comitate ciuilique modestia, pari cū cateris cultu, sine satellite Rempublicam feliciter, sola ingenij magnitudine fretus administrabat. Igitur Petrus quum principem locum, qui haud facilè aliter quàm aut summa vi, aut summa cum virtute atq3 mode

modestia in libera ciuitate retinetur, neq3 armis neque gratia sustentaret, ad explorandos ciuium animos, periclitandamq3 communita iam authoritatis atque potentia fortunam in forum atq3 inde in curia aream processit. Vbi quum infrequentes amicos, circum se verò infensos multorū vultus cerneret, ac subinde ad Octouiros, qui cum vexillifero suprema potestatis magistratum gerunt, ascendere vellet, à Valterotto Iacoboq3 Nerlio regionum tribunis, curia ianua prohibitus est: mox verò concursu omnis generis hominū facto, & nonnullis arma tenentibus, metu doloreq3 perculsus, inter fremitum rebellantis populi, et saxa volantia, domum se propripuit. Nec mora veluti vlturus infesti populi iniuriam, thoracem galeamq3 induit, familiam armat, et equites quos dudum Paulus Vrsinus post deditum Sergianum disspato trepidantiq3 agmine ad Gallianam portam adduxerat, euocari atq3 introduci iubet. Verum quum nunciaretur Franciscum Valorium, vnum è legatis quem ipse apud Carolum paulò ante reliquerat, virum acrem ac turbulentum in foro esse, sublimemque eum in equo concionari populum incitare, ac demum se armatæ multitudini ad vēdicandam libertatem ducem præbere, penitus animo concidit suspicatus à rege Gallo fidem falli, & salutem suam ab eo proditū iri, quòd se abeuntem falsis pol-

licitationibus oner. esse videretur: Valorium q; qui tanta ob id celeritate præcurrisset, inimicorum maximè gentilium impulsu ad se oppugnandũ pellendumq; fuisse transmissum. Itaq; metu amens, & cõsilij pariter inops, Paulo Vrsino, amicis q; paucis, vt salutis quàm imperij vel fortunarum curam potiorem duceret, suadentibus relictis etiam quibusdam gemmarũ loculis, vrbe profugit. Ioannes quoq; cardinalis qui posteà desumpto Leonis decimi nomine, summum in re Christiana dignitatis fastigiũ tenuit, sacerdotis fraterculi cuculla amictus, itemq; Iulianus fratres, pari fuga elapsi, diuersis itineribus Bononiam peruenerunt. Interea populus omnis, qui tametsi infectis armis, sæuis q; vocibus Mediceos persequendo, diuturnæ seruitutis iugum fortiter excussisse videri volebat, aliquanto tamen prædæ quam libertatis erat auidior, ad diripendas Mediceas ædes ex omnibus regionibus aduolauit, effractiq; statim Martiani horti nobilissima Petri supellectile instructi. Domus quoq; ipsius Cardinalis ad Antonianum templũ sæuientis plebis auaritiæ cessit, tantæ auiditate, vt vasa & cardines impotenti rapiẽtium impetu vellerentur. Ipsa domus Mediceæ grassantis populi iniuriã non sensit, prohibentibus magistratibus, quod ea tum summo Petri studio ad regem hospitio excipiendum, auleis, pretioso q; rerum omnium appar

apparatu exornabatur. Nec multò pòst cõcursu hominum in curiam facto, Petrus fratres q; à Vexillifero Francisco Scarfa, ipsis q; Octouiris, qui cum eo in curia perpetuo sedent, quiq; ex amicorum numero ipsis q; Mediceæ familiæ beneficiarijs lecti fuerãt, omnibus statim suffragijs patriæ & Senatus hostes iudicantur: pilæ puniceæ Mediceæ gentis insigne omnibus vrbis locis abraduntur, atrocique admodum decreto adiecto vt præmiũ percussoribus eorum foret, bona extemplo atq; auidissimè publicãtur. Nec multũ inde in illa ipsa domo, magni Cosmi ingenio ac sumptu extructa, qua nullam in Italia priuatum ædificiũ elegantius concinnius q; ætate nostra cõspicitur, quæq; publicum totius orbis nobilitatis bonarum q; artium hospitium fuit, à publicis institoribus nobilissimarũ opum venaliũ hasta palàm erecta est. Veniere ita q; magno Fortunæ lubibrio præter ingens & pretiosum opulentæ domus instrumentum statuæ antiqui operis torcumatæ gemmæ, varij q; lapides admirabili veterum artificum sculpturæ insignes, vasa Myrrhina, numismata q; auro, ære, argento, queis clarorum ducum effigies inerat, longo atq; erudito studio, diuturna in pace cumulatæ. Præterea tabulæ & signa nobiliũ artificum monumenta, et quod inuidiam plurimum augere poterat, illa tam grandi pecunia tot tantis q; doctorum virorum peregrina-

tionibus atq; laboribus quæsita, Latinorum et Græcorum voluminum supellex celeberrima bibliotheca. Hanc Cosmus instituerat, auxerat Petrus, & Laurētius postremò, tota penè Græcia varissimis libris spoliata, expletis q; tādem studiosorum desiderijs, magna sui fama claritate q; condiderat: Ita vt plerique mortales eam familiam tanta calumitate indignam, ac iniquè admodum ab ingratis ciuibus exactam esse iudicarent. Quando eius proceres perpetuo quodam magnificentiæ splendore, ædificando, fouendo ingenia, & pacem opulentiæ parentem singulari industria tuendo, patriæ ac ciuibus tantum ornamenti & claritudinis addidissent. Illud q; demum manifestè compertum est, inanem atq; admodum caducam esse popularem gratiam in libera ciuitate dominātibus: ciues q; ipsos dum ex nouarum rerum motibus libertatem respiciunt, nulla æquabilis imperij, nulla pristinæ amplitudinis, nulla deniq; beneficiorum priuatè vel publicè acceptorū memoria permoueri. Vsq; adeò autem Mediceum nomen cunctis inuidiosum esse cœpit, vt Laurentius atq; Ioannes qui apud regem tanquam exules fuerant, Petri expulsi gentiles & cōsanguinei, vt libertatis tuendæ studium ostenderent, è marmoreis antiquæ domus insignibus pilas deterserint. Substituta q; candida cruce, vti in aliam familiam transeuntibus mos est.

est. Populani abdicato veteri nomine, appellari maluerint. Dum hæc Florentiæ geruntur, Carolus ab Luca, vbi liberaliter exceptus adiutus q; pecunia fuerat, Pisas cū exercitu peruenit: cuius aduentus opportunè admodum in spem recuperandæ libertatis Pisanorum animos erexit. Cōcesserant Pisani multos ante annos diuturno bello victi in Florentinorum ditionem, quum paulo antè cum summa opum amplitudine, tum ingenti rei naualis gloria inter cæteros Italiæ populos, magnam authoritatē rebus præsertim in Syria feliciter gestis obtinuissent. Eoq; magnitudinis rem Pisanam aliquando euectam memorāt, vt centum eorum familiæ illustres, totidem rostratas naues priuato sumptu ædificasse, exornatasq; ad Ligusticum bellum eduxisse dicantur. Verùm quū bellicæ virtute & mercaturæ studio, partis diuitijs aliquandiu floruissent, eos demum superbia opulentiæ comes, & natæ continuo ex nimia felicitate intestinæ seditiones, euersa republica trāsuersos atq; præcipites egerūt. Factumq; est vt atritis discordiæ opibus, atq; intermissa obiter maritima negotiatione, per diuersa tēpora varijs tyrānis seruire didicerint. Ioanne autē Galeacio Vicecomite vita functo, qui lōgè amplissimo in Italia imperio potitus, post Appianū tyrannum, Pisas in deditionem acceperat: cæpere Pisani tam pridem amissam libertatem respectā

resſect.are, atq; eam maioribus animis quàm Viris aduersus Florentinos tueri, qui tum ob veteres cauſsas recentibus etiam odijs accumulat.as, in ea ruentis imperij Vicecomitū exoptata occaſione, grauiſsimum bellum intulerant: quo Aucutus Britannus dux bello inclytus adeò res eorum afflixit, animosq; contriuit, vt omnibus belli calamitatibus fracti, deſtitutiq; à finitimis victorū arbitrio ſe dediderint. Manſereq; ſub Florentino imperio annos octuaginta ſeptem: quo tempore adeò ſeuerè auareq; ab his qui quaeſtus atq; pecuniæ maximè ſtudent, imperatum eſt, vt ſub Caroli aduentum nihil eis præter nomē veteres q; ſpiritus. & antiquæ magnitudinis memoriam ſupereſſet. Erat inter Piſanos Simon Orlandius vehemēti vir ingenio publiceq; & priuatè Florentinorum hoſtis acerrimus. Is noctu & in occulto cum his ciuibus coeundo, quos maximè grauioribus iniurijs offenſos, ac ob id alienato animo paratos ad defectionem exiſtimabat, ſæpius publicas calamitates deplorare, ac oſtendere quàm facilè, ſi viri fortes & maioribus ſuis ſimiles forent, ſeſe ab intoleranda ſeruitute in antiquā libertatē eſſent vendicaturi. Poſtremò quòd Gallicæ linguæ erat peritus, ſe oratorē apud regē, & ad perficiēdum negotium ducem futurum alacriter profiteri. Nec diu cunctando deliberandóve ab inclinatis

inclinatis iam ciuibus, num in ea præſetis regis occaſione audendum foret, dubitatum eſt. Nunq; Orlālius quū à cunctis certatim amplexaretur ac laudaretur, quòd cōtempto priuato periculo pulcherrimi facti cōſiliū magno animo deſumpſiſſet, ad regē qui tū Mediceis erat in ædibus, cum globo iuuenū aſcēdit, proiectuſq; ad genua ſupplex et lachrymās enarrauit in quas calamitates erumnasq; miſerabiles è florentiſſimo quondam liberæ ciuitatis ſtatu, Florentinorū ſauitia decidiſſent, in quorum mores acerbiſſimè inuectus, vt indique eis cōflato odio rex iuuenis magis ac magis incitaretur, eā maledicēdo protulit: quatenus ſi regis animū, magnitudinē nouitatem q; criminum admirantem impulerint, à moderato tamen ſcriptore, ne incerta indefenſa q; pro veris fidem recipiāt, præterunda videantur. Cæterū perorante Orlādio, ac regē demiſſiſſimo geſtu interrogante, num qui ad liberādam a tyrannis maximā Italiæ partē veniſſe velle videretur, Piſanū populū tam indigna ſeruitute oppreſsum liberū eſſe vellet: Carolus more Gallorū alacriter, et iam opportunè fauentium procerū murmure exorto, paucis annuens, ſublata q; manu id ſe quod æquū eſſet præſtare ſignificauit. Quæ vox excepta ab his qui intererāt, ſtatimq; foris omnibus præ lætitia ingēti clamore, FRANCIAM, quod eſt anti

antiquum liberæ Galliæ nomen, ac libertatem vicissim ingeminantibus, per vrbem delata, vniuersum populũ ad dulce exoptatũq; id nomen excitauit. In eo tumultu marmoreus leo Florentinorũ insigne in profluentem Arnum præcipitatur. Præfecti autẽ quæstoresq; Florentini vrbe profugerunt: Quibus exactis Pisani ex numero optimatium decuriones viros sortes delegerunt, qui darẽt operã, ne recepta libertas vlla vi, vllisue hostium consilijs eriperetur. Quòd si tantæ felicitate atque fortuna ipsam libertatem tueri Pisanis datum foret, quantæ eam constãtia atq; virtute postea per sexdecim annos defenderunt, bellum profectò quod statim secutum est, neq; pertinacium ciuium fregisset spiritus, neq; finem eorum opibus vnquam imposuisset. Accidit autem memorabili casu, vt eadem horæ qua Florentini Mediceos patria domoq; pellebant, ipsi quoq; à Pisanis pari asserendæ libertatis desiderio pellerentur, præclara equidẽ cum laude Galli regis, qui non minus æquitate atque iustitia, quàm virtute bellica magnus, duabus nobilissimis Italiæ vrbibus inauspicatum propè & nullo hercle negotio libertatem attulisset.

FINIS PRIMI LIBRI.

PAVLI

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerinì historiarum sui temporis
LIBER II.

AT CAROLVS, Antracio viro forti cum delecta Gallorum manu Pisana in arce constituto, cæteris q; deditarum arcium præsidijs pari diligentia confirmatis, Pisis profectus ad Signinum pontem sexto ab vrbe Florentia lapide Arno impositum, tertijs castris peruenit, solicita admodum ciuitate tanti exercitus metu, quòd non omnino inanis rumor increbuisset, regem Mediceos in patriam incolumi dignitate moderati principatus esse reductu rum. Nam Brissonetus atq; Belcarius, Philippus item Bressius Allobrogum reguli frater regij consilij principes, eo atroci facto quo Petrus patria pulsus ac hostis indicatus fuerat, regiæ fidei maiestatem vehementer læsi testabantur: disserebantq; eum qui sese atque

arces

arces optima fide tradidisset, ob idq; præclara ipsorum sponsione amicus fuisset appellatus, vt patriæ & penatibus redderetur, omnino esse reuocandum. Probabat id rex iuuenis honesti decoris tenax, nec facilè ex aliena iniuria nominis sui contumeliam ferens. Iamq; Fortuna nouos ludos Florentinis editura videbatur, nisi Petrus qui parũ lato vultu cum fratribus à Ioanne Bentiuolo exceptus fuerat, è Bononia sibi timens nimis celeri desertione Venetias profugisset. Cæterum Carolus apud Signiam rebus per legatos qui frequentes aduenerant magna ex parte compositis, Florentium armatus ingreditur. Magistratus cancti suo ordine, sacerdotesq; sacris in vestibus sub vmbella aurea intrantem excipiunt: populus latis acclamationibus summos honores defert: miratur externi cultus tot equitum agmina, Phalanges q; Heluetias, & ad tormenta aenea trãsuectia curribus maxime stupet. Sed obiter suspenso animo reputat, quo in discrimine versetur, qui tantam ferocium gentium multitudinem intra mœnia domesticos q; lares acceperit. Ea dies fuere quoque Pici Mirandulæ immatura morte correpti, insignis fuit, qui ob æterna diuini ingenij monumenta eruditorum hominum consensu, Phœnicis cognomentum adeptus est. Rege suscepto, affectoq; omnibus humanis bo-

noribus, Florentini de fœderis conditionibus agere cœperunt, certatumq; est aliquandiu, & subinde liberi hominis inter armatos vox audita. Quum enim Galli perinquas conditiones dicere viderentur, ob idq; abnuentibus insolenter obstreperent, Petrus Caponius indignabundus, libellum conscripti fœderis palàm concerpsit, addens clara voce, postquam Galli vi agere atq; impotẽter contendere vellent, non defuturos, qui Campani aeris sonitu, tubarũ cantibus essent respõsuri. Sed demum cum rege fœdus ea conditione percussum est, vt Florentini centũ et quinquaginta millibus aureorũ nummum in bellicos sumptus regem iuuarẽt: ipse eas arces quas Petrus tradidisset, intra certũ tempus restitueret: libertatem quã tunc recepissent, egregio studio tueretur: neque Mediceos gratia foueret, neq; Pisanos iuuaret auxilijs: Sic, vt Carolus ara maximi templi admotus, solenni sacramento iuraret, se integra fide præstiturum quod ex fœdere promisisset. His confectis rebus epistolas sub edicti nomine per omnẽ Italiam perscripsit, quibus testatus est se venisse ad liberãdos seruitute populos, bellumq; in Græciam aduersus Turcarũ gentem, ac ipsos cõmunes Christiani nominis hostes transferendum: propterea se nemini nocitũrũ, pacato factũrũ iter, & quæ alendo exercitui necessaria forẽt, præsenti pe-

cunia persoluturum. Dum hæc in Hethruria geruntur, Obignius & Calatinus in Æmiliæ copijs atque animis aucti, ad Mordanum Forocornelienſium caſtellum proceſſere. Caſtellani perſuaſi à Marino Mercatello Catharinæ Sfortiæ præfecto, qui præſidij cauſa aliquot armatos introduxerat, portas clauſerant, ac muro foſſis q3 cõſiſi Gallos oppido excidium, niſi statim reciperentur comminantes, lapidibus ac ſagittis ſummouere cœperant. Ea iniuria accenſi Galli elatis animis nequaquã ferentes, quod tantulum oppidum, tanti exercitus impetum ſuſtinere auderet, tormenta promouent, muri partem deijciunt. & foſſam tranſcendere conãtur. Sed ea re parũ proſperè tentata, aliud conſilium capiunt: quoniã foſſa multitudine aquarum ſtagnantes, neque ſuperari niſi cento cum periculo, neq3 extrui ſine multo militum labore poterant. Tormẽta itaque contra portam dirigunt, & tolonem trabem, cui pons ſubductilis ad ſubleuandum catena ſuſpenditur, tormentorum pilis effringerent. Accidit q3 & ad Ictum atque alterum falconis ictum, catena trabeque perfractis, pons ipſe concideret, irrumpentibus q3 Heluetijs & Gallis, oppidum extemplo caperetur. Tantus porrò certatim incumbentium impetus fuit, & multi à lateribus in foſſam decidentes, ſed multò plures ipſo præmentũ pondere ruptis pontis aſſeribus præcipitati in præaltos & limoſos foſſæ gurgites, fœdè perierint. Nec mora Galli amiſſorum commilitonum dolore concitati, & cæteros Ino crudeli exemplo à ſimili pertinacia deterrerent, præſidium oppidanos q3 omnes ad Ictum, quibus neq3 lachrymæ, neque Deorum templa in quæ confugerant proſuere, inuſitata rabie trucidarũt: ita & neq3 ſenibus, neque fœminis, neq3 ipſis, crudele ſiſe, pueris, barbara feritate pepercerint. Cuius inhumani facinoris fama peruagata totam Italiam ſicuti maximo terrori omnibus fuit, ita Gallorum genti, quam plerique moribus noſtris non omnino diſſimilem putabant, incredibile odium concitauit. Mordano amiſſo, Catharina miſerabili ſeruorum clade perculſa, Ludouico etiam patruo plurimum impellente, Aragoniorum partes deſeruit. Iiſdem fermè diebus Joannes Galeacius diuturna valetudine conflictatus Ticini vita exceſſit. Eo nuntio accepto, Ludouicus qui regem in Lunenſem & q3 agrũ fuerat comitatus, Mediolanum aduolauit, & oi iuſtis inſigni pompa funeri perſolutis optimatium conſenſu ad imperium euectus eſt, qui in tanto rerum motu imperij ſummam infanti minimè deferendam eſſe dicebant, quinquam illud Francisco Ioannis Galeacij filio certo ſucceſſionis iure deberi videretur. Fuere ea tempeſtate com-

plures qui Ioannem Galeacium lentis atque mortiferis potionibus ab eo pernecatum fuisse putarent: quod fortasse nobis pro cõstanti esset affirmandum, nisi eius ambiguæ rei indicia, fallacibus innixa cõiecturis incertam admodum opinionis fidem, curiosis etiam medicis reliquissent. Deberi etenim sibi imperium Ludouicus prædicabat, quòd ipse natus esset, dum Franciscus pater Mediolano virtute parto potiretur. Contrà Galeacium, qui ætatis prærogatiua inductus defuncto patri successisset, in humili adhuc parẽtum fortuna genitum, atque in Firmana Piceni arce susceptum, posteræ successionis principatus, Fortunam, in qua neque Dij neque Fata eum nasci voluissent, respicere minimè debuisse. Diplomate quoq; aliquanto post à Maximiliano Cæsare, trecentis millibus aureorum nummum impetratæ, quibus Ludouico liberisq; eius specioſis admodum titulis, Mediolani finitimarũq; vrbium imperium, augusta Cæsaris authoritate adiudicatum est. Ferdinandus aduersis Hetruriæ motibus perculsus, simulque permotus Catharinæ defectione, quod medijs actionis eius in finibus erat, Obigninũq; et Calatinum aduentu nouorũ militum firmiores factos appropinquare cognouerat, ad Cæsarium, quod olim in Apẽnini radicibus Salsubium fuit, retrocessit. Id iter per vias multo luto ac frequentibus saxis impeditas, noctemq; cum tenebris tum sauis & imbribus fœdam, maxima cum trepidatione laboréque cõfectum est. Nec Salsubiani portas aperuere, qui paulo antè singulari studio eum omnibus rebus adiuuerant, vixq; Ferdinandus alimenta afflictis inedia militibus impetrauit, quæ agre etiam prius accepta pecunia canistris & funibus è muro demittebantur. Adeò enim mobilis ac infida populorum natura est, vt facilè quos desertos à Fortuna conspexerint, statim soluto pudore destituat. A Salsubio in Cesennatem agrum digressum, missusque Petilianus ad Cesennatium Senatum, qui daret operam vt ab his prouiso commeatu, designatis q; hospitijs, exercitus intra mœnia reciperetur. Exulabat tum Cesenna Guido Guerra, vir factiosus, & bello acer, qui multos in vrbe amicos clientesque habebat. Hunc Obigninus & Calatinus idoneum rati per quem ad introcludendum Ferdinandum Cesennam occuparent, pecunia, armis auxilijsq; instruunt: ad tentandos ciuium animos maturare iubent, ad certum itineris spatium Eracassam Sanseuerinum cum ala equitum qui subsidio foret, subsequi adesseque præcipiunt. Guido qui suos fecerat certiores, & tempus patrandæ rei constituerat, primo aduentu a Bartholomæo Notario Guerrianæ factio-

nis homine introducitur, tota Vrbe ad Guidonis vocem tumultus exoritur: factiosi arma corripiunt, quorum fulctus auxilijs Guido prætorium curiam q; aduolat: Petilianum de commeatu cum Decurionibus deliberantem iniecta manu capit, custodiendum q; ipsis senatoribus tradit. Erat perturbatus rei nouitate Senatus, nihil publicè in repentino casu consuli prouideriue poterat, quum quisq; domum, liberos, fortunasque suas in eo periculo potius respiceret, quã quæ le quantúmque facinus esset admissum intueretur. Nam dum Petilianum à cive capi in conspectu Senatus, & Aragoniot qui ingressi cum Petiliano erant capi dispoliarig; permitterent, manifestè à Romano Pontifice rebellabant. Iam tota fermè ciuitas Guidonis, Gallorum q; signa sequebatur, quũ Alfonsius Daualus & Liuarius his rebus cognitis, cum delecta equitũ peditum q; manu Cesennam per arcem Ioanne Caroccio custode pontes extemplo demittente, ingrediuntur: committitur repente prælium media in Vrbe. Ipse Guido ingenti protectus scuto, cum paucis familiaribus fretus ciarum angustijs Aragonios sustinet: mox auctus nouis clientium, militum q; subsidijs, eos longius propellit. Porrò Aragonij superuentu Germanorũ qui dudum è Venetia nauibus transuecti in castra peruenerant, pugnã instaurant.

Daua

Daualus & ipse pedes ante alios insignis, comminus cũ Guidone congreditur, acriter vtriq; contendunt, Gothifredus & Gaspar Germani cohortium præfecti, impigrè prælio succedentes vulnerantur, multi cadunt, vtrisque ex omnibus locis auxilia, sed maiora Aragonijs aggregantur. Postremò, quum Fortuna sapiens, modò his, modò illis victoriæ spem ostendisset, Guerriani virtute Germanorũ pulsi disiectiq; cum magna cæde in fugã vertuntur. Ipse Guido per tumultũ à suis in equũ illatus, è manibus hostium vulneratus effugit. Fracassa verò quia tardius iter fecerat, cognito Guidonis casu priusquã portis appropinquaret, in castra reuersus est. Vrbe recepta, & Petiliano custodito, Ferdinandus magno metu atq; periculo liberatus Cesennã venit eius aduẽtu domus aduersæ partis quæ Guidoni fauerat, vt milites gratuitò pennarijs copijs alerẽt, exercitui prædæ loco cõceduntur: & Bartholomeus qui Guidonem introduxerat, latebra extractus supplicio afficitur. Galli Censenna exclusi de occupãdo Britonorio consilia imibant: exules q; præsertim qui repetendæ patriæ auidi in eorum castra confluxerunt, præmijs, atque pollicitationibus inducebant, vt per illos amicitia cum eius factionis hominibus inita, Vrbe potirentur. Cæterùm Ferdinandus opportunitate vicinæ Vrbis permotus, cognitis eorum consilijs,

eò cum cohortibus duabus tribúsque equitum turmis Liuianum celeriter præmittit, cuius aduentu, eorum consilia qui iam animo defecerant, oppressa, omnésque demum ciues in fide Pontificia cõfirmati sunt. Britonorio à Brinto Vetere oppido nomen inditũ putamus, quam quam id nõnulli à Britonis Aquitaniæ populis qui Vrbem instaurarint appellatum credant. Erat Theodorani propinquo oppido Gallorum equitum manus, quæ per agrum inter Cesennam & Britonorium vagabatur. Hanc sæpe insidias Liuianus frustra tetẽderat, quòd illi nisi magna manu explorato atque interdiu nunquam exibant: hos, quum dolis nihil proficere vir audax tentandaq; semper Fortunæ auidus, vera vi aggredi constituit. Itaque coactis omnibus copijs, adiunctisque sibi oppidanorum promptissimis, noctu itinere confecto, prima luce Theodoranum adoritur: debile oppidum, Gallis repentina re consternatis acriter tamen se defendentibus, celeriter expugnat ac diripit. Galli equites magna ex parte in arcem relictis equis confugere, quos quum biduo continenter oppugnasset, atque ipse dum incautius murum subit, sagitta vulnus accepisset, superueniente Ferdinando, omnes ad vnum in potestatem redegit. Verùm Ferdinandus, quum Annibal Bentiuolus Florentinorum equitum præfectus, quod cõmutato Reipublicæ

publicæ statu omniúmque studijs ad Carolum conuersis, salua fide militaris sacramẽti diutius eius in castris esse non poterat, impetrata missione discessisset, & passim à peditibus desereretur, retrò abiens per Vmbros Romam contendit. Ex itinere Ioannes quoque Sfortia & Guido Feltrius, cum suo quisque equitatu, hic Vrbinum, ille Pisaurum, rerum suarum metu concesserunt. Obiginus verò Salsubiunis iugis Apenninum transgressus, ad Carolum in Hethruriã descendit. Per eos dies Frãciscus Picolhomineus cardinalis, qui posteà Pontificatum est adeptus, ad tractandam pacẽ à Pontifice legatus ad Carolum in Hethruriam venit. Sed is neque auditus, neque in castra receptus est, quum regi atq; proceribus ob recentem adhuc patrui Pij Pontificis memoriam esset inuisus, quòd ille superiore Neapolitano bello aduersus Andegauenses à Ferdinando Aragonijs q; partibus stetisset. Carolus paucos Florentiæ moratus dies rebus compositis Senas venit. Excepere venientem Senẽses, portis ac regionibus festa frõde exornatis, lautéque ac liberaliter Gallos milites per domos hospitio susceperunt. At rex primo aduentu cohortem prætoriã, quæ stationẽ in foro habere, & præsidio decurionibus esse consueuit, denunciata per præconẽ cæde, ni extẽplo arma ponerent, locoq; decederẽt, foro vrbeque expulit. Se-

nis per Vulsinios Viterbiæ exercitus est ductus: Eam Vrbem ex Foro Cassij ruinis creuisse putauerim: huius enim in proximo non obscura vestigia in ipsa silice constrata Via Cassiæ visuntur. At Pontifex, qui Ferdinando eiusque exercitu in Vrbem recepto, & cõscriptis tumultuarijs cohortibus, Romanóque populo arma capere & patriam tueri iussõ, Gallos Vrbe prohibiturus esse videbatur, Caroli successu & celeritate victus, ad eum legatos misit, qui orarent, ne sacrosanctam Vrbem, sacrorum domicilium, Pontificis optimorumque antistitum sedem, cui aliquando etiam barbarus Atila pepercisset, turbandam violandamq; tantæ multitudini externorum militum præbere vellet. Quòd si Vti Christianum atque eius cognominis regem deceret, augustæ Vrbis religione tangeretur, ingressúq; abstineret, Pontificem ei tũ omni officio satisfacturum, commeatúsque militibus idoneis in locis præbiturũ. Carolus ad ea respondit, se priusquam Galliæ fines exiret, voto pro salute felicitatéque suscepto, decreuisse Romana templa inuisere: sanctissimas Petri Paulique aras venerari: ipsumq; Pontificem, quæ pietatis religionisque fastigium obtineret, suppliciter adorare. Proinde si Pontifex Aragoniorum hostium suorum copias Vrbe emitteret, mediamque personam, Vti par esset, ipse augustus & sanctus induceret, commeatusq; expediret, se amicè pacatoq; agmine ingressurum Vrbem: quòd si vim pararet, & sibi obsistendum arbitraretur, se sibi viam confestim per Vrbem Romã, ac Tyberinos pontes armis aperturum. Ioannes quoque Andegauensis Episcopus, qui eadem Põtifici coram populóque referret, cum legatis Romam destinatus est. Erat Alexãder, vt sæpe accidit, quo dubijs periculosisq; consilijs agitamur, veluti in supremo rerum casu vehementer animo cõsternatus. Formidabat iuuenem regem inimicorum suorum inimixum consilijs, qui tantam ferocium gentium multitudinem traheret, quantam multos ante annos Italia suo tantum miliți, & lenioribus bellis assueta, nunquã vidisset. Timebat Ascanium quem paulo antè, data fide cum Prospero custodiæ tradidisset, summóque dolore angebatur, quòd Iuliæ num. Rouereum infestum hostem suum apud regem in honore esse, & summa cum authoritate consilijs omnibus interesse didicerat. Columnam quoque & Sabellium cardinales cũ ceteris eius ordinis Ascanij clientibus, quos ab initio ad eius nutum authoritatémque contulerant, de indicendo concilio, vt ipse sacro rerum fastigio deijceretur, agitare intelligebat. Id vnum enim concilij nomen supra cæteros infelices humanarum rerum casus, maximo terrori Pontificibus esse consueuit: quod

pler

plerique in his conuentibus, dum de Republica Christiana referunt, placita religionis interpretantur, & ad castigandam sacerdotum luxuriam censorias leges condunt. ipsi Pontifices Pontificio iure circunuenti, eiurare supremam dignitatem, seque demum pontificatu abdicare coguntur. Hoc metu armati reges pontifices terrent, ac subigunt, quãdo omni tempore ex dissidio cardinalium, facilem ad cogenda huiusmodi concilia occasionem inueniant. Idq; propterea fit, quoniam cardinales inter se factiones simultatésque exerceant, & quadam nouarum rerum libidine ac liuore ducti, Pontificem, quem ipsi suis studijs atque suffragijs extulerint, repente fastidiant, aut odio prosequantur. Paucique admodum cardinales, inuitis etiam pluribus, indicendi condendique concilij Veteri Pontificum decreto potestatem habere videri volunt. Igitur Alexander suadentibus amicis, Ferdinandum monet, vt postquam adeo impotenter à Fato pariter atq; ab hoste vrgeatur, incolumi exercitu ab Vrbe discedat, & maturè ad firmanda Regni claustra, quæ ad sanctum Germanum Casinatis saltus angustias pertinent, in Campaniam proficiscatur. Nec multò post Ferdinandus qui ab Alfonso patre etiam fuerat reuocatus, quum prima iam Gallorum agmina Lignino duce Ostiam è Viterbio contendissent,

sent, & regia vexilla Mario in iugo apparere inciperent, Latina porta sub signis exercitum eduxit. Decreti subinde è Romanis optimatibus oratores, Hieronymus Portius, Coronatus Planca, Christophorus Bubalus, Ludouicus Matthæius, Marius Mellinus, & Iacobus Sinibaldus, qui regi Gallo vrbem ipsam, priuatas domos, & magnam copiam commeatu omnis generis per fora expositã Pontificis populiq; Romani nomine offerent, venientemque introducerent. Iam Carolus Sutrium venerat, vbi memorabili iudicio iureconsultum Sutrinum, quũ præferocem Gallum equitem contumelia lacessitus occiderat, è vinculis causam dicentem, quanquam irato frementeque exercitu absoluit. Sutrioq; profectus ad Bracianum castra promouerat. Est id ad Sabatinum Lacum inter viam Cassiam & Aureliam, ad oppidum Anguillariam, quæ Fidenatium vrbs nobilis antiquitus fuit. Ea oppida cũ Triuiniano atque Galleria Virginij Vrsini ditionis erãt, quibus timens Virginius, ne primus ipsi hosti præda auido, quod Aragonijs præsset copijs sauiẽdi materiam præberet, Carolum filium ad dedenda oppida, & regem in ea arce, quæ in summa loci amœnitate subiectum despectat lacũ, hospitio excipiendũ præmisit. Triduo post Carolus armatis distinctis q; peditũ & equitum ordinibus, Flaminia porta Vrb

ta Vrbem inuectus est. Praecesserãt longa Heluetiorum Germanorumq; agmina iustis passibus ad tympanorum pulsum, dignitate quadam militari atque incredibili ordine subsegnis incedẽtia. Veste omnes varia ac breui & singulos artus exprimente Stebantur. Fortissimus quisque plumeis cristis pileo surgentibus insignis super ceteros eminebat. Arma eorum erant breues gladij, atque hastæ fraxineæ denum pedum, angusto præfixæ ferro. Quarta fermè eorum pars ingentibus securibus quarum è summo quadrata cuspis prominebat, erat instructa: has cæsim punctimq; feriendo ambabus manibus regebant. Alabardæq; eorum lingua vocabantur. Singula autem peditum millia sclopettariorum centuriam habebant, qui paruis tormentis plumbeas glandes in hostem emittũt. Milites in vniuersum quũ densatis ordinibus conferti prælium ineant, thoracem, galeam, scutumque ita despiciũt, vt solis centurionibus atque his qui phalangis principia explere, & in prima agminis fronte pugnare consueuerint, galeæ, & ferrea pectoralia conspiciãtur. Hos quinque Vasconũ millia sequebantur, balistarij fermè omnes, qui scorpionibus arcuferreis, puncto temporis tendendo sagittandoq; perite admodum Stebantur. Quod genus hominũ cultu aspectuq; admodum deforme, Heluetiorũ comparatione Si-

debatur, quum illi capitum ornatu & armis splendidis, ipsaq; proceritate plurimum eminerent. Peditum vestigijs equitatus institit, ex omni totius Galliæ nobilitate conscriptus. Is sagulis sericis, cristis, torquibusq; aureis peruornatus, longo turmarũ alarumque ordine procedebat. Erãt cataphracti bis mille & quingenti, & bis totidem leuis armaturæ equites. Illi crassiore striatáque hasta, solido mucrone, clauaq; ferrea, vti nostri consueuere, Stebantur. Equi eorum robore ac magnitudine præstantes, subis auribusq; deiectis, quòd ita decere Galli existiment, ferociores apparebant: Seorum ex eo minus erant conspicui, quòd tegumentis recocto è corio confectis, vti nostris mos est, magna ex parte carebãt. Singuli cataphracti ternos habebant equos, puerum armigerũ & ministros duos, quos subsidiarios lateromes appellabant. Leuis eques ingenti ligneo arcu Britãnorum more, maiores sagittas emittit, thorace galeaque contentus est. Aliqui eorum tragulas gestant, quibus stratos à cataphractis hostes in prælijs, impressa cuspide humi consigere consueuerunt. His omnibus sagula erant, aeu, bracteisque argenteis picta, in queis speciosо opere ad notandam in prælio equitum virtutem vel ignauiam, propria ducum insignia pretextis imaginibus exprimebantur. Quadringenti hippotoxotæ,

in quibus centum erant è Scotorum gente, Virtute fidéque præstantes regis latera stipabant. Sed ante hos ducenti equites Galli, à spectata virtute nobilitatéque delecti clauas ferreas magnis securibus pares in humeris gestantes, cultu insigni circa regem pedibus eutem versabantur, porrò cùm equitaret, cataphractorũ more eximijs in equis, auro purpuraq; spectabiles prodibant. Iuxta eum primo in loco comites aderant Ascanius ipse & Iulianus secundum eos Columna atque Sabellus cardinales: præterea Prosper atq; Fabritius, cæteriq; Itali duces Gallorum procerũ turbæ immixti. Parata erat ad regem hospitio excipiendum Diui Marci tẽplo coniuncta domus, Pauli secundi Pontificis sumptu ex Amphiteatri lapidibus structa. Ciuium quoque ædes Traiani foro proximæ proceribus patebant, ad quas multa iam nocte luminibus accensis peruentum est. Erant tot equitũ peditumq; agmina, nõ pompæ modò ad speciẽ decoremq; ostentandum exornata, sed instructa bellico more omnibus armis, tanquam in ipsa vrbe foret dimicãdum: ita vt omnium mẽtes eo spectaculo facilè terrerentur. Id quoque metum stupentibus addebat, quod viri, equi, vexilla, arma tot passim funalibus inæquali splendore incertam præbentibus lucem, ampliora ac maiora vero videbantur. Plurimum autem admirationis atque

atque pauoris omnibus intulerunt tormenta curulia supra triginta sex, quæ equorum iugis per æqua pariter atque iniqua loca incredibili celeritate ducebantur: maxima eorum longitudine octonum pedum, pondere verò sexmilium librarum æris, Cannones appellabantur, quæ æquali tubo humani capitis magnitudine ferream pilam emittebant. Secundum Cannones erant Colubrinæ sexquialtera longiores, angustiore tamen fistula, pilæq; minoris. Sequebantur Falcones adeo certa proportione maiores ac minores, vt minimis tormentis pilæ Medicamulo persimiles emitterentur. Ea omnia binis erassis asseribus superinductis sibulis erant insertæ, suisq; suspensa ansis, ad dirigendos ictus medio in axe librabantur. Minoribus rotæ binæ erãt subiectæ, maioribus autem quaternæ, quarum posteriores ad cursum incitandum aut sistendum exemptiles erant. Tanta autem celeritate eorum magistri atq; auigæ huiusmodi cursus circumagebant, vt suppositi equi flagellis ac vocibus concitati expeditorũ equitum cursum aquioribus in locis adæquarent. Deducto rege, designatisq; per priuatas domos hospitijs, Galli tristia, omniumq; regionum aditus qui ad Marcianas ædes pertinebant, tormentis, & certis equitum ac peditum præsidijs conseptere, binaq; milia equitum quæ singulis senis horis per vices stationem agerent,

in campo Floræ collocata. Tumultuatũ est haud semel totæ Vrbe, quũ Romana plebs suopte ingenio turbulenta & procax, insolentium Gallorum minaces, accentuq́; superbas voces, & feros Germanorum cultus ferre non posset. Ipsiq́; externi milites in popinis, & lustris plerunque à multo vino truciores facti, rixas passim cum obuijs miscerent: Indeq́; temulentia calentes, & incauti noctu maximè per infrequentia Vrbis loca, à sicarijs atque lenonibus cæderentur. Expugnata est magno Heluetiorum Vrsconumq́; impetu Bancarium domus, ac in ea quidam è plebe Galli militis percussores trucidati, confosso ibidem Marco Matthæo Patritij ordinis. Inualeitq́; subinde fama in tanto strepitu ac dissono clamore celeriter peruagata, Vrbem capi, ac diripi opulentas domes à Barbaris. Quo tumultu cepit arma Romanus populus, vt dignitatem Martiæ gentis, fortunas, vxores ac liberos tueretur. Sed ea diuinitus superi almæ Vrbis tutelares, luctuosum id certamen, supremumq́; rerum omnium periculum auerterunt, quum Prosper Gienfis atq; Ligninus à rege ad cines milites q́; transmissi, deterrendo, dirimendoq́; cæptum iam multorum concursu & clamoribus tumultum oppressissent. Vrbe Roma dubijs Gallorum armis occupata, Alexander, qui metu anxius atque incertus consilij in Hadriani molem confugerat

rat, oratores de pace ad Carolum misit. Fuere ij senatorij ordinis antistites longè clarissimi, Antonius Pallauicinus, Ioannes Alexandrinus, Bernardinus Caruaial, & Raphaël Riarius, qui longo verborum circuitu orsi à Carolo Magno, cæteris q́; Gallorum regibus qui insigni pietate rem pontificiam aduersus tyrannorum iniurias generosè defendissent, monendo adulandoq́; pacem impetrarunt: his tamen legibus quibus eam victis victores dare consueuerunt sic vt complures, qui Hispani hominis ingenium nouerant, eam pacem tanquam vi expressam haud multum duraturam dicerent, quòd Galli aliquanto arrogantius quàm deceret, pontifici præscripsisse viderentur. Promittebat rex Gallus se bello & pace amicum sacium q́; futurum pontifici, venerariumque eum maiorum more vti verum Christianæ religionis principem, neq; vnquam his in rebus quæ religionem placitaque pontificum respicerent, ab eius authoritate discessurum. Contrà vero postulabat, vt portus Ciuitatis Veteris cum arce apud Centumcellas sibi dederetur, ad classem Gallicam quæ Tyrrheni maris oram legebat, excipiendam, & Cæsarem Borgiam filium, qui tunc cardinalis erat, obsidem daret, qui susceptæ legationi ad honoris ac amicitiæ speciem, quatuor menses castra Gallica sequeretur: traderetq́; item Gemem Bajazi-

tis Othomanni fratrem. Is tum in Vaticano in libera custodia seruabatur, quod eum Galli transmarino in bello sibi magno usui futurum existimarent. Hunc aliqui scriptores Zizimum imperitè vocarunt, quum Gemes de nomine Partherum inclyti regis appellaretur. Postremò in gratiam suam Gallicią nominis honorem, Brissonetum in collegium Cardinalium cooptaret. In hac omnia pontifex, nec illa quidem conditione reiecta facilè consensit: vt qui iam in animum induxerat, neminem vlla data fidei religione teneri, qui vi metúque subactus iniqua atq; indecora pontificiæ maiestati spopondisset. Itaq; in colloquium amicitia omni verborum atq; hilaritatis artificio simulata, in Vaticano deuentum, adorauitque pontificem proiectus rex, omnisq; demum turba procerum & ducum obsignatos aureis crucibus pedes osculatus est, obtercq; pontifex sena-toria purpuræ ornamenta Brissoneto de manu tradidit. Postremò Gemes ipse productus est, tabulisque super ea re publicè confectis Carolo traditus. Is regiam manum ac humerum osculo petiuit, precatusq; est grauioratione pontificem, vt se tanto regi, qui Orientis imperium animo concepisset, enixè commendaret: futurum enim esse, vti neq; pontificem cocessa libertatis, neq; regem adsciti comitis, quum in Graciam traiecisset, si consilio suo vteretur,

illo tempore pœniteret. Erat Gemes aspectu planè regio & graui ingenioq;, item Arabicis literis vehementer exculto, promptóque ad serenda salsæ vrbanitatis dicteria, vtque demum corporis & magnitudine animi sua stirpe minimè indignus. Is paucis ante annis mortuo in Asia patre Mahomete, quanquam ætatis prærogatiua superabatur fretus tamen populorum ac militū beneuolentia Ciliciaq; regulorum opibus, armis de imperio cum Baiazete fratre contenderat, victusq; in Prusiacis campis, & aliquanto post in Lycaonia ad Iconium amisso exercitu, Rhodum profugerat, ratus non defuturos sibi ad repetendam Asiam Christianos, quos propter antiqua odia recentesq; iniurias, & Asiæ incommodis, & Baiazetis periculo magnopere lætaturos existimabat. Sed alios quàm putarat Christianorum animos inuenit: A Bussonio nanque Rhodiorum equitum magistro carcere inclusus, & aliquanto post, vt tutius atq; humanius seruaretur, in prouinciam Galliæ finitimam est transmissus. Nec multum inde Innocentius pontifex cum Bussonio transegit, vt è Prouincia Romam adueheretur. Qua re impetrata, non multò post ipse Bussonius, quem Rhodus egregiè defensa omni honore dignum effecerat, & hoc quoque merito in collegium Cardinalium receptus est. Fuitq; Romæ Gemes ma-

gnum vectigal ipsis pontificibus per aliquod tempus, quum Baiazetes alendo fratri quotannis quadraginta millia aureorum nummûm pontifici numeraret. Ingruentibus autem in Italiam Gallis, Alexander, inito iam cum Aragonijs fœdere, Georgium Bucciardi natione Ligurem Turcicæ peritum linguæ ad Baiazetem misit, qui doceret quanto apparatu, quantisque classibus rex iuuenis gloriæ & proferendi imperij cupidus, Neapolitanum regnum inuaderet: quantisq; demum opibus confecto statim Italico bello in Græciam esset traiecturus: propterea eum enixè petere vt Gemes sibi traderetur, cuius auspicijs, propter magnas paterno in regno necessitudines, cuncta sibi faciliora eo bello futura confideret. Cæterum pontificem, qui Gallos, gentem admodum superbam imperijq; auidam sustectam haberet, atq; vrbis Romæ totiusq; Italiæ periculo plurimum angeretur, cum Alfonso fœdus percussisse paratosq; esse communi consilio eius gentis impetus terra mariq; sustinere: quando neque milite neque classibus egerent, modò alicunde pecunia iuuarentur. Vna autem ea ratione Baiazetem si quota sua parte aurum in stipendia suppeditaret, Græcia rebus opportunè consulturum: siquidem vrbem Romam Neapolitanumque regnum Othomannici imperij fore munimenta, si aliena in terra bellum

lum aleret, neq; eo sumptu deterreretur: multò enim commodius atq; facilius auro arceri hostes, quàm ferro ac viribus in ipso belli discrimine sustineri, quod ex rerum vsu plerunque accideret, vt qui pecuniæ parcendo, remota pericula negligere contemnereq; solerent, incumbentibus demum malis, desperato sæpe remedio grauiora detrimenta sentire consueuissent. Baiazetes qui cuncta hæc cum à speculatoribus tum multis etiam Alfonsi literis atq; legationibus vera esse didicerat, Georgio gratias egit, quòd se externum, & diuersas de diis atq; religione sentientem, Alexander qui sacri imperij fastigium teneret, adeò benignè amicèque de maximis rebus tempestiuè monuisset. Cæterùm suasit vt cum Dautio legato suo qui & pecuniam & secretiora de hisce rebus mandata deferret, in Italiam reuerteretur. In his mandatis erat epistola Græcè conscripta, qua rex Barbarus multa arte pontifici suadebat vt Gemem fratrem tanquam alienæ religionis hominem, veneno tollendum curaret, quem vnum, de imperio solicitus, ob ingentes viri virtutes, si qua sorte custodia euaderet, maximè formidabat. Id si præstaret pontifex ducenta millia aureorum nummûm, integra fide se persoluturum promittebat, Christique inconsutilem tunicam sicuti paucis antè annis Longiniana lancea cuspidem transmi-

sisset dono daturum, neq; unquam dum vita maneret, moturũ vltrò arma aduersus Christianos, secus ac Mahometes pater & auus Amurathes, qui infestissimi Christiano nomini continenter bella gerendo, nunquam ab inferenda iniuria cessauissent. Sed Georgius atque Dantius Hadriatico feliciter enauigato, cùm apud Anconam in litus descenderent, à Ioanne Roureo Iuliani Cardinalis fratre, is ad Senogallium suæ ditionis excubabat, capto nauigio, pecunia reliquisque rebus exuti sunt: quòd ille ob merita sub Innocentio stipendia multum à pontifice pecuniam sibi deberi prædicaret. Nec q; Alexander ea iniuria perturbatus, quanquam illi omnia hostilia minaretur, & à Venetis opem imploraret, quorum interesset Turcas toto eo mari inuiolatos præstari, quicquam tamen ex ea pecunia, quæ annui tributi summam excedebat, recuperauit: quoniam Roureus aduentantiũ Gallorum, quorum partes sequebatur, præsidio fretus securúsque in Piceni finibus, sacra pariter atque profana irati pontificis arma contemnebat. Dantius ipse pedibus Anconam profugit, atq; inde ad Franciscũ Gonzagã Mantuæ principem aduerso Pado delatus est, qui Barbarum propter amicitiam quam cum Baiazete multorum munerum mutua liberalitate instituerat, benignè susceptum, donatumq; pecunia et pretio

pretiosa veste in Græciam remisit. At Carolus qui Pontificijs solennibus sacris astiterat, extraq; Trigeminam portam Diui Pauli templum & ruinas admirabilium operum cupidè spectarat, Roma discedens, multis de causis bipartitò aggrediendos sibi hostes esse iudicauit, quòd id consiliũ paulò antè in Hetruria Æmiliaq; prosperè fuisset expertus, multumque numero militum abundaret: Inde facilè diduci debilitariq; hostium vires necesse fore prouidebat, si diuersis regionibus alia atq; alia arma ac duo propè diuersa bella, pulsis iam atq; perterritis inferrentur. Itaq; Fabritium Columnam, Antonellum Sabellum, adiunctis Roberto Lenuncurto, qui à præfectura Vitriaci oppidi à Gallis Bailiuus Vitrius vocabatur Gratianóque item Guerra, & Ciandeo cum Gallicis turmis, & Vasconum Heluetiorum q; cohortibus per Sabinum agrum præmittit, qui per Marsos in Aquilanorum fines irrumpãt, atque eam omnem Præcutinorum regionem, quæ Aprutij nomine nũcupatur, & Superum mare Apuliam atq; Campaniam per Apenninum lato ambitu centingit, ad deditionem compellant. Venerat paulò antè Cellanum Lucanus missus à Ferdinando cum equitum manu subitarijs q; cohortibus tribus, vt oppida circa Fucinum lacũ impositis præsidijs tueretur: Sed his viribus impar, nec tentato quidem

dem certamine, his locis celeriter expulsus est. Tallacotium subinde & Albam clariora Marsorum oppida, quæ tum Virginij Vrsini ditionis erat, Fabritius Columna recepit, quòd certo atque antiquo iure ad Columnios pertinere dicerentur. Eodem quoque victoriæ cursu, cum hinc Ioannes Rouereus, illinc verò Ioānes Paulus Cantelmus Soranis saltibus occupatis, circumiectos populos ad defectionem solicitarēt, tota ea regio incredibili celeritate ab Aragonijs defecit, reductusq; est in vrbem Aquilam Ioannes Galiosius, qui patria exul spe recuperandi principis in ciuitate loci. Columnios proceres & castra Gallica sequebatur. Ab alia parte Carolus cum tota mole exercitus, Latina via promotus castris ex itinere Montem Fortinum Iacobi Comitis oppidum in finibus Hernicorum expugnauit: Prosperoq; Columna, qui id hæreditatis iure repetebat, in ditionem concessit. Vixdum Romanum agrum Galli excesserant, cum Pontifex ingenti liberatus metu noua consilia expedire, quæ diu antè vel præsente etiam rege æstuando, & iustum dolorem multa arte comprimendo concoxerat: & demū quibus poterat modis Gallo hostilia moliri cœpit. Siquidem vti planè vir magni quidē animi, quiq; suæ augustæ dignitatis erat memor, quod Gallus in ea fœda pace sibi adeo insolenter præscripsisset, ferre non poterat: Ostiense præser

præsertim Cētumcellanaq; arcibus ereptis, iniectas proculdubio sibi atq; Vrbi compedes existimabat, ratus superbum regem, qui ante victoriam dubijs etiam tum rebus tam sauos gereret spiritus: si Neapolitano regno potiretur tum demum inflatum victoria, cunctis quas vellet belli vel pacis leges impositurū: ipsamq; Romani pontificis authoritatem, quæ hominū opinione potius quam certis viribus constaret, despectui protinus habiturum. Erat apud Carolum Antonius Fonseca Hispanus, vir bello & pace clarus, qui pro Ferdinando rege legationis munere fungebatur. Is cum Alexandro coniunctos habebat sensus, & nimia Gallorum felicitati, qui totam Italiam cedentibus cunctis, solo nominis fulgore terribiles, nec districtis quidem gladijs percurrissent, plurimū inuidebat: verebaturq; ne opulentum id regnum Hispanicæ stirpis occuparent. Quod vel ipsa populorum lenitate, et tantæ Aragonij exercitus imbecillitate, Alfonso præsertim fatali quodā metu consternato, infirmissimum esse prouidebat. Hunc idoneum ratus Alexander per quē Gallorum impetum moraretur, & spes adderet Aragonijs quominus celeri desperatione succumberet, induxit: cōmunicatis q; cōsilijs & verbis super ea re conceptis subornauit. Igitur Fonseca apud Velitras in consilio regis & procerum graui oratione habita, questus est, quòd

Carolus

Carolus qui aduersus Turcas bellum suscepisse eximia pietate videri vellet, Romano pontifici vim intulisset: cum Centumcellæ ipsaque Ostia Gallicis præsidijs tenerentur, Gemem q3 Turcam extortum minis secum abduceret, ipsum q3 pontificem & Senatores armorum strepitus subegisset Valentinus q3, interim cardinalis captiuo quàm obsidi similior castra sequi cogeretur: non idcirco Ferdinandū cum eo fœdus Perpenniano recepto, percussisse, ac fidem deduxisse nunquam se à Pyrenæis hostilia moliturum; & dum Galli Italiam peterent omnino quieturum, vt tota passim Italia nobilissimarū ciuitatum status conturbari Gallica libidine pateretur: ac sineret sacrosanctū pontificem ad iniqua fœdera sanciendā, summi periculi metu armis q3, ac ipsis propemodū admotis bellicis tormentis cogi: Lucenses primum pecunia fuisse mulctatos: Medicæos inde qui moderationis atque splendoris fama toto terrarum orbe singularem gratiam cum magna gloria meruissent, patria atq; penatibus eiectos: Florentinos verò, quibus ipse libertatem restituisse videretur, detractis Pisis, multis q3 eorum arcibus occupatis & pecunia pariter mulctatos, & prægraui inuolutos bello: Porrò Senenses euerso ciuitatis statu, Gallorum q3 præsidio accepto, nō tam sibi Gallorum aduentu violatam, quàm impotenter adeptam

libertatem queri: non procul quin q3 abfuisse vrbē Romā, quin iterū à Gallis fundities euerteretur. Quo tumultu territus pontifex omnis q3 ordo imbellium sacerdotum de ineunda fuga cogitarint: Sperauisse Ferdinādum, qui iustitiā omni tempore coluisset, quantum ad Neapolitanā rem pertineret, Gallos prius ex æquo & iure quā bello ac armis disceptaturos fuisse, cum Pontifex eius cōtrouersiæ æquissimus iudex atq; arbiter haberetur, & Alfonsus iudicio pontificis se staturū spopondisset: id q3 syncera fide præstiturū pontifex præsentibus Gallorū legatis recepisset: Proinde Ferdinandum postquā nullo humani iuris & scriptarum legum respectu regnum perpetua sexaginta amplius annorū possessione, & plurimis pontificum decretis Aragonijs regibus attributum, armis peteretur se Alfonsi regis qui & necessitudine gentis, & sanguinis atq; familiæ coniunctione sibi esset deuinctus, iniurias minimè neglecturum. Dicentem adhuc Fonsecam suborto fremitu Galli proceres interpellant, elatis q3 animis respondent, neq; iuræ sibi defuisse vnquā, nec defutura arma, quibus regna antiquæ suæ ditionis recuperēt, tyrannorum q3 hostium suorum superbos spiritus contundant: si Ferdinandus se Aragonijs minimè defuturū denūciaret, recentis q3 fœderis obliuisceretur, parū eare Gallos permoue

moueri, cùm vellet vires experiretur. Intelecturum enim protinus quid rex Gallus lacessitus iniurijs, animis atque opibus posset. Hispanos verò equites si in aciem prodirent, continuò sensuros quantum cataphractis Galli Mauros iaculatores, quibus ipsi Bæthicis bellis insuevissent, constantia atq; metu in ipsis congressibus anteirent. Disceptatum subinde est acrioribus verbis, cũ vtrinq; plures simul de ea re vehementissimè loquerentur, adeoq; inter se contendendo animis incaluerunt, vt Fonseca alioqui sedati vir animi, ira præseruidus libellum in quo fœderis capita vtriusq; regis manu subscripta ac obsignata erant, in conspectu regis concerpserit: moxq; Ioãni Petitto Cerbellioni & Carolo Arelliano Hispanis, qui apud Gallũ ordines ducebant, denuntiarit eos apud Ferdinandum reos maiestatis futuros, ni triduo Gallorũ castris excessissent. Post id factum, Valentinus cardinalis minus intẽtis in eius custodiam Gallis, mutato habitu è Velitris Romam profugit. Nec multò post & ipse Gemes ad Caietam moritur. Eratq; constans fama Alexandrũ, vt barbarus princeps inimici regis gloriæ atque spectaculo subtraheretur, ipseq; obiter proposita à Bajazete præmia promereret letiferum puuerem sacaris, quibus Turca poculis omnibus vteretur, miscuisse. Is erat pulvis ad fallendũ cardore

mirabili, nec iniucundo admodum sapore, qui non acriore vi protinus sicuti præsentaneæ venena spiritus vitales opprimeret: sed sensim venis illabendo, exitiabili tarditate grassaretur. Quo postea Alexander opulentos aliquot senatores, & postremò seipsam incaute mutatæ lagenæ, sustulisse ferebatur. Sub id tẽpus Alfonsus vt Gallicã classem toto Antiate litore ac finitimis portubus prohiberet, è Tarracina ad oppugnandum Neptunium duxit, quò Antonellũ Salernitanũ, Bernardinum Bessennianũ, & Claramontiũ regulos, tribus millibus peditũ onerarijs nauibus impositis è Genua paulò antè soluisse, & ad inuadendã Campaniæ orã aduentare cognouerat. Verùm oppugnatione oppidi improsperè tentata, cùm fœde admodũ tempestates subortæ essent, repentina imbriũ atq; ventorum vi oppressis ac penè deletis castris, Neapolim se recepit. Sed & Gallicæ naues eandem simili propè periculo fortunam tulerunt, quæ sæuiente mari difficilis ac laboriosa nauigatione in aduersa Corsicæ litora delatæ, post superatas niuosis ac desertis in locis terræ ac maris difficultates, portum Herculis tenuerunt. Cæterũ reguli cum multò maxima militũ parte, vt erant omnes maris tædio nauseaq; confecti, pedibus Romã ad Carolum contenderunt. Interea Ferdinandus in Cassinate agro ad sanctum Germa-

num

num occupatis Menianensis saltus angustijs suas atq; paternas copias aduentantibus Gallis opposuit. Ea sunt fauces montium inter se coeuntiũ quæ descendentibus è Latio in Campaniam & Leborios campos aspero & concisso aditu iter coarctant. Hæc loca per se difficilia, adiectis insuper aggeribus multò impediora reddiderat, finitimarũ q; Gallium ingressiu quos q; ingẽtibus arborũ truncis multa q; passim cæsa materia repente cõsperserat, ratus hisclaustris expugnandis distineri Gallos posse. Sustinẽdo enim atq; cũctando interim maiora parari præsidia atq; expectari hyemẽ quæ à diuturna ac insolita serenitate suas nondũ nines ac pluuias effudisset tũ uero futurũ, ut Galli qui impetu ac celeritate tantũ ualerẽt, cum pabuli inopia, tum multis aliarũ rerum incommodis afflictarentur. Erant Ferdinãdo equites cataphracti bis mille & sexcenti, leuis armaturæ autẽ quingenti, decora quidem ac ualida manus par futura hosti, nisi Fortuna quæ iam tum nimio plus florẽti Italiæ excidium parabat, & Virtuti & pristinæ eorũ felicitati nimiũ inuidisset. Sed peditatu Gallis longè erat inferior, cũ neque exercitatione neque numero, neq; armorũ genere Italus pedes subitario delectu magna ex parte coactus, Heluetijs atque Germanis, qui omnibus Galliæ bellis interfuissẽt, foret cõparãdus. Idq; præ

cipuè accidebat inueterata quadam Italorum duũ consuetudine, qui peramplum equitatũ alere, ei q; uni res impensius studere soliti erant, nec peditem magnificarent, quẽ expugnandis tantùm urbibus idoneum, apertis autem in prælijs prorsus inutilem ducebant. Sforti a etenim & Braccius Carmagnola q; & Picininus qui militiã multis antè annis in Italia extinctam cum magna gloria suscitassent, multa bella solo equitũ robore cõfecisse dicebãtur. Duraui tq; ea opinio pluribus annis apud imperitos principes, quii prauis mercenariorũ ducum consilijs decepti, neglecta peditũ cura equites passim tota Italia sibi & prouincijs graues instituissent. Siquidẽ callidi duces, qui crebris potius transfugijs quàm ueræ uirtute insignes erant, cũ discordia principũ opulentiores euaderent, consultò inter eos alebant bella, neq; ea unquam si iusto prælio certandũ foret, talla pleniore uictoria finiebant. adeò ut quæstui potius quàm decori promerendæ illam militiã habere uiderentur. Vnus tamẽ ante alios Franciscus Sforti a superiorũ insciti am occulta illa fraude cõmissam, multis suis aliorum q; periculis deprehendit, cæpitq; è peditatu fortissimum quemq; bello ac pace pariter præcipuo in honore habere. Vnde paucis annis effectũ est, ut ille ueteranorũ maximè peditum uirtute, summam sibi gloriã &

peramplum imperium perpetua victoriarum felicitate comparavit. Cuius consilia atq; institutæ exactæ virtutis atq; prudentiæ plena, si cæteri æmulatione disciplinæ secuti essent, profectò Italiam tot sæuis implicitam malis, quæ quondã cunctis gentibus bellicæ virtutis auspicijs imperauit, neq; prædæ, neq; ludibrio externis nationibus reliquissent. At Alfonsus postquam se destitutum auxilijs quæ frustra à Turcis pariter & Venetis implorat, tantiq; exercitus impetu, cui cuncta omniũ opinione celeriùs toto itinere patuissent, oppressum ac circumuentum videt, abdicare se imperio, Ferdinandoq; filio cura rerum atq; imperij relicta in Siciliã adnauigare constituit. Ingrauescebat enim in dies intestinũ malum, nec externis hostibus magis quàm domesticis laborabatur. Oderant eum plerique regni proceres, Neapolitanique, in primis, & singulæ fermè totius regni ciuitates: adeoq; pauci erant qui linguam moderarẽtur, & alienati populi fremitus ad regias aures sæpissime penetrarent. Accidit enim plerumq; vt ea odia, quæ diu in tyrannos stante eorum fortuna exitij timore dissimulantur, quum eorum res labare cæperint, acriùs atq; liberiùs erumpant. Post detectum enim eam coniurationẽ, cuius capita fuerant Reguli Sarnensis & Salernitanus, præter insitos mores, et asper & immitis cuae-

serat

serat: fueratq; in vindicandis iniurijs vehemẽs, ac perfidia admodũ seuerus & inexorabilis: vtpote qui timeri malebat, quàm humanitatis atq; clemẽtiæ nomine laudari. Ingruente autem bello, pecunias adeò inclementer imperarat, vt priuatè ac publicè multæ ciuitates contractò multo ære alieno ab immodicis fœneratoribus absumerẽtur. Ob earum rerũ conscientiã ac imminentis excidij metũ, ita erat animo perculso atque abiecto, vt vir paulò antè fortissimus, & modò tanti nominis imperator, fatali quodam horrore perturbante, cuncta imperitè ac timidè facere videretur. His diu ac multũ agitatus curis, cum omnino secedere decreuisset, Ferdinandum ab exercitu reuocauit: quẽ primo congressu inductum in intimã nouæ arcis partem, adhibitis amicorum præcipuis, in hunc modum allocutus est: Si Dij immortales qui hæc terrena haud dubiè regunt & regunt, hoc imperiũ Alfonsi proaui tui insigni virtute partum, auitiq; Ferdinandi singulari defensum cõstantia, ac meis denique multis laboribus stabilitũ, certa Fatorum lege mihi decreuissent, neq; in has vrgentis belli erumnas incidissemus, neq; qui modò terrori atq; formidini cæteris eramus, tam sæuis aduersæ Fortunæ fluctibus iactaremur. Nam quæ humana ratione prouideri potuere, omnibus prius nõ modò Europæ,

sed etiam Asiæ regibus non vna legatione nequicquam fatigatis, arma pecunias, milites, classes perquam maturè parauimus, quæ omnia hactenus non hostium virtute, nõ imprudentia vel ignauia nostrorũ ducum aut militum euersa sunt. Verum vna vis Fati, Dijq; ipsi meæ antepartæ gloriæ huic sceptro, & capiti deniq; meo nimium infensi, cuncta retroquerendo nobis eripuerũt. Nec abnuerim meã fortasse ob noxam aut grauiorem culpam, eos nunc me sentire infestos atque auersos deos quos sæpius dum famã egregijs militiæ factis extenderẽ secundos planè atq; propitios fuerim experius. Sed nec ob id aut vetera aut mitiore certè pœna fuerim indignus, cũ multorũ perfidia circũuentis, et in hac qua laboramus ærarij difficultate, necesse fuerit ãlenitate naturæ pristinus q; moribus nostris deflexisse. Nõ enim ijs dẽ semper artibus reges magna imperia tueri possunt, quibus ea quæsierint. Ignoscendo largiẽdo, indulgendoq; regna lato admodũ hospitio feliciter incuntur. Cæterũ cum praua inquietæq; hominũ ingenia, audendo, moliendoq; insperatas ex occulto tempestates cient, tum deniq; seueritatem pro clementia, parsimoniã pro munificentia pro facilitate autem ac lenitate illiberalem duriorem q; naturam, vtilia salutariaq; dideris. Stat animo fixũ illa in blanda spe melioris fortunæ, durando

rando, ac pertinacius afflictarũ rerum euentum expectãdo ea numina nolle experiri, quæ cũ semel irata fuerint, vsquequaq; humana consilia mille casibus inuoluunt, summa imis repente permiscent, & ante alia mentẽ quoque ipsam impotenter eripiunt. Non prouocabo inquã vlterius iratos Deos, ne scilicet reliqua spes omnes, quæ tibi ad ferendã gnauiter superandamq; huiusce belli imminentẽ procellã abunde supersunt, his meis malè ausis calamitatis cõsilijs euertãtur. Cedã itaq; imperio, patrijs, penatibus, atq; ipsa demũ Italia, vt quæ mea culpa nobis atq; Italiæ incidisse videntur mala & deformi exilio, & his erumnis meis expientur mitiusq; tecũ agere incipiãt Ludouicus & Ascanius auunculi tui, qui dum me vnũ petere, & persequi videre volunt, quòd immoderatæ eorũ ambitioni scelestisq; consilijs obsistere ausus fuerim, non solũ domui nostræ tanta necessitudine Sfortiano sanguini cõiunctæ, sed toti etiã Italiæ funestas faces intulerunt. Igitur mactè virtute fili, quod Dij, qui meliora mihi suadent, res saluas atq; hoc imperium incolume tibi faxint, accipe huiusce imperij insignia, aureũ diadema, ac eburneũ sceptrũ, quæ sicuti mihi monẽte numine diuties retinere fas non est, ita huic tantæ indoli et fatali virtuti tuæ merito debẽtur. Clarescès in dies felici rerũ euentu, superbisq; hostibus

impones iugum si qui verum militiæ laborē exme haud indecoro exemplo discere potuisti, alteram ab ea quæ veterem industriam meam modò eluſit atque deſtituit Fortunam aliunde quæseris. Perorante Alfonſo, omnibus obortæ ſunt lachrymæ, patremq; ipſe Ferdinandus & cæteri non aliter ac fato functum luxerunt. Interque ſingultus tranſlati imperij tabulæ, dictante Ioviano Pontano, conceptæ confectæq; ſunt. Nec multò poſt Alfonſius cum pretioſa ſupellectile quatuórque triremibus, Mazaram Siciliæ Vrbem delatus eſt. Ipſe verò Ferdinandus ſummo cū plauſu gratulationéque omnium rex ſalutatur. Erat in eo iuuene mirifica indoles bellicæ virtutis: nemo enim eo vel equitandi vel decurrendi agilitate atque peritia admirabilior habebatur: nemo eum vitæ ſplendore atque munditijs antecibat: nemo denique comitate, munificentia, liberalium̃que artium ſtudijs apud ciues æquè ac milites commendatior aut gratior vnquam fuit. Eum regio habitu in publicum ab arce prouectum, perequitantémque de more Vrbem, ordo procerum, togatorúmque collegia, & ciuium primores inter fauſtas acclamationes populi cuncta proſpera atque felicia ominantis, ſolenni pompa comitati ſunt. Nec multò poſt ciuibus atque proceribus, quorum animos redemerat atque deuinxerat, cum humaniter orando, tum pollicendo

licendo ſi victor foret, ſe eorum fidei gratiam cumulatè relaturum, de more ſacramento adactis, & conſtitutis vrbanis rebus in caſtra reuerſus eſt. Iam Galli in Arpinatem agrum peruenerāt, poſitiſq; caſtris ad montē Sancti Ioānis quod eſt oppidum Daualorum, omnem eum tractum effuse populabantur. Erant præſidio impoſiti oppido trecēti fermè pedites, quos Alfonſius Daualus ex clientibus ſuis magna ex parte coegerat. Ii cum ſe ſatis vel debili muro tutos fore crederent, nec tantam vim Gallorum tormentis, quantum poſtea ipſorum aliorúmque periculo compertū eſt, ineſſe putarent, non modò clauſerunt portas, ſed & præconem Gallum, ni portinus ſe dederēt, inſolentius eadem atque incendiū denuntiantem pene violarunt. Id factum, quòd in Gallia vel ſummæ in loquendo libertatis præconem, quem Aralduum vocāt violare nefas ducunt, ſuperbæ gentis animos vehemēter accendit. Nec mora tāta vi atque ira militum oppugnatio cepta eſt, vt paruo tēporis momento, nequicquā ſe tuentibus præſidiarijs, Galli perforata atque deiecta muri parte irruperint, neque quiſquam fermè eorū qui acrius reſtiterant cæſi ſuperſuit, quo ſpatio cæteri per aduerſam portā quæ ad Lyrim ducit, effugerunt: ſic vt imbellium ſalus (quod plerūque accidit) ſtrenuorum hominum morte conſtiterit. Caterùm oppidum

direptum atque incensum est. Tum verò tantus ab eâ crudelitate circunjectis oppidis terror illatus est, vt omnes reputãdo animis quã clade Mordanenses paulò antè & Montefortinenses affecissent, arbitrarentur, nullã mœnia nullasque copias in terris fore, quæ eorum tormẽtorum vim, tantiq; exercitus impetum sine summa pernicie sustinere possent. At Carolus promotis inde castris, ad sancti Germani saltum contendit, vbi Ferdinãdus suis munitionibus se tenere, hostemque ferocem & pugnandi auidum cunctando ludificari decreuerat, donec aut pabuli inopia aut tædio hyemis aliqua hostibus ex iniquo loco dimicandi necessitas imponeretur. Verùm hyberni dies perpetua aëris serenitate, vernis æstiuisq; persimiles, Gallorum spei tã opportunè acciderant, vt quanquam omne fermè pabulum ab Aragonijs paulò antè esset corruptum, ipsi tamen ex remotioribus locis facilè pabularentur, ac omnium rerum copia floridæ hyemis beneficio plurimum abundarent: Adeò vt cuncta secunda atque facilia Gallis, aduersa autem atque æstera Aragonijs fatorum vi ac superum consilio præberi viderentur. Sed dum Ferdinandus saltibus occupatis Gallorum impetum sustratur, Fabritius Columna quique cum eo erant Gallorum duces, vrbe Aquila atque omni eo tractu pulsis Aragonijs ex Apennino in

in Campaniã descendere, illóque itineris deflexu è tergo apparere cæperant, quo die ab antecursoribus Gallis turma vna tyronum equitum temerè vagantium intercepta est. Quibus nunciis territus Ferdinandus, ne ab duobus exercitibus intercluderetur, motis repentè castris, Capuam se recepit, obiecturus victori hosti Vulturnum amnem qui ab occasu mœnia præterlabens neque facilè ponte iungi sublatis omnibus nauigijs, neque ob ripas admodum impeditas profundumque alueum, vado transiri poterat: quòque vnus tantum pons esset quo vrbs ipsa suburbanis ædificijs coniungitur, qui facilè ex propugnaculis imposito præsidio defendebatur. Verùm & hæc quoque consilia nouus in vrbe Neapoli tumultus exortus interrupit. Populus enim perse mobilis, & rerum nouarum cupidus, ad fortunæ regiæ commutationem arma ceperat, factoq; impetu in Iudæos trapezitas qui opinione diuturni fœneris incupletes habebãtur, eorum domos temporis momento diripuerat, totaque vrbs ob id factum ad defectionem spectare videbatur. Quo improuiso fortunæ turbine perculsus Federicus patruus, ad Ferdinandum scripsit, vt postposita Capuæ atque exercitus cura, subsidio perditis penè vrbanis rebus venire maturaret: multitudinem enim ad arma consternatam esse, popularique petulan-

tia cuncta confundi: iámque edicta regia ac magistratus sperni: opus enim esse præsentis regis authoritate ad sedandos tumultus, firmandúmque nutantis ciuitatis statum. His cognitis rebus Ferdinandus quanquam magna animi perturbatione commotus erat, nec vllum his in malis consilium periculo vacuũ inueniretur, ipse tamen animo non deficit. Duces orat atque obtestatur, vt Capuã, dum ipse Neapolitanis rebus quietem afferat, ac demũ reuertatur, egregiè muniant atque defendãt: omnéque certamen, ne vniuersi prælij casum subeant, tolerando ac sustinendo deuitent. Confestimque Neapolim citato cursu contendit. Mirum dictu, quanta rerum eius aduentu mutatio sit consecuta: positis enim armis singulari omnium studio est salutatus, sedatique omnibus locis tumultus. Erat enim adeò celso infractóque animo, ac vultu maximè ad promerendam gratiam sereno, vt pro concione obnixè deprecanti, ne nefaria defectione se regem vel potius omnium fratrẽ in ipso patriæ gremio, apud omnium ordinũ ciues familiariter educatum, crudelissimis barbaris prodere vellent, certatim omnes fortunas ac liberos pro eius salute obtulerint, modò incolumi exercitu Capua teneretur. Quòd si Aragonij pulsi, vel timore acti inde excederent & Neapolis victor Gallus appropinquaret, cum iniquè impiè

impiéque facturum, si fidem datam à præoccupatis iusto metu ciuibus reposcendo, nobilissimam patriam efferis nationibus vastandam atque euertendam exponeret. Interea Carolus superato Lyri amne in Calenũ, & Campanum agrum ad Vulturnum descendit, confestim q3 & ipsum oppidũ Cales & Theanum Sidicinum ad eum defecere. Capuani quoque tametsi veteri studio Aragonium nomen colebant, de dedenda vrbe agere cæperunt. Quorũ animos per se inclinatos ac fluctuantes, non multò post ad defectionem impulit repentina Triuultij profectio. Is enim quod mandata ad res aliquas æquitate componendas, à Ferdinando ad Gallum se habere testabatur, Cales ad Carolum se contulerat: vbi cum agendo nihil publicè proficeret, priuatim sibi consuluit, ascitúsque est Gallicæ militiæ cũ eadem ala equitum qua modò Aragonium stipendium merebat. Eare Verginius & Petiliianus vehementer perturbati, quòd se excluſos fœdere & plane desertos à Triuultio quererentur, cum suo equitatu Nolam profugerunt. Iam enim milites sine pudore equos & supellectilem regiam dirripere, passimque turmatim dilabi, hostes appropinquare, & ipsi demum Campani aperte Gallicum nomen inuocare cæperant. In ea Aragonij exercitus consternatione ac fuga, Galli antecursores prouecti vsq3 in suburbana

bana tecta vltra Vulturnũ magnum tumultum edidere. Id cõspicati Gothifredus & Gaspar Germani, repentè cohortes portæ ac ponte sub signis eduxerunt, vt Gallorum audaciam reprimerent, & Campanos quos paudos & infide nutantes cernebant, aluciter erumpendo in fidē atque officio cõtinerent. Sed vix dum inito leui certamine Germani longius progressi, à Campanis ponte ac vrbe excludũtur. Tum verò centuriones qui modò ferocem hostem instando pepulerant, supplices ac proiecti in genua orare ac deprecari, ne cohortes fidelissimas benemeritásque de ciuibus ac paratas pro vrbis salute fortiter occumbere. Gallis ac Heluetijs infensis hostibus suis, trucidãdas tradere vellent: Vixq; post multas preces, pudore metum vincente, à Campanis impetratum est vt deni vrbem ingrederentur: neque alij prius succederent, quàm primi aduersa vrbis porta exiuissent. Eo modo cùm mœstitia inordinatiq; Germani pariter ac Itali pedites atque equites continenti agmine Neapolim ire pergerent, Ferdinãdum apud Auersam obuium habuerunt. Is quanquam omnia circum se ruere & copias dissipatas esse cernebat, tamen progredi non dubitauit, delatúsque ad Capuæ portam, nequicquam primores vrbis appellando ac precando vt se introduceret, vexillum Gallicum in mœnibus consti-

xit, neminéq; ex veteribus amicis ac clientibus ad colloquium prodeunte, Neapolim reuersus est. Sed & ibi cuncta repentino Fortunæ impetu euersa prostratáque reperit, præcurrerat enim fama Neapolim, Campanos defecisse ad Gallos, Triuultium ad hostes transiuisse, cæteros autem duces dispersis proditione ac metu omnibus copijs, fuga sibi consuluisse. Quas ob res Neapolitani, cum tumultu iterum exorto & cunctis ad arma discurrentibus aduentanti exercitui portas clausissent, ac solũ propè regem recepturi viderentur, Ferdinãdus copijs magno itineris flexu ad Coranum tam circunductis, in arcem sẽ recepit. Nec mora, multitudo opificũ perditorumq; hominum ad diripiẽdum regis stabulum, quod arci propè erat coniunctum, delata est. Sed eius fœdi facinoris adeò ingratum graueq; regijs oculis spectaculum fuit, vt Ferdinandus ciu nobilem eius loci apparatũ diripi generososq; equos ab infimæ sortis hominibus trahi cerneret, penè solus, & periculi & maiestatis oblitus in prædatores eruperit. Factumq; est augusto eius conspectu, vt alij metu pudoreq; confusi, proiectis in terram armis, veniam orarent, alij relicta præda diffugerent. Verùm paulò post receptis in arcem Germanis, custodiáq; Alfonso Daualo demandata, in Aenariũ insulam cum viginti triremibus adnauigauit. Vbi illa eadem Fortuna,

tuna, qua regno auitisq; laribus excedentem infensa persequebatur, etiam tum Veluti supremo in casu, reliquæ eius dignitati impotenter illusit, cum Iustus Iscla arcis custos, eodem qui nuper omnes fermè Aragoniorum clientes inuaserat, perfidiæ morbo agitatus, descendenti in terram fores occlusisset. Ferunt cum insperata Iusti perfidia consternatum, & coniectis in cœlum oculis querētem, quòd sibi immerenti à Dijs spes omnis salutis eriperetur, de maturāda in Siciliā fuga cogitasse: Verùm monentibus ita Fatis, portæ arcis cum paucis successisse, tantúmque Valuisse orando, ac suæ Aragoniæq; domus in eū beneficia commemorādo, Vt Iustus ea conditione, Vti rex solus ingrederetur, eum receperit: Tum vero Ferdinādum ea confidentia eoq; cultu ac vigore animi, districto gladio in custodem impetū fecisse, Vt Iusti satellites, qui armati in statione aderant, ipso comminantis ac imperantis regis aspectu perterriti, regijs dubia rei euētum expectantibus, ex templo portā aperuerint. Quo casu manifestè apparuit regum oculis in omni Fortuna quandā supra humanā inesse Vim: proditoribus autem degeneres esse animos, præsertim cùm in ipsa perfidiæ deprehenduntur. Postero die Carolus Vrbe receptus est, tantoq; studio Neapolitani in nouī regis ac externæ gentis spectaculum effusi, Vias exornando, Vi-

floviq; certatim atque ambitiosè gratulando, omnes humanos honores detulerunt, Vt tuxi primùm Veluti è sæua ac diuturna seruitute, externi regis beneficio ad libertatem reuocati viderentur. Sequenti die noua arx magno apparatu oppugnari capta, et ab area simul quæ Vrbē spectat, & ab hortis regijs: nec sine pernicie quidem Gallorum oppugnantium, quoniam è summis arcis propugnaculis, qui in opere circa munitiones ac Vineas agebant, destinatis tormentorum ictibus petebantur. Sed in arce multo maior metus, longéque maximum erat periculum, quum pila ferrea per fenestras adacta, interiora arcis ædificia deformarent, multosq; disiecto lapidū fractorumq; parietum ruina passim opprimerent: neq; vllus periculo vacuus locus tota arce custodibus interdiu vel noctu relinqueretur. Nam Galli constitutis semel certo in libramento maioribus tormentis, atque his ad libellam directis, etiā per tenebras in ea quæ ante destinassent loca, pilas certissima ratione conijciebant. Accidit q; memorabili casu, Vt multa Vis tormentarij pulueris & multitudo ingens Vasorū fictilium sulphure ac resina oppletorum, quæ ad obruendos subeuntes Gallos erāt parata, protinus incēderetur, cū fortè excussa tormēti ictu modica fauilla, cadi eo puluere pleni flammā corripuissent. Extemplo enim ingenti crepitu

edito

edito, & tota penitus eius conclauis testudine. Ci caporis reuulsa atque disiecta, ea vis incēdij fuit, vt multorum qui in proximo erant, fœdum atque deforme spectaculum puncto temporis ediderit: multi nāque flamma, fumo, ruinaque exanimati sunt: sed multò plures semiambusti, laceriq; artubus ignis violentia fœdè abreptis euasere, qui miserabili eiulatu dolorem exprimendo, ac frustra imploran do opem, amentes tota arce discurrebant: quibus neque opportuna remedia, aljs alio periculo occupatis, neque loca ad quietem satis tuta præberi poterant. Ea res initium desciscendi Germanis præbuit, nanque his conflictati incommodis palàm querebantur & ante alios Gaspar authoritate insignis, quod fortibus viris quibus aperto in prælio egregiè mori nō liceret tam fœdè paulatim esset pereundum, dum ea & nihil demum profutura cōstantia, regiam illam verius quam arcē tueri aduersus Vndiq; victorem exercitum conarētur: Satisfactū abundè esse vel datæ fidei, vel acceptis stipendijs, cum aljs ferè omnibus ad Gallos desciētibus, ipsi vni omniū ad extremū pro regis salute, vel iniqua etiam in pugna morte oppetere minimè recusarint. Insani profectò esse cōsilij pro rege à Dijs pariter ac hominibus profligato atq; deserto, perire malle, quā victoris clementiam ac liberalitatem experiri, quando &

& parat as vires haberet ad pertinaciā ipsorum vel vltimo supplicio vindicandam, & facultates eidē superessent in tam opima victoria ad gratiam, si se arcemq; maturè dederent, vberioribus præmijs referendam. Omnis enim laboris præsertimque militiæ finem esse diuitias, propter quas, patriam, vxores ac liberos reliquissent: proinde ipsos omnium fore stultissimos si illas à Ferdinando expectarēt, qui reliqua vitæ ac dignitatis suæ præsidia in ipsis tantum remis ac velis posuisset, abijcerent eas spes ac saluti fortunisq; nullo decoris metu consulerent. Ea enim omnia abundè sperari à victoribus, qui ad alia quoq; bella immortalium Deorum consilio vocarētur. Dum hos maximè sermones in stationibus serunt, totisque animis ad Gallum inclinant, Alfonsius Dauālus, animaduersa Germanorum consternatione quàm neq; eorum ingenia moderari, neque periculo obuiam ire tutò se posse persperceret, in triremem se intulit, qua ad arcem proram applicarat. Nec mora Germani ad diripiendam regiam gazam conuolant, loculorum claustra refringunt, qui omnis veterum regum opulentia atq; apparatus referti erant. Tum verò diuiti omnes potius quàm expleti, cum in tanta nobilis prædæ copia, quæ pretium decies cētum millium aureorū nummum excesit, neq; succi, neq; mantica militares asportantibus sufficerent

ficerent: Quin & tanto facinori ipsum quo
perfidiæ scelus addiderunt: Actum nanque est
cum Carolo per Germanos qui in partibus Gal
lorum militabant, Bussecco interprete, vt tra
dita arce certis conditionibus Gallica milita
adscriberentur. Sunt qui asserunt Ferdinan
dum prius quàm arce excederet de Gasparis
& commilitonum fide dubitasse, obiecisseq; ga
zæ regiæ partem Germanis diripiendam, vt
eo spatio sese è manibus illorum eriperet. Cæ
rùm constat, discedente Daualo, tum primùm
pretiosiorem supellectilem in prædam fuisse
conuersam: quamobrem non multis inde annis
Maximilianus Cæsar Gasparē ipsum in Ger
mania eius patrati sceleris conuictum securi
percusserit, absoluto Gotifredo, qui militum o
mnium iudicio, ne tantum facinus admitte
tur egregiè restitisset. Arce noua in potestatē
redacta, Galli ad oppugnandam alteram ar
cem quæ ab ouo nomen ducit, omnem torme
torum apparatū conuerterunt. Ea est rupi im
posita, quam L. Lucullus quondam à continen
ti ac Pausilypo mōte, vt Euripum immitteret,
multo seruorum labore abscidit: contra eam al
tera est rupes aliquanto excelsior, quæ à conti
nenti in mare porrigitur, in cuius summitate
terrenum erat propugnaculū, antiquitus pro
specula ab Aragonijs regibus ædificatum, quod
Piccus falconium appellatur. Ex eo loco in subie

ctam Oui arcem erat despectus modico inter
cedente maris tractu. Quod vbi à Gallis est
animaduersum singulari celeritate in summū
rupis verticem maiora tormēta contulerunt,
tantæq; vi oppugnare cœperunt, vt cum à su
periore loco pilæ conijcerentur, nemo in muro
consistere auderet. Quibus adductus difficulta
tibus Antonellus Picciolus custos, tametsi Ara
gonio nomini fidus habebatur, cū nihil durius
sibi sustinendum arbitraretur, arcem dedidit.
Vicentina quoq; turris, quæ in Megari Syre
num insula propè portum in magnam altitu
dinem extructa, nocturnum præbet ignem ad
cursum nauigantibus dirigendum, parua ne
gotio oppugnantibus Gallis cessit. Pari etiam
Fato Aragonius equitatus, qui Nolam conces
serat, missa eò Ligniniū ala sub præfecto Arsio
equis armisq; turpiter exutus est, reclamanti
bus Nolanis, qui iam antè elato Gallico ve
xillo & deditione per legatos facta, Aragonijs
militibus vti deditijs prolixè cauēdo, incolu
mitatem polliciti fuerant. Cæterùm omni equa
tum turba protinus dimissa, Verginius & Pe
tilianus ad Carolum Neapolim perducuntur,
custodiæq; traduntur periniqua equidem iure
& summa cum iniuria, vt Argentonius inge
nue perscribit. Eandem ferè fortunam tule
runt reliquæ copiæ, quæ è Pelignis & Præcuti
nis in Apuliam descenderant. Fuere in his ad

tria millia peditum Cantabrorn Italorumq; & grauis armaturæ equites ferè quingenti quibus præerant Cæsar Aragonius, Liuianus, & Andreas Matthæus Aquauiua: tenebātq; cursum in Apuliam eo consilio, vt Brundusij, Hydrunte, aut Tarenti consisterent, solicitatisq; inde Venetis ac Siculiensibus Hispanis, accitisq; è Macedonia Turcarum auxilijs, nouas inirent amicitias, & ad renouandum bellum maiora præsidia comparārent. Sed Fabritius & cæteri eius validi agminis duces, nūquam abeuntium vestigijs abscedendo persequēdo, cū expeditis equitibus eos vni tātis saluti cōsulere coegerunt. Quamobrē ea copiæ cū infesta vbique itinera, & infessos ab infensis populis amnes reperirēt, breui dissipatæ fugatæq; sunt, sic vt nulla certa eorū manus, quæ alicubi cōsistere auderet, aut renouare bellū posset, esse nūciaretur, præter eam quæ Cæsarem secuta, in Brundusina marcem se receperat: ea enim arx vna omnium totius regni postea in Aragonitarum fide permansit. Vt verò in maritimis Calabrorum Salentinorumq; vrbibus Gallica arma cōspecta sunt, tantus repente Turcis omnibus qui circa Epiri et Macedoniæ oram in præsidijs erant, terror illatus, vt plures oppida deserērent, & Græci in spem recuperandæ libertatis erigerentur, actum apertè arma, equos, commeatusq; expedirent, deq; recipiē. iis Gallis, &

lis, & Turcis vno edicto trucidandis consilia inirent: & ante alios mōtani Epirotæ, qui Chimæram in Acroceraunijs incolunt, quòd antea dum rupibus confisi suis libertatem obstinatè tuerentur, à Mahomete et Baiazete non vnā cladē accepissent. Factumq; est demum ad eā Gallorum famam, vt totæ Aetolia & Peloponneso Græci omnes intempestiuo libertatis desiderio, dum frustra Gallos expectant, in consilijs & concionibus à Baiazete desciuerint. Quibus cognitis rebus Bizantij extēplo classis rectā deductāq; est, remiges maritimis Asiæ Europæq; gentibus imperati, et copiæ omnes quæ in Danubij ripis, & mediterraneis Illyrici Maesiæ hybernabant, ad tuendā Epiri & Macedoniæ orā traductæ. Interea Carolus tantis rebus summa celeritate sine suorū vulnere consilijs, intentus conuiuijs equestribusq; spectaculis Neapoli, ornatissimæ eius vrbis delitijs fruebatur. Non deerant enim totius regni proceres, ipsas quondam Andegauensium secuti partes, qui nouo regi eiusq; ducibus nullo benigne hospitalitatis vel adulationis officio prætermisso victoriam effusè gratulabātur. Ipsi quoque Galli atq; Germani in summa rerum omnium copiosæ vrbis affluētia, vini præsertim nobilitate allecti, magnam partem militaris ferociæ exuerant, multorumq; molliuerāt animos corporaq; illustres fœminæ, luxu, comitate, erū

te, eruditis q3 munditijs, cùm certatim gentium more, etiam ludicra hastatorum certamina spectandi studio frequentarent. Eaq3 tum erat Verni cali clementia & peramœna temperies, vt non modò rex iuuenis, & proceres, qui reputando, quàm facilè victores euasissent, ob idq3 Italiæ opes ludibrio habendo in ea licentia solutiori vitæ indulgerent. Verum & ipsa quoque agrestis militum turba regiorum hortorum, et beati litoris amœnitate caperetur. Iamq3 & rex ipse & duces speciosorum paulò ante consiliorum obliti, omnes penitus transmarini belli cogitationes ita abiecerant, vt manifestè apparet, Gallos idcirco eius suscipiendæ expeditionis famam præbuisse, vt maioribus viribus niterentur. si consilijs suis causam religionis adiungerent: & hercle non inanis fama ferebatur nihil aliud eos vel ab initio, quàm de subigenda Italia atq3 Sicilia cogitasse. Quas ob res, velati in summo omniù discrimine metu consternati Europæ principes, solicitis animis reputare cœperunt, quonam Gallorum consilia armaq3 iam ab secundo vbiq3 rerum successu socijs pariter atq3 hostibus formidanda verterentur: quãdo nihil vsquam in Italia virium esset, quibus publicam salutem tueri possent, si rex externus iuuenili cupiditate aut ducum suorum impulsu, totius Italiæ regnum, & Romani imperij sedẽ, ac titulos affectaret. Ante alios

alios pontifex Alexander inermis & trepidus Carolo victoria plurimũ angebatur: quippe qui post Cæsaris filij fugam iam plane desciuerat: neq3 postea vti Alfonso Ferdinandoq3 Aragonijs nuper dedisset, tum victori Carolo id enixè postulanti Neapolitanum regnũ pontificia authoritate adiudicare voluerat. Ludouicus quoq3 Sfortia suis demum omnibus deceptus consilijs serò saperet, & ea quæ impenderent mala ægro animo prouidere cœperat, cùm Gallorũ copias robore, fide, disciplinaq3 firmissimas, vera tum primũ æstimatione metiretur, et præsentis maximè regis nomen, simoq3 eius cum summa felicitate coniunctã, in tantæ Italicarum opum imbecillitate formidaret, quando imparatis omnibus necessaria sumenda arma viderentur, atq3 etiam planè cerneret Gallum, modò latè imperaret, nemini datam fidem seruaturum: quoniam Turentum vrbem, vti se dono daturũ Sfortianæ genti ab initio icti fœderis promiserat post adeptã victoriam concedere recusasset. Eadem etiam cura Venetos solicitabat, qui se eius belli spectatores fore polliciti, vtriusque regis vires in dispari gerendi belli ratione fermè æquales fore crediderant, bellumque propterea diuturnum parari, quòd non vna, nisi admodum memorabili pugna præsertim propinqua iã hyeme posset definiri: in animum q3 subinde induxerat,

se tum in tempore, & magna quidem cum mercede belli moturos, cum Aragonijs rebus multiplici incommodo affectis atq; contusis. Gallorum arma suum impetum quo maximè valerent amisissent, quòd necesse erat accidere, si Galli cunctatione hostium atq; hyemis difficultatibus impediti in oppugnationibus singularum urbium senescendo, Calabris et Brutijs hærerent. Maximilianus quoq; Cæsar publico privatoq; odio Gallis infensus, nō modo gloriæ & magnitudini florentis Victoriæque inuentis inuidebat, verumetiā magnopere verebatur, ne augustum Romani Cæsaris nomen, quòd sibi Gallus multorum assentatione deberi existimabat, & fama partæ victoriæ, & præsentis exercitus viribus usurparet. His etiam Gallorum secundis successibus Ferdinandus Hispanus, sti erat ab multo rerū usu innatarq; prudentia in omni consilio exactè circumscriptus & cautus, vehementer permouebatur, cum in ea admirabili insignis victoriæ celeritate, Siciliam suæ ditionis & nudatam præsidio impotenti atq; auidæ noui imperij Gallicæ gentis audaciæ expositam videret. Igitur, quos modò nominauimus Europæ principes, suis exceptis Florentinis (Ii enim Pisas per Carolum se breui recepturos putabant) solenne fœdus circiter Kalendas Aprilis inter se percusserunt, his legibus, Si vno consensu communique impensa, tantas

tantas copias terra mariq; pararent, quantas pro tuenda salute publica satis esse arbitrarentur. Quòd si quispiam ex socijs alicui bellum inferendum putaret, id ille suis viribus & priuatis auspicijs gereret. & Carolo regi suus locus expressa conditione relinqueretur, modò æquissimi fœderis beneficio vti vellet. Per eos dies Ferdinandus ex Hispania Tritentium regulum cum valida classe, sæuo adhuc mari in Siciliā traijcere iussit. In ea fuere circiter quinque millia peditum, & delecti equites sexcenti, quibus præerat Consaluus Ferdinandus, vir Bathico bello clarus, qui postea Magni Ducis cognomen, & sua virtute & militum secundo fauore promeruit. Veneti supra quadraginta rostratas naues exornarunt, præfecto eis Antonio Grimano viro lectissimo magnamq; vim leuis armaturæ equitum quibus terrestris exercitus suppleretur, ex Epiro, Macedonia & Peloponneso mercede conduxerunt. Eodem quoque tempore Ludouici Sfortiæ pecuniæ, cohortes in Sueuia scribebantur, & Maximilianus literis significabat se in Italiam, cie facto opus foret, extemplo trāsiturum esse, adductura quinctam Germanorum manum, cuius virtute paucis antè annis Gallorum legiones Morinis in campis lutè prostrauisset. Baiazetes quoque qui iam certius de fratris morte cognouerat, caduerq; illius per legatos ex Italia Prusiam

siam Bithynia, vbi Othomannorum gentis sepulchra cernuntur referendum curauerat, non modò omnem belli apparatũ intermisit, sed et magna terra mariq; auxilia aduersus Gallos Venetis obtulit, cùm iam in ea nouis fœderis firma et Gallorum solutus metu, & reliquo etiã timore, quem ex inimicis fratris virtute conceperat, omnino liberatus esse videretur. At Carolus improuisa principum conspiratione perculsus, vehementer de parta iam victoria dubitare, queri se proditum iri fremereq;, ira tamen potius quam dolore agitari, et plurimum militum suorum virtute cõsidere. Nam etsi illi nondum ex professo hostes magnã causa aquitatem, lenitatemq; nouo fœderi, quod pro tuenda tãtum salute ac libertate percussissent, prætexuisse viderentur, ea tamen omnia cõtrà se parari manifestè prouidebat. Quamobrẽ optimum factu ratus si pontificem imparatũ, nec adhuc hostilia molientem, subito aduẽtu à cœptis consilij deterreret, Romam cõtendere, atq; inde in Galliam Cisalpinam penetrare constituit. Itaq; ex omnibus copijs, quicquid floris ac roboris erat, sibi delegit. Fuere expediti equites vtriusq; armaturæ quatermille, præter lateriones ac pueros armigeros quos secum trahunt, Heluetiorum verò ac Germanorum, itémque Vasconum peditum circiter octo millia, præter ea tormentorum iustus numerus, eorum præsertim

sertim quæ expeditis curribus veherẽtur. Reliquas verò copias per opportuna totius regni loca dispertitus est, vt vnaquaque regio certis suis præsidijs ac ducibus firmaretur. Caietæ et totius Campaniæ tuendæ cura Belcario demãdata est: Hunc vrbe Nola donauerat ararioq; præfecerat, Bailiuus autem Vitrius, & Gratianus Guerra ad Aquilam atq; Sulmonem. Marsis & Pelignis impositi. Persiuus cũ fratre Alegria Lucanam tueri iussus. Asbarra regulo Salẽtini: Obignino autẽ Erutij obuenerunt: Hunc magistrũ equitũ creauat, qui honos militiæ summus existimatur. Iulianus porrò Lotharingus in custodia Gargani montis constitit: Manfredoniæ autẽ Gabriel Monfalconius, & Tarenti Georgius Suillius præfecturas iniere. Neapoli verò, omnibus q; pariter copijs, Gilbertus Mompenserius cum imperio præfectus est, ad quem rerũ omnium cum vrbanarũ tum bellicarum summa respiceret. His rebus maturè constitutis, Latina via Romã profectus est, præmisso Andrea Lugdunẽsi Antistite, qui pontificẽ hortaretur, ne ipsius regis aduentu terreretur, aut quicquã hostile ab eo, qui & pietate filius, & pontificij nominis cultor egregius esset, sibi timendũ putaret. Regem enim adeò æqui iudicij pacatiq; animi esse, vt cùm ad colloquium veniret, in pristinam cum ipso gratiam, nec exclusis cæteris prin

principibus, qui sine causa de eius fide ac moderatione dubitassent, continuò esset redituru. Caterùm pontifex planè metu obrutus, cùm neq; sibi inermi cum armato rege de pace ac fœdere disceptandũ existimaret, neq; se colloquendo quicquã, quod ad rerum quietẽ pertineret, profecturum urbitraretur, & vehementer dubitaret, ne fides sua socijs ex contagione colloquijs suspecta redderetur, ex Vrbe Orbitum profugit, moxq; Perusiam. Vt inde per Vmbros ad mare, at demũ si Gallus insequeretur, Venetias protinus enauigaret. Sequebantur abeuntem pleriq; cardinales, turbaq; ingens eius generis hominum, qui honoris & quæstus gratia pontificiæ aulæ operam impendunt. Is præsidio erant, præter ipsos prætorianos, aliquot equitum alæ, quas Veneti & Ludouicus opportunè transmiserat. Carolus suæ spe deceptus, pacato agmine Vrbẽ Calendis iunijs intrauit, & Transtyberina in regione castrametatus est. Sed triduo post tribus diuersis agminibus ab Vrbe discessum, totusq; is tractus, qui Cassiam viam & Aureliã interiacet, transeuntium iniuriæ expositus pabuli & cõmeatus omnis generis detrimenta sensit. Sed Tuscanellensiũ calamitas insignis fuit: cũ enim rixa fortè exorta, Gallus lapide ictus cecidisset, cõmilitones irati non ipsum quidem percussorem, sed oppidanos omnes adorti, duce

Bastar

Bastardo Borbonio magnam eorum partem crudelissimè trucidarunt, atq; oppidum diripuerunt. Ii quaq; populs qui striq; via imminent, totus q; Senensis ager Pisas vsq; varia incõmoda passim accepere. Porrò Carolus cum Senas venisset, ita perturbatum ciuitatis statũ inuenit; vt ciues in quatuor diuisi factiones, insano liuore mutuo inducti, à rege præfectũ peterent, qui Gallico fretus præsidio inter ordines factionũ æquo iure libertatis nomẽ tueretur. Ambiebat ad id Ligninius propinquus regis, ita vt cohortem Gallorum facilè impetraret, quæ duce Gualterio Tinctauilla Vrbi præesset. Sed festinante in Galliam rege, non multo post depulsis foro atq; Vrbe Gallis, ciuitas ad veterem Pandulfi Petrucij dominatũ redijt. Pisani eo tempore cum Florẽtinis bello contendebant, cũ libertatem quã Gallorũ beneficio recuperasse videbantur, acerrimè tuerentur. Florentini etenim post exactos Mediceos, Caroliq; discessum in suam eum intenti curã, vt Pisas reciperent, magnũ numerum equitum & peditum ex veteribus copijs conduxerant: eis q; Herculem Bentiuolum, Franciscum Siccum, & Ranuccũ Martianũ militia claros, & fide maximè insignes præfecerant: quorũ virtute cõplura castella, quæ audito libertatis nomine ad Pisanos defecerant, breui recepta sunt, & in primis Bientina: ea

palu

paludi adiacet, & Pontis Eera oppidū, quæ tenui Pisanorū præsidio tenebantur. Nec multò post ductis ad Calcinariam copijs, nacti diem densa caligine nubilū, ita vt omnis è speculis prospectus Pisanis eriperetur, tribus ex improuiso præljs ad murum factis, occisoq; Ioanne Saluio præfecto, oppidum expugnarant & incenderant. Calcinaria autem capta, Legolum, Pallaia, Montefusculum, & Pontesacci, aliquotq; alia ignobiliora oppida ad antiquā Florentinorum fidem redierant. Ex aduerso autem Pisani per eos dies subsidio venit Lucius Maluetius vir fortis, & maximè pugnax: adduxitq; grauis & leuis armaturæ delectos equites & pedites veteranos spectatæ virtutis ferè trecentos. Ab Genua quoque submittente Ioanne Adurnio magna vis minorum tormentorum, balistarum, armorum, telorumq; omnium mari Pisas delata. Nam haud obscurè Pisani cùm pecunia tum armis ac milite à Ludouico Sforția iuuabantur, qui multis de causis, vti posteà dicemus Pisanos incolumes liberosq; præstare, porrò Florētinos, quòd Gallis faueret longo bello implicitos distineri atque atteri magnoperè cupiebat. His freti auxilijs Pisani, hostium duces, qui magno apparatu Buttū oppugnabāt, muriq; parte maioribus tormētis deiecerāt cū detrimēto inde discedere, ac incensis exterioribus ædificijs

cijs Bientinā se recipere coegerāt. Sed nec multis inde diebus par incommodum ipsi Lucio à Florētinis ducibus repēsum, cū è Cascina promotis castris, Liberatam factam oppidū in Lucensiū finibus, quòd à paucis Pisanis haud acriter obsidebatur, oppugnatū eum instō apparatu contendisset. Magno nanque itineris flexu, Florentinorū copiæ Liberatam factam ductæ, quarum aduētu præsidiarijs, & Barigo præsertim Bargæ, qui fortiter septem dies longè acerrimam oppugnationē sustinuerat, animi adauctī: Contrà verò Pisanis adeò imminuti, vt Lucius appropinquantium multitudine perterritus, defosso statim maiore tormento, ne eo hostis potiretur Pisas profugerit. Postero die Florentini equites eo successu elati, excurrendo populandoq; per Vallem Sercij amnis, quæ olim Auxeris fuit, ingentē pecoris atque hominū prædam egerunt, eucticq; vsque ad calidas aquas, quæ Mammosa dicuntur, adeò magnum suburbanis vicis terrorem intulerunt, vt Pisanus populus (sicut in summo accidit periculo) sonitu cāpani aeris è sacra turre ad arma sit vocatus, & Lucio militares copias educēte confestim eruperit. Comissumq; est atrox prælium in angustijs Capellesij pontis apud Fractam emissarium, quod ex Auxeri amne ad conuehendam materiā Laurentius Medices laborioso perutilique opere Pisas vsque

per

perduxerat. Pugnatū est ab initio magnā vi, sed Florentini improuisi hostis impetum non tulerunt, versiq; cum cæde in fugā trepidanti agmine Liberafactam se receperūt. In ea obtinendi pontis contentione, Herculi fortiter pugnanti equus suffossus est. Siccus ipse à pluribus simul circumuentus, multis q; clauarū ictibus contusus, agrè se è manibus hostium eripuit. Rouersius Bononiensis centurio insignis captus, & cum eo cataphracti viginti sex, magnusq; numerus aliorum equitum ac peditum capti vel exuti armis fuere. Lucius ouanti similis in Vrbem reuersus, vt hostibus perterritis aliam quoq; cladem pararet: Bernardinum Clostram & Animanigram Ligurem viros apprimè pugnaces, qui Vicopisano in oppido erant, de successu eius dei certiores facit, monetq; vt quas habeant copiat equitum ac peditū intempesta nocte educant, & ad occupandum Sercij pontem apud sanctum Giuliciū quà hostes sint transituri progrediantur: se Lucensi via ad intercludendos eos expeditas educturum copias, futurumq; esse si maturarēt, vt ea celeritate reliquæ hostium copiæ delerentur. Clostra & Animanigra imperata faciunt, & quanquā aliquanto tardius quàm putarant per tenebras iter confecissent, satis tamē in tempore transeuntibus iam hostibus superuenerunt, quos inopinantes

nantes & maiore quàm esset copiarum specie deceptos, emissis sclopis atq; balistis, ingentiq; simul, vt in victoria solet, clamore subito perturbarunt. Equites tamē agrestium beneficio vadis in amne repertis euasere, pedites magna ex parte casi captiq; sunt. Hercules verò citato agmine reliquias bis frustrà exercitus priusquam Lucius Lucam præteuheretur, Montecarlum reduxit. Atque inde Arno amne ad Montecuculli superato, in Setera castra ad Erapontem reuersus est. Victores verò spolijs onusti dum redirent, apud Liberafactam, tormentū, quod paulo antè desoderant repertum atq; erutum in Vrbem reduxerunt, & Lucius biduo post Cascinam, vt ex propinquo in omne hostium motus intentus bellum gereret copias suas adduxit. Fiebatq; propinquitate hostium, vt è quotidianis prælijs occasio præberetur, quum vtriusq; partis castella, agrumq; omnem repentinis excursionibus per mutua detrimenta deuastarent. Per eos dies, dum Lucius Cascinæ mœnibus teneretur, Florentini duces Ranuccium Martianum cum valida parte exercitus Rasignanum misere, quod est oppidum supra Liburnum, Volaterranis vadis propinquum, rati se aut Lucium interclusuros, si ad ferendam obsessis opem Cascinæ sibi egrediendum atq; eò contendendū arbitraretur, aut si oppidi præ-

sidijq; salutē omnino negligeret, oppidū nullo negotio in potestatem esse redacturos. Sed Lucius de eorum consilio coniectura iudicās, aliquanto minorem eius oppidi quàm exercitus cæsturam fore existimauit, Cæsinaq; se continuit, atq; ita Rasignanū quassato iam multis tormentorum ictibus muro, dedenteq; se præsidij præfecto receptum est. Subid fermè tempus legati Pisanorū, qui Neapoli ciuitatis suæ salutem libertatemq; Carolo obnixè commendauerant, ipso cōcedente, sexcentos pedites Gallos oneraria naui Pisas adduxerunt, quorum aduentus, sicuti Pisanis fuit gratissimus, ita Florentinorum animos vehementissimè pupugit, quum se decipi Gallica fide manifestè persperceret. Meminerat etenim se Gallorum amicitiam in spem recuperandæ eius vrbis, non modò cæterorum omnium Europæ principū societatis ac fœderi prætulisse, verum etiam quod pudendum omnino videri poterat, multa pecunia coemisse, à quibus tamen neq; arcem toties promissam recepisset, & contrà Pisani hostes, grauis cōtumeliæ ac iniuriæ nomine Gallicis auxilijs inuarentur. Tribus nanque antea mensibus à Brissonēsi, qui tum Maclodiensis cardinalis vocabatur, Neapoli magnis pecuniæ pollicitationibus impetrarant, vt idoneos homines mitteret, per quos Pisani docerentur, eam demū esse Caroli

voluntatem, vt in ditionem Florentinorum redirent, omniumq; iniuriarū impunitatem & lene moderatumq; imperium in posterum à veteribus dominis expectarent, sequestro & sponsore præsertim rege, cuius dignitatis esset præstare quæ promitteret, & vires haberet ad vindicandā iniuriā, si Florentini à pactione fide lubrica discessissēt. Sed Galli acceptis Florentiæ muneribus, quum Pisas venissent, & ad ferocem populum sinistra cōcionarentur, ludibrio habiti fuerant. Itaq; Pisani Gallicis confirmati auxilijs, summo omnium studio alacritateq;, Ferreto maximè Gallorū duce vt erat vir impiger nauare operā cupiente, ad oppugnandā Liberafactā proficiscūtur. Clostra & Animanigra duces fuere pluribusq; simul prolatis tormentis oppidum singulari militum ardore oppugnari cœptum. Defendebat se de muro turreq; Barigus Barga longè fortissimè, verū ea turris quæ multis incommodis subeuntes atque oppugnantes afficiebat, nō multis inde horis terribili violētia ingentis tormenti, quod à Pisanis Bubalus appellabatur, prosciss a labefactaq; est: ea magnam muri partem cadendo secum traxit præbuitq; terrorem defensoribus, qui mox sese dedendo, Pisanis victoribus arcem atque oppidum reliquerunt. Neque Hercules qui ad Erepontem castra habebat, subsidio Leboran-

tibus adcurrendum esse iudicauit, quoniam magnopere timebat, ne Lucius eductis Cascinæ copijs, & capto ad Vicopisanum itinere, à tergo protinus insequeretur, atq; ita pari arte vtrisq; bellum gerentibus, sicuti paulò antè Rasignanum receptum fuit, Liberafacta simili quoq; astu & celeritate hostium amissa est. Post id factum sanctæ Luciæ Vicus, Larius, & amissum paulo antè Lecolum, Pallaiaq; & minora aliquot castella quæ ad colles vergunt, à Pisanis in potestatem redacta sunt. Per eos quoq; dies Lucius circiter ducentos vtriusq; armaturæ equites & cohortem vnam hostium ad Fornacellas vltra Cascinæ amnem, qui Fossa dicitur, ex improuiso adortus prosperè conflixit, versisq; in fugam hostibus, adeò acriter cædendo capiendoq; illis institit, vt vsq; ad Erazontem sit prouectus: tantaq; fuit patenti portæ ingredientium trepidatio, vt nisi paucitati suorum militū Lucius diffisus substitisset, oppidum ipsum, in quo duces cæteræq; copiæ, & complura tormenta erant simul cum hostibus irrumpendo facilè capi potuisse videretur: magnamq; eo die Lucius apud Pisanos egregiè virtutis laudē promeruit, quòd ea prælio & periti ducis & strenui militis officium impleuisset. Biduo post Lucius fortunæ tendum ratus, quæ quum benigna semel arriserit, audentes secundo passu subsequatur,

tur, nocte intempestiua copias Cascinæ eduxit, profectusq; Pontesaccum, priusquam ab hoste sentiretur, admotis scalis in oppidum transcēdit. Quo tumultu Ludouicus Martianus Rannucij frater equitum præfectus, & Ioannes cognomēto Vetula, clari nominis centurio & cum his centum equites plures q; pedites capiuntur, oppidumq; diripitur. Erat specula editissimo in monte in arcis modum adificata, quæ Verrucula vocabatur, ex ea despectus erat in omnes campos: Pisaniq; intenti assiduè speculādo omnes motus egressusq; hostium ex oppidis notabant, & quam in partem verterentur, linteis vexillis & fumo, interdumq; ignibus & tormentorum scloporū significabant, magnasq; ea res Florentinis gerendi belli difficultates sæpius attulerat: Propterea & in castris à ducibus & Florentia in senatu decretum est, vt omnino quibus maximè artibus opus foret, Verrucula hostibus eriperetur. Itaque ad terrendum cohibendumq; Lucium, ne Verruculanis custodibus auxilio prosiliret, Franciscus Siecus ad Buttum validam equitum ac peditum manum adduxit, ipse Hercules ad pontem Era permansit: Montanus verò & Christophorus Epirotæ viri sortes cum peditatu montem subire iussit. At Lucius qui de consilio profectionem q; hostium cognouerat, milites cohortatur, vt

equo animo Cinius noctis laborem ferant, quid fieri Celsi monet, & flumen Arnum de secunda Vigilia Vado transgreditur, inalbescente quoque cœlo Buttum ad hostem peruenit tarditatem sæpe militum castigans Verbis, & seipsum incusans, quòd noctis breuitate deceptus manifestæ iam in luce, rei bene gerendæ occasionem amisisse videretur. Sed vt in bellicis rebus accidit, in quibus fortunam omni prudentia maiorem sæpe experimur, secus ac ipse putauerat, sibi secunda omnia, hosti verò maximè aduersa contigerant. Siccus enim cũ paulò antè per speculatores Lucium suos arma capere, paratósque esse ad profectionem iussisse cognouisset, instratis frenatisq; equis totã noctem insomnem duxerat, ne ab inquieto acerrimoq; hoste imparatus opprimeretur. Oriente autẽ iam Sole, nihil de insidijs amplius dubitando, milites corpora simul & equos curare permiserat, sic vt tum primum Lucij antecursores apparere inciperẽt, quum Stecciani semisomnes, discincti inermesque ad primum Gigetum clamorem turbati oppressiq; sint, Burla equitum præfectus vir strenuus, dum inuadentium impetum pro statione impigrè sustinet, obtruncatur. Cæteri Sicco agrè euadente, paucis interfectis capiuntur, magnusq; equarũ numerus peditũ ex præda cessit: sic vt omnes fermè dum læti ac ludibundi redirent equites

tes facti viderentur, quòd thoraces & galeas relictas ab hostibus induissent. Eius rei gestæ nũcijs territi Montanus & Epirota, ne quicquam tentatis confragosis Verruculæ callibus ad Herculem in castra rediere. Sed dum Florentini duces acceptas clades nouis consilijs vltum iri properarent, prima Gallorum agmina quæ turrim Sancti Romani ex itinere expugnarant, oppidumque Montopolim diripuerant, aduentare cœperunt. Quorum aduentus, Florentinos, quoniam suas copias transeuntibus Gallis misceri multis de causis nolebant, ponte Eræ & cæteris quæ obtinebant Castellis, decedere coegit: præbuitque miseris oppidanis materiam iterum rebellandi, quum Pisani relicta ab hostibus loca circunductis præsim copijs occupare niterentur. Porrò Carolus magna omnium alacritate à Pisanis susceptus est: ac veluti author eorum libertatis ab omnibus ordinibus salutatus. Cæterũ, vt erat incertus consilij, quum orantes proiectiq; ad pedes, vt ciuitatem liberam & incolumẽ vellet suppliciter postularent, ambiguo quodam responso spes eorũ nec impleuit, nec eluſit, quòd se & promissis omnino staturum, nec se vllis Florentinorum precibus discessurum, nec equitate polliceretur. Sed adeò mirifica erant omnium ducum Gallorumque militum studia erga Pisanos, vt quanquam ingrata auribus

verba retulerant, neque tristes essent, neque illis ambiguæ regiæ voluntatis indicijs frangerentur. Dum Pisis Carolus moratur, multorum literis fit certior Ludouicum Aurelianum, quem apud Astam ad incerta belli cum valida copiarum parte reliquerat, Nouariam occupasse, nouóque eorum motu in summum amittendi imperij discrimen Ludouicum Sfortiam coniecisse. Quo nuntio incredibili lætitia affectus est, quod non modò euadendi, verùm & occupandæ Galliæ Cisalpinæ occasionem sibi dari à Dijs immortalibus arbitraretur. Scripserat enim multum antea audito nouæ fœderis nomine ad Aurelianum, vt circa Astam quanta maximè copias posse celeriter pararet, quæ sibi per hostiles agros, contráque oppositas acies erupturo opem ferrent: Iámque tres alæ Gallorum equitum, & aliquot Heluetiorum cohortes duce Henrico, cui à lauto conuictu Germanicè Agnaolebano cognomen fuit, ab Alpibus descenderant. Sed Aurelianus per se strenuus, auidus imperij, nouisq; præsertim copijs fretus, vltrò sibi molendum bellum, & fortiter audendum existimauit, ne Fortunæ ad magna atque felicia aditum præbenti, deesse videretur. Cum Opicino enim Catia, Manfredóque Torniello, qui Nouariæ potentes clarique erant, occultè transegit, vt vrbem sibi traderent, eáque sibijpsis patrato negotio, quæ vellent

vellent præmia decernerent, se enim eius beneficij memoria nunquam esse depositurum. Siquidem Opicinum atque Manfredum ante alios eius ciuitatis, à Ludouico Sfortia iniurijs detrimentisque indignè affectos fuisse dicerat: rebatúrque eos qui iam animo defecissent, oblatæ occasioni minimè defuturos. Innocentium nanque Catiam Opicini propinquum, Ludouicus Sfortia aliquot ante annis fato functum, obiectis quibusdam criminibus, e sepulchro in ius vocari damnaríque iusserat, vt bona illius veluti conuicta iudicio per leges fisco addicerentur: quod sicuti inauditum & inexecrabile visum est, ita illi singularem inuidiam concitauit. Dum verò in Nouariensi latifundium ad eximiam fertilitatem magno studio conderet, quod de nomine suæ gentis Sfortiadam appellauit, vicina prædia impotenter ab inuitis dominis coemendo, ipsis Sfortiadæ finibus incluserat, corruptisq; priuatorum ciuium aquis vt sua plenius irrigaret, alienos agros solito humore destitutos, penitus infelices reddiderat. Quæ duæ res grauibus incommodis complurium, & præsertim Torniellorum possessiones afflixerant. Igitur quum illi quei acceptæ iniuriæ vindictam coquunt, facilè ad omne periculi vel audaciæ facinus impellantur, data fide, susceptóque negotio, & die constituta, quæ diui Barnabæ erat

solennis. Aurelianum cum expedito equitatu è Vercellis conuolantem urbe receperunt. Venit etiam cum eo Ludouicus Salassorum regulus, qui eius consilij particeps factus montanorũ manum occulte cogerat, atque ita introductis armatorum circiter octo millibus Nouaria Gallorũ ditioni cessit. At Ludouicus eius nuntij atrocitate perculsus, extemplo ad Hieronymi Leonis legati Veneti domum ab arce cum paucis familiarium descendit, orauitque demisse admodum ac trepidè, ut imperium, fortunas, salutemque suam senatui uehementissimè commendaret, quando in ea fortuna iniquitate neque opem aliunde implorare, neque præsentia subsidia afflictis rebus expectare posset. In cuius rei celeritate non modò Gallia Cisalpina, sed totius Italiæ salutẽ ac dignitatem esse positam, quãdo cuncta uelinopinato casu, uel comuni omnium imprudentia, summi discriminis aleam subijssent. Solos esse Venetos, qui sicuti consilio atque opibus cæteros anteirent, ita ad iuuandum opportuna atque expedita remedia haberent, si non modò socijs in præsens, sed & rebus suis in posterum, absq; vlla cũctatione prouidendum esse arbitrarentur. Perũt Ludouicũ dum peroraret, & capita legati dextra se perpetuo Venetorum clientem futurum iuraret, nobilissima smaragdo illius digitũ induisse, ut ardentius atque propensius

sius pro salute sua senatui perscriberet, deque eius rei casu, & periculi magnitudine plenissimè doceretur. Triduo post Nouaria arcem à Galeacio Ludouici fratre magno sumptu ædificatam, Gallis dedidit Ioannes Calchus Virimbellis & timidus, qui beneficio potius quã virtute eam à Ludouico quæstus gratia custodiendam acceperat. Tum verò Veneti, qui neque socijs neque sibi deesse, uel æquũ uel tutum ducebant, referente Barbarico principe de bello pro communi salute aduersus Gallos gerendo maturè decernunt. Melchiorẽ Triuisanum & Lucam Pisanum eximiæ virtutis optimates, ad exercitum legatos creant. Franciscũ verò Gonzagam Mantuæ principem ætate florẽtẽ, belli decoris q; auidum omnibus copijs præficiunt: minores q; duces & copias ad constitutam diem in ripis Ollij amnis adesse iubent: mittitúrque ad Ludouicum Bernardus Contarenus cum sexcentis Græcis equitibus, qui Galeacium Sanseuerinum Ludouici ducẽ ad sequeretur. Is enim in Nouariensem agrum profectus, supra septingentos cataphractos sagittariorum q; equitũ plures turmas, & aliquot subitarias cohortes coegerat, quibus Galli interim ab excursionibus, inuadendis q; alijs castellis terrerentur, dum Germanorum pedestres copiæ aduentarent: quæ superato Aduæ monte per Volturenam uallem, & Larium lacum,

Lucum, omni adhibita celeritate mittebantur. Interea Carolus prouiso commeatu, & iumentis sex dierũ quiete recreatis Pisis profectus, Lucam contendit, libertate de qua adeò cupidè anxièque agebatur, Pisanis nec cõcessa, nec erepta, quum infamiæ, & maioris etiam periculi metu, neque fidem Florentinis fallendam arbitraretur, quibus accepta pecunia sedere paulò antè se coniunxisset, neque Pisanos, quos ipse in libertatem vindicasse videri volebat, Florentinis veluti iratis tyrannis excruciãdos tradere, vel æquũ vel regiũ putaret. Erãt apud Carolũ Iulianus Paulusq; Fregosius cardinales, & Hibletus Fliscus, qui vti exules solent, dubijs asperisq; etiam in rebus, cuncta facilia atque expedita ad victoriam pollicebantur si in Liguriam cum mediocribus copijs mitterentur. Differebant enim præsto sibi adfuturos montanos homines Fregosia factionis, per quos omnem inferioris Liguriæ oram in potestatem essent reducturi. Promotisque inde ad Genuam castris facilè fore, vt forti opera amica factionis, cui cuncta ordine communicassent. Adurnij vrbe atque imperio pellerentur, priusquam à Ludouico Sfortia, qui adeò opportunè graui bello domi esset implicitus, auxilia submitti possent. Philippus quoque Bressius Allobrogum principis frater, qui apud Carolum gratia atque authoritate plurimum

rimum valebat, vt qui maximè eorum consilium probaret, sese iturum, ac ducem eo bello futurum profitebatur. Itaque re ad consilium delata, comprobatque, Bressio duæ equitum alæ, Gallorumque peditum cohortes quatuor, & tormenta septem attribuuntur: Cum eo etiam Vgo Amboso vir nobilis militiæq; peritus, vna proficiscitur: ad Mediolanum quoque Gallicæ classis præfectum cum literis regijs plures simul nuntij mittuntur, qui moneant, vt ab ora quam legeret discedere nolit, terrestrium copiarum ducibus pareat: paratúsque ac intentus remigio & velis, quò opus esse videatur, protinus enauiget. Camillo item & Paulo Vitelliociõque Vitellijs fratribus, qui iam cum cataphractis ducentis, & totidem leuis armaturæ equitibus sese accepto stipendio Gallis addixerant, imperatum, vt in Liguriam proficisci maturarent, & Bressium quantæ maximè possent celeritate consequerentur. Ipsi cardinales passim ex Lucensium castellis, Apuanisque Liguribus pedites cogũt, & per Apennini valles notis tramitibus in Liguriam proficiscuntur. Carolus interea his rebus explicitis ad Apenninum magnis itineribus se extendebat, vt eo celeriter superato, ad Aurelianum prius penetraret, quam hostium copiæ, quas vndique cogi Padumq; traduci audiebat, ad Apennini angustias ducerentur

rentur. Vix prima Gallorum agmina subire cæperant, quum Pontremolenses, haud ignari quid sibi ab iratis Germanis timendū foret, oppido fermè omnes effugerūt. Nec multò post nequicquam prohibente Carolo, vel deprecantibus ducibus, totum penitus id oppidum quod ædificijs atque opibus pro loci opportunitate clarum erat, iniectis vno tempore facibus, barbaro furore incensum atque deletum est. Tormenta demum inde confragosis Apennini iugis ad Burgum castellum, quòd à valle Tarri amnis nomen ducit, magno quidem cū labore, sed maiore aliquanto militum studio traducta: Quando ea singulis attributa cohortibus, non solitis equis, qui in abrupto flexuoso, passim itinere minimè iungi coaptarique poterāt, sed manibus atque humeris militum traherentur, equitesq; singuli pilam ferream quinquaginta pōdo, in anteriore ephippij parte collocatam, alacriter deferrent. A Burgo latiore demum via, quæ ad Foronouū ducit descendere cœperūt, præmissisq; cum valida peditū atque equitū manu Gensis primi agminis dux, & cum eo Antonius Basseitus Heluetiorū præfectus, ac ipse Triuultius, & apud Foronouum locum castris antecaperent. Triuultio enim tanquā itineris duce Carolus vtebatur, atque eius viri consilio summam adhibebat fidem, cum propter singularem militiæ loco-

locorumq; peritiam, tum ob veterem simultatem, quam cū Ludouico Sfortia semper infestius exercebat. Vnde illi postea perampla opes atque ingens belli gloria, cum excidio totius Italiæ creuerunt. Habebat tum castra Mantuanes, cui se Calatinus cum copijs Sfortianis adiunxerat, ad Glareolam vicum in vlteriore Tarri amnis ripa, loco admodum opportuno, vt Parmensibus qui in tergo erant si ad defectionem spectarent, imminueret præsidioq; esset proximus castellis: ac si Carolus ea ire pergeret, primæ descendentium agmina iniquiore hosti loco, totis simul copijs adoriretur. Interim dum Galli Foronouo appropinquarent, Gonzaga de eorū aduentu per exploratores certior factus, leuis armaturæ equites, duce maximè Nicoleo Annonio Dalmata viro impigro præmittit, quē ad hostes aduolent, & dum ipse cum robore grauis armaturæ equitum, peditumq; expeditis cohortibus subsequitur, tumultuariæ pugnæ distineat. Illi imperata impigrè faciūt, adortiq; hostes subita incursione ex omnibus lateribus eos perturbāt, multisque cæsis ac captis, raptoque vexillo vno, priusquam cataphracti peditumque auxilia superuenirent, omnes retro pauidos auerterunt. Idq; propterea acciderat, quòd Galli nondum Græcorum militiæ vsum nouerant. Græcos enim insultantes simul ac multa arte refugientes,

quum

quum Galli ardore quodam pugnandi concitatius persequi vellent, ordinesque dissoluerent, illi subitò redibant in prælium pluresque simul expediti, singulos dispersos, graues armis, incautéque prouectos adoriebantur, facilèque incuruo & pragraui gladio more Turcarum, aut ferrea claua feriendo sternebant. Gonzaga quòd satis longo difficilique itinere fessos equites quo minus abeuntem in castra usque persequeretur, reuocandos esse iudicabat, eo successu contentus latis omnibus, & pleriq; præfixa læceis Gallorum capita gestantibus, ad exercitum reuertitur. Erat inter captiuos Antius Heluetæ cohortis præfectus, notus antea Calatino: Is primi agminis peditum, & equitum callidè mentitus, numerum adaugebat ad deterrendos nostros, ne audacius progressis incumberent, ita vt regem pariter cum media acie, & subinde Tramulium cum postrema non procul esse nunciaret, quo mendacio salutem Giensi allatam constat, qui paucitati militum suorum diffisus, perturbatusq; certamine in editiorem locum se receperat, vt ibi cõmunitis quoquo modo castris, vel tardè subsequentem regẽ expectaret. Sed quũ peritis ducibus delendi primi agminis occasio, ad summã demum de rege victoriã oblata videretur, Mantuanus nihil tentandũ esse, expertus Flandasq; omnino reliquas copias sensuit, vt toto

toto simul instructo exercitu tutius atq; nobilius conspecto rege hoste certaretur. Numero siquidem Italicæ copiæ superabãt, apparebatq; eas in congressu superiores euasuras, nisi à maiorum disciplina fædè discedentibus Fortuna defuisset. Itaq; Carolus integrũ sequentis diei spatium nactus, atq; opportunè assecutus primum agmen, ad Foronouum cõsedit. Intererat inter bina castra flumen Tarrus, qui ex appennino sæui torrentis more per abruptas Gallesi saxoso inæqualiq; alueo delapsus, patentibus demum campis in Padum euoluitur. Veneti à læua in latiore amnis margine, non longè ab Oppiano vico depressioribus locis tendebant, Gallus in dextro latere profluentibus vadum, in læuo Medesanum oppidum habebat, potitusq; superioribus collibus hostium castra facilè despectabat, quæ maximi exercitus speciem tot vndiq; erectis tentoriis, mirantium Gallorum oculis reddebant. Carolus vbi se exercitumq; suum eò perductum vidit, vnde sibi nulla spes euadendi, nisi duce Victoria relinqueretur, ad tentandos legatorum animos, si aliquot dierum inducias impetrare posset, caduceatorem transmisit. Nanq; Hercules Atestinus insita legatorũ ingenijs cunctationi faciens, paulò ante, vt animos cum regi tum Gallis ducibus inopinato hostium apparatu perculsos confirmaret, pro certo exploratóque per-

scripserat, neque legatos neque Gonzagam ducem generum suum illam habere à senatu committendæ vniuersæ pugnæ potestatem. Initur caduceator ad legatos ac duces introductus, regem suum vehementer mirari dixit, quòd Veneti quos nunquam iniuria lacessisset, ad prohibendum quo minus in Galliam proficiscatur instructis copijs aduenissent, se pro æquo iure gentium id tantum petere, vt per inducias exercitum commeatu nec gratuitò quidem passim iuuent, & pacato itinere in Galliam pertendere sinant. Id si fecerint se Veneto senatui eiusque ducibus singularem gratiam habiturum: Quòd si id præstare nolint, amicitiámque recusent, & contrà vi contendant, Gallos milites vera virtute non modò sibi aperturos viam, sed & regi suo iter ipsum prohibentium cadaueribus constraturos. Ea legati tametsi arrogantius quàm Italorum aures perferre possent expostita erant, æquis tamen animis exceperunt. Quoniam Araldos vel dicto violare nefas est, qui Gallico more superbè admodum & summa quadam dicendi libertate mandata deferre, & bella hostibus denunciare impunè solent. Cæterùm ad ea breuibus est responsum: Si Carolus occupandæ Italiæ consilia abijceret, Ostia atque Nouaria præsidia deduceret, & sine maleficio proficisceretur, liberam illi fore abeun-

abeundi facultatem: si ea facere negligeret, Venetos quoque sociorum iniurias minimè neglecturos, ac vti ex fœdere deberent, publicum totius Italiæ hostem bello persecuturos. Araldos ad Carolum reuersus, vtpote qui speculando cuncta propè oculis cellustrarat, multa de situ munitione que castrorum, & de numero, cultuque & alacritate Italorum militum anxio timentique similis enarrauit. Ita vt rex ipse, & plerique duces velati suprema in cura, & de salute omnium dubitare viderentur. Disputando enim aliqui Pisas redeundum esse, & sedem bello aduinctis Florentinis in Hethruria deligendam: alij nulla decoris cura habita expedito agmine per trãsuersas Apennini valles, ad Astam properè contendendum: cæteri nullam Aureliani rationem habendam, paciscendumq; cum hostibus, qui omnibus rebus superiores essent, modò regis exercitus q; saluti prolixè caueretur, censebant. Pauci deniq; erant qui regis vitam ac libertatem in periculum iniquæ pugnæ temerè deuocandam arbitrarentur: quum nemo esset, qui non de Regis potius, quàm de sua salute solicitus, imminentis prælij euentum omni alia re duriorem fore existimaret. Ita vt neq; exitum consilijs, neq; certam in eo discrimine seruandi exercitus rationem inuenire viderentur. Tum verò Triuultium, in quem vnũ ma-

ximè ducum oculis coniecti erant, in hunc modum magna omnium expectatione locutum ferunt. Qui de dubijs rei bellicæ casibus præsenti iam periculo consultant, vnam, quæ reliqua est & salutis & victoriæ rationem, ab ipsa animi magnitudine ducere debēt. Nam quum vis in negotio plurimum vrget, & forti pariter consilio factoq; maximè est opus demittere se animo vel pauore occupari, cum turpe, tum euentu ipso plerunq; funestum est: sed id multo magis indecorum atq; importunum videtur, quum ipsa pericula anxiè nimis expendendo, reputandoq;, & atrociora & maiora vero nobis effingimus. Dubitauere & quidem vehementer inuictæ Carole de tua exercitusq; salute nonnulli qui ante me dixerūt viri graues: & quod maximè eorum dictis fidem obligat, peracres & strenui bellatores, scilicet cōmemorando quæ penuria rerum famesq; viris pariter ac iumentis immineant: quæ locorum asperitates, quæ angustiæ & iter demorentur & virtutis vsum fortibus viris eripiant: ac demum quales, quantæq; hostium copiæ, & numero paucis & tanti itineris labore defessis, aditus ipsos ad euadēdum præcluserint: sic vt omnia alia experiri præstet, quàm desperatæ victoriæ, si contendendo summæ rei discrimen subire: quasi, vti aliquibus placet, per montana Ligurum, vt in patriam Italiæ partem

partem ad Alpes euadamus, impedimentis, maioribusq; tormētis hostibus relictis, clandestina fœdaq; fuga, generosissimo, ac semper victori regi turpissimum ac maximè luctuosum iter sit arripiendum, vel terga hosti danda, & Pisæ iterum repetendæ, vt mox circumfusis terra mariq; hostibus, fame domiti, dedititq; demum cunctis ludibrio simus. Neque id quoq; probauerim, vt turpi pactione tutum in Galliam iter ab armatis hostibus sit impetrandum. Per quam enim aliam fidem pacta omnia præstabunt, nisi per eam qua modò tam impudenter recentia fœdera violarunt? Sed hoc credamus perfidiosis hominibus, nam & vi aliquando datam fidem seruare solent, vt opportunius & maiore quidem cum lucro postea decipiant: Nonne hac infelici sponsione, tot viri fortes, qui Neapolitanum regnum egregiè defendunt, omni auxiliorum spe destituti, deserentur simul & sauissimis hostibus prodentur? cursusq; ipse ad ampliorē victoriam institutus si Nouaria vrbe præsidia deducantur, penitus erit interruptus? Ego certè id vnum & tutum & decorum consilium esse video, quod asperum & maximè periculosum cæteris videtur. Scilicet vt abiectis omnibus pacis aut fugæ cogitationibus, iter nobis quam primum gladijs aperiamus. Neque proinde quòd hæc successu ipso facilia vobis fore polli-

cear, nec de victoria desperem, plus prouidere animo quàm cæteri, & de toto instantis negotij euentu præsentire arrogantius videri velim. Hoc enim non ingenio meo, sed militiæ usui, & Italicarum rerum experientia concedi potest, quum abhinc multos annos omnibus Italiæ bellis interfuerim, quibus cum principum, tum ducum ac militum consilia, sensus, artes, disciplinámque ipsam abundè noüisse haud difficile fuit: quæ omnia sic me demum non obscuris meis sæpe periculis erudierunt, vt neque audacem, neque omnino trepidum fecerint. Ante omnia quæ animos periculi magnitudine commotos vehementer perterrent, illud minimè crediderim, Venetos collatis signis vltrò nobiscum esse dimicaturos. Nam præterquam quòd nullam consligendi potestatem legatis vel ducibus à Senatu eorum datam aliquorum literis cognouistis, quis putabit gentem ad trahenda bella, & ad cunctandum natam, tardis cautioribusque semper innixam consilijs, pro aliena causa, absque vlla necessitate, aleam vniuersi certaminis esse subituram. Auxere enim Venetorum suam sedendo spectandóque quum prælia temeritati ducum ac militum, & mille fortunæ casibus subiecta esse, facto sæpius infelici periculo didicerint. Stultum enim est in republica quæ perennibus consilijs atque inexhaus

exhaustis opibus viget, speciosos ab ancipiti cruentáque acie triumphos appetere, quum maturam certámque vniuersi belli victoriam non temerè expectent, qui bellicis sumptibus minimè deterrentur. Neque Ludouicum Sfortiam hominem per se timidum, suspicacem & valde cautum, id planè ex arcano consilio contendere arbitror, vt auspicijs Venetorum Gallicæ copiæ deleantur. Quis enim alius (quod dij auertant) eius victoriæ exitus fuerit, quam vt victori Veneto Mediolanense imperium prædæ cedat, quod impotentibus armis inuadendo lacerandóque singulari cupiditate semper affectarint? Sed putemus Ludouicum nihil hodie pro sano cautóque facturum, Venetósque item nouo quodam repentinóque consilio totius Italiæ imperium dubij Martis arbitrio commissuros, non ob id ædepol magnanime Carole de victoria fuerit dubitandum. Decedant fortibus animis inanes metus, quum ea omnia quæ sibi dimicaturo optimus quisque imperator exoptat, spem non dubiam rei bene gerendæ nobis polliceantur. Causa in primis longè optima, fidus ac veteranus miles, tormenta plurima, locus æquissimus, & nullius demum rei præterquam communis salutis & gloriæ respectus. Italorum hodie militum virtutem

neque eleuo neque extollo: Ineptè siquidem aut impudenter fecerim, si de hac re iudicij mei sententiam interponam: sic, vt integro pudore meo hoc vnum confiteri testarique non dubitem, nobis scilicet cum tyrone & collectitio exercitu rem futurā: multò enim maxima pars eorum equitum quos cristis armisque fulgentes conspicimus, nunquam nisi in pompa, dum lustrantur exercitus, ipsisque in ludicris pugnis atque spectaculis arma induit, aut clangorem tubarum audiuit, quòd in Italia multis ab hinc annis nec bellatum sit, nec iusta cruentáque acie dimicatum. Pedites ipsi non modò vim Germanicæ phalangis non ferent, sed nec aspectum quidem tanto ordine incumbentium armis animisque impares sustinebunt. Relinquitur vt artes & dolos alicuius inueteratæ prudentiæ ducis magnopere timeamus. Quas enim insidias tendet, quóve ordine per iniqua torrentis vada producet, vt nos densato agmine ire pergentes inuadat adolescens imperator, qui nulla vnquam præter hac sua, nominis hercle titulo potius quàm certæ virtutis merito militaria castra constrexit? Itaque rex inuicte, vt iam instituimus, perpetuadendum esse sensi, tu rectè feceris si milites, vt de pugnæ euentu non dubitent, hostésque desticiant, fueris adhortatus, ad lauam iuxta colles impedimenta paululum semota ab armatis

armatis ordinibus vel diripienda hosti, prædæ potius quàm pugnæ auido, non temere obijcerem. In dextra secundum amnem tormenta aduersus hostes collocentur. Ego primi agminis ac itineris cum Giense nostro collega ducem agam, periculóque propior dabo operam nauiter vt huius te suscepti consilij minimè pœniteat, reliqua belli munia veteres maximè duces inter se partientur, atque in vtrunque simul itineris & prælij casum parato expeditóque exercitu ad victoriam contendent, neque enim eos vel pristina virtus vel Fortuna tua destituet, qui perpetuis nobilitati victorijs strenuè pugnare vel pro vna tantum gloria didicerunt. Postquam Tritultius vultu fiducia pleno perorauit, nemo ferè visus est, quanquam non dubius quorundam animis insideret metus, qui non alacriter in eius sententiam iret, iurarétque se nisi victorem è prælio minimè discessurum. Tum verò Carolus dispositis equitum præsidijs, qui Græcos omnibus propè horis cum multo clamore varios tumultus ad castra excitantes ex omni parte reprimerent, integram ferè noctem peruigil ducens, inalbescente cœlo sacris interfuit, ientauitque, & vt idem facerent milites, ad itérque simul ac prælium capessendum corpora atque animos præparārent, edixit: nec multum inde validis potius quàm decoris protectus

armis equum conscendit, neque nobili colore vel celsa statura conspicuum, quum esset absoluta ob idque damnata nigredinis vnicolor, dextroque oculo captus: sed qui quadrato habitu indomitum præferret robur, humanoque propè sensu, sessoris iudicio concepta de se spes decus agnoscere. Neque enim vel à cono cassidis vel à regali cultu noscí volebat: vtpote qui sibi ad latus septem iuuenes fide virtuteque præstantes paribus ornatos insignibus antea delegisset. Prodeuntem milites ita alacri voce gestuque salutarunt, vt fari incipientem interpellarent, obsecrantes, vt de victoria quæ iam esset in manibus minimè dubitaret. Apparuit enim tum seipso celsior atque viuidior, quum esset admodum pusillus, & propter veterem morbum imbecillis, ad incessum cruribus nequaquam planè firmus & validus: Sed tum fronte atque oculis adunco que præsertim, & prominente naso, pugnacis ac intrepidi militis speciem præbebat. Consepsere medium regem bina ala nobilium equitum, quibus Scotorum prætoria cohors se admiscuit. Matthæus porrò Borbonius cognomento Bastardus, cui rex maximè fidebat, & Robinetus Framesella vir egregiè fortis Ludouici Aureliani cataphractorum doctor, alas suas consertim applicantes, hic in læua, ille in dextro latere constiterunt. Sequebatur interuallo

uallo duorum stadiorum tertium idque postremum agmen, cui fusius pernobilis in Aquitania regulus, atque ipse Tramulius magnis postea rebus gestis dux clarus, præerant. Apud hos insignium equitum robur fuit. Sed in primo agmine Germanicæ phalanges præcipuæ spei virtutisque, & tormenta maiora spectabantur. Antecedebant Gienses atque Triultius cum expedita manu equitum, vt sequentibus iter monstrarent. Hos ad teli iactum Heluetij Germanique quadrato agmine sequebantur, quibus Gilbertus Cleuensis, & Antonius Basseius duces, Germanicæ periti linguæ, triplex stipendium regio nomine promiserant si fideli fortique manu inuictum incolumémque regem præstarent. His ad læuam coniuncti erant ballistarij Vascones, & trecenti ferè ex prætorianis sagittarij, qui infelici consilio amotis equis in pedes desilierant, vt firmiore vestigio tendendis arcubus niterentur. Tormenta verò iuxta phalangem pari passu perducta, contra flumen quod intererat hostilesque acies collocata erant. Lixæ atque omnis incondita calonum turba cum impedimentis secundum sinistros colles iter intendebant. At Mantuanus qui Gallos, si ad læuam Medesanum versus deflecterent, quà illis iter erat in agrum Der-

thonen

thonensem, tergis abeuntium insistere & totis copijs persequi decreuerat, vbi eos ab Feronouo densis ordinibus descendere conspexit, sibi nequaquam amplius morandum ratus, aciem veterum militum vsus consilio, in hunc modũ instruxit. Erant vniuersa copia in nouẽ diuisa ordines, quæ duorũ amplius millium & quadringentorũ equitum cataphractorum, leuis autem armaturæ paulò minus duorũ millium, & peditum circiter duodecim millium summã efficiebant. In primo agmine fuere Petrus Dodus Venetus cũ Græcis equitibus sexcẽtis, & Alexius Beccacutus cũ totidem fermè equitibus sagittarijs, qui non arcubus ligneis, vti Galli solẽt, sed ballistis arcuferreis vtebantur. Quibus iniunctum fuit, vt colles à tergo circuirent, & in latus sinistrum primi agminis verterentur, vt ire pergentes Gallos, à cæpto iam itinere tumultuario pugnæ genere distinerent. In secundo Calatinus fuit cum Sfortianis copijs, ea ratione vt quum primum à Triuultio & Giensi cum leui armatura contractum certamen foret, ipse confestim occupatos turbatosq; ad dexteram adoriretur: Ea acies sexcentis cataphractis, & Germanorum mercede conductorum Italorumq; peditum tribus millibus cõstabat. Dux ipse ascitis sibi Rodulpho patruo, Ranucciõq;

Farnesio, cum delectis circiter quingentis cataphractis, & totidem sagittarijs, quatuorq; peditũ millibus, inuadẽdi medij agminis, vbi rex erat munus desumpsit. Fortebraccio autem Montonio cum quarta acie inuadendi postremos hostes sors obuenit. Ternæ quoque obiter subsidiariæ acies opportuno hercle ordine, sed fœdo admodum euentu constitutæ sunt: Ita vt Antonius Feltrius Vrbinas Imperatori, quum signum daretur, maturè opem ferret. Annibal verò Bentiuolus, & Galeacius Pallauicinus vbi opus foret, Calatinum consequerentur: Aloisius demum Aduocatus & Franciscus Gambara Brixiani, Socinusq; & Benzonus Cremenses, Montonij vestigijs insisterent. Hæc ideò constituta fuerant, vt quum vnaquæq; Gallorum acies suo implicata periculo proximè laboranti subsidio esse non posset, omnes simul vno tempore ab omnibus propè lateribus caderentur. Octaua nonaq; paulo remotius ad incerta prælij in subsidijs collocatæ. Talianus verò pius & Carolus Meliteus cum reliquis copijs castrorum præsidio relicti. Porrò tormentorum magistris imperatum, vt ea locis quantum ratione militari prouideri poterat opportunis, longo ordine secundum profluentis Tarri editiores ripas in hostes verterentur. Instructa acie Mantuanus ad legatos reuersus est, qui tametsi graui admodum

dum suspensi cura prælio decertare ab eorum Reipublicæ rationibus alienum esse iudicabant, ea tamen erat adeò egregiè instructi ornatique exercitus ad pugnandum alacritas, vt ipsos iam cautioris consilij pœnteret, & summa simul lætitia & certa spe victoriæ penitus implerentur. Neq; erat quisquam vel ætatis vel militaris dignitatis honore insignis, qui tum cunctanter aut suspensè de ineunda pugna consultare, vel palam de victoria dubitare auderet: nam plerique tyrones inani quodam pugnādi studio, ac virium fiducia elati si quem in eo summæ rei discrimine cautius consideratiusq; loquentem vidissent, palam incessebant probris, & segnem ac timidum compellabant. Accidit q; vt ipse Rodulphus, quum locum pugnaturis iniquum fore, & propterea prius exæquandum esse censeret, à Mario Caluisiano petulanter irrideretur. Is erat inter Mantuani familiares gratia decore iuuenta parta conspicuus. Illato enim ore dictitabat eos qui tantopere cuti suæ pertimerent cautè facturos si quamprimum abirent; & se Parmæ vrbis mœnibus egregiè tuerentur. Vtinam inquit Rodulphus qui verbis audaces & feroculi sunt, me vadentem in confertos hostes strenuè sequantur. Non enim pictarum & inanium hastarum (vt in ipsis fit ludis) ictus excipient, sed validos

lidos mucrones experientur: Dij q; faxint vt singulos hosce admodum speciosos alieno potius quā nostro sanguine desœdemus. Erat enim Rodulphus externæ militiæ verus atque præcipuus æstimator: quoniam ab incunte ætate inter pueros armigeros Caroli Belgarū principis, his q; tribus admodum funestis interfuerat prælijs, quibus ille postremò deuictus & formidabiles antea copias, & regnum ipsum cum vita pariter amisit. Interea quum iam Gallus appropinquaret, & frequēti tormentorum crepitu milites ad pugnam excitarentur, Mantuanus conuersus ad legatos: Si vobis, inquit, è Republica videtur, vt fortiter obuiam eamus Gallorum audaciæ, qui sibi totius Italiæ imperium barbara vanitate deshondent, minimè prolixè consultandū est: sed quum vis & tubæ hostium nos vocent, è vestigio de pugna cogitandum. Nam si hostem è manibus cunctando emiserimus, nequaquā parem eius opprimendi occasionem postea reperiemus, frustraque expeditum, vastantem cuncta, & subsidio suis ire properantem per asperos tramites persequemur. Ego equidem, si iusseritis, Veneto senatui probabo operam meam, cunctis q; corporis ac animi viribus contendam, vt Italo militi antiquum suum decus ab externis gentibus minimè ereptum

esse

esse protinus ostendatur, vobisq; Venetis Italicæ dignitatis veris certisque vindicibus clarissimus de superbo hoste triumphus nostra virtute comparetur. Ad ea Triuisanus annuente collega, Macte inquit ingenti virtute imperator, postquam adeò insigne studium erga Venetum nomen eximia animi magnitudine testaris, & te ad sempiternæ laudis fructum seruandæ Italiæ decus accendit, signa canere iube, & quod Veneto senatui sociisq; fœderatis bonum faustumque siet, instructas acies in hostem verte. fortiterq; vincendo enitere, vt familia tua perpetuò veteris gloriæ fulgore insignis, multò maximè decoris nouæ victoriæ titulus illustretur: Nec mora tympana tubæq; & tormenta ex propinquo in hostem emitti cœpta, vno simul tempore concrepuerunt, distinctæq; acies suo (vt diximus) ordine tribus in locis per amnis alueum ad hostes contenderunt. Verùm adeò temerè ac infeliciter procursum est, vt qui tanta alacritate ferebantur, summa locorum iniquitate prius turbati semiuictique sint, quàm ad hostes peruenire potuerint. Erat enim Tarri alueus enormis tortuosus, internatisque frequentibus salictis valde impeditus, ipsæ margines vtriusque ripæ, vbi torrentis aquæ vis allidebat, descensu pariter ascensuq; suaq; difficiles: aquæ etiam ab hesterno pleno imbre canis delapsa locis, in lacunas maximè limosas & cæcas voragines abierant: postremò vada ipsa vagantis amnis passim lapidosa atq; incerta: quibus rebus, vti necesse erat, transeuntium cursus atque impetus magnopere tardabatur. His conflictati incommodis, quanquam magna eorum pars ægrè se explicaret, nec præeuntes consequeretur strenuè tamen hostes inuadunt, hastis, gladijs concurrunt, ac triplici loco prælium atrox, varium, & modò ipsis, modò illis funestum miscent. Constiterant Galli loco admodum tuto, qui ab ea parte qua aditus dabatur, sulebrosus erat, & frequentibus arboribus impeditus: ita vt ab acclui parte Itali subirent, & dispersi cum confertissima hostium acie, maiore vi quàm arte, & iniqua demum fortuna dimicarent. Galli contrà densare aciem, nihil temerè loco dimoueri, in medium prorumpentes excipere, exceptos circumsistere, breuioribusque gladijs pertentando quà maximè penetrare in corpus ferrum posset, confodere atque prosternere. Interim Græci equites, qui primùm agmen inuaserant, quum à cataphractis nequicquam circumfusi vndique pellerentur, et Annonius, atque Busichius eorum præfecti viri acres, vulnerati prælio excessissent, conuersis repentè equis ad diripienda impedi-

o mentæ

menta conuolarunt, quæ monitu Triuultij de industria hostibus obiecta fuerant, vt illis præda occupatis, regi transitus expeditior atque facilior redderetur. Ibi lixæ, calones, & fœminæ, mulionésque inter iumenta cadentésque sarcinas fœdè iactati, ac dum repugnant, vel rapientes impediunt promiscuè cæsi, impedimentaq; ferè omnia capta direptaq; sunt. Is tumultus, quòd dissonis tot generum clamoribus cuncta perstrepebant, è proximo peditum cohortes etiam exciuit, quæ prædæ pariter auidæ ordines nullo pudore deserebant. Tum verò inter socios cruentum admodum & miserabile certamen exortum, quum regiam gazam alij in diuersa traherent, alij à validioribus oppressi, in ipsis prædæ complexibus cæderentur. Ea res omnium consensu Gallis salutem peperit. Nam prima Gallorum acies, Græcis ad prædam inclinantibus, ex transuerso eorum quos Calatinus induxerat impetum fortiter excepit, secundæq; laboranti opem tulit, & secunda pariter auctæ viribus atque animis pulso cum ingenti cæde Mantuano, tertiæ quam Montonius perturbarat, subsidio fuit. Ibi demum quum duæ simul acies, prima Gienſis, & secunda regis vtrinque Italum militem acerrimè premerent, Rodulphus atque Rannutius in medio circumuenti interficiuntur, totaq; pene

penè ala familiarium Mantuani in qua plerique nobiles erant conciditur. Cadit & ante oculos ducis ipse Caluisianus, & centuaria singularium peditum ad custodiam corporis delecta pariter cæsa protritaque est. Ipse Mantuanus, qui admiranda virtute per medios equites ad tormenta peruenerat, magistrisq; eorum, & equis quibus trahuntur interfectis, cohortem Vascomum tormentis præsidio constitutam, & prætorianos simul sagittarios procella equitum obruerat, è medijs hostibus equo grauiter vulnerato vix se eripuit, quum eum ingenti serica pyramide, quæ illi pro cono in galea fuit, ante alios conspicuum, & totæ acie volitantem omnes certatim peterent. Eandem quoque fortunam tulerunt Itali pedites, qui in parte Calatini fuerant. Nam quum primi eorum ordines prælongas hastas læuo sustentatas brachio (vt tum mos erat) ab solo excuterent, sequentes verò scutati hastilia lato ferro iacularentur, & ceteri post scutatos balistarij sagittas emitterent, non modò sine timore aliquo, sed etiam cum risu ab Heluetijs excepti sunt, qui in vnum densatæ phalangis corpus egregiè conglobati, id ineptum armorum genus atque eum pugnandi morem facilè contemnebant. Extemplo nanque vbi appropinquatum est,

extraordinarij delecti iuuenes fermè trecenti, qui propter laudem summo quæsitam periculo, vitæ prodigi perditique vocantur, ab vtroque phalangis latere prosilierunt, ac ingentibus gladijs quos ambabus manibus regebant, enormes hastas præcidere cæperunt. Quorum audacia territi penè omnes, priusquam phalangis impressionem expectarent, terga verterunt. Eoq; in loco Germanorum mercede conductorum cohors vna, quæ Gallica tormenta audacter inuaserat pertinaciúsque restiterat, peracri Heluetiorum impetu trucidata. Imber quoque admodum repentinus multa commistus grãdine, cum fulgore & tonitru cælo effusus, adeo opportuno tempore fusos iam & in fugam inclinatos afflixit, vt Dij ipsi pro Gallis bellum gerere viderentur. Tanta enim aquarum mole flumen Tarrus, qui modò arenti similis defluebat, torrentibus ac riuis vndique in eius alueum præcipitatis auctus est, vt neque euadere, qui iam in fuga salutis spem collocarant tutò possent, neque integri ordines, qui pulsis subsidio pergere cupiebant, amnem viros, equos, armaque sæuo impetu rapientem transire auderent. Nec interim tormenta vtrinque cessabant quanquam ancipiti vel inani periculo in permistos sæpius emitterentur.

tur. In tanta rerum iniquitate Mantuanus se ipsum non deserit, tametsi incredibili dolore erat perturbatus, quòd tot viros fortes suum sequutos nomen, ipsumq; Rodulphum patruum desperata ope circumuentos conspexisset. Erat ad læuam riuus vtrinque modico aggere castigatus, qui ad frumentarias molas defluebat. In eum præcipiti fuga pedites atque equites fœda colluctatione deserebantur. Quare animaduersa, Mantuanus mutato equo ibi constitit, increpando fugam ac sistendo signa, validam manum ex diuersis turmis in vnum coëgit, qui tametsi variis prælij fugæq; ac ipsius demum pluuiæ incommodis vehementer erant fatigati, impigrè tamen prælium redintegrarunt, effuseq; insecutos Gallos cum cæde repulerunt. Ibi Miolensis regulus atque ipse Borbonius ab Alexio Beccacuto in ceruice vulneratus, non procul à rege capiuntur, et nonnulli illustres Galli equites cadunt. Magno autem vsui fuit Petiliani aduentus, quo minus qui primò pugnam inierant delerentur: Is enim iam pridem ad Nolam captus, quum in Galliam duceretur, occupatis in eo prælij discrimine custodibus è medio tumultu ad Venetos perfugerat. Victosq; Gallos & in fugam coniectos nunciando cohortandoque ne certam victo-

riam manibus, emitterent, pauidis & dilabentibus animos restituerat, ita vt obuios quosque in prælium nominis authoritate conuerteret. Caterum Gallos à primo & secundo agmine, pulsum fusumque Italum persequentes idem inflatus amnis, ne summa victoria potirentur, retardauit, sicuti paulò antè, ne postrema Venetorum acies primis succederent atque opem perturbatis ferrent, obstiterat. Verum præclarè constat Giensem vel contrà ipso Triuultio & Francisco Sicco Florentinorum duce vehementer obtestantibus, ne occasionem delendi hostis deperire sinerent, terga dantes persequi aut omnino progredi voluisse, quòd à conspectu regij agminis nequaquā temere discedendum putaret, incerto adhuc prælij euentu, regéque præsertim à variis quamquam plane dissipatis hostium turmis ex omni parte circumuento. Nec multò post cocuntes circa regem plerique duces, receptui cecinerunt, vt coniunctis agminibus & densata rursus acie, motum hostium expectarent, quum noui atque integri armatorum hostium ordines parato ad excipēdam pugnam in vlteriore amnis ripa spectarentur: & fessis equis fessi ipsi milites requiescere, quam palantes persequi mallent, contenti scilicet ea victoria quæ reputatione perculi

culi seipsa maior apparuit: quòd non modò inuito hoste, sed eo pulso prostratóque iter ipsum vti instituerant sibi armis atque virtute parauissent. Mantuanus quoque subsidijs frustra expectatis, quòd reliqua acies sociorum clade, ac inflati amnis difficultate conterritæ pugnam detrectarant, ab vltimo abeuntium agmine se explicuit: atque amne æquoribus Gadis superato, ad legatos in castra se recepit. Hæc est illa memorabilis Tarrensis pugna, quæ maiore aliquanto temeritate quam ignauia, antiquum Italicæ militiæ decus amisimus: cæpimúsque cum inexpiabili ignominia nostra exteris nationibus, quibus modò terrori eramus, cōtemptui esse sic, vt eas in quas seruiente demum Italia calamitates incidimus, in hunc ipsum adeò lugubrem infaustæque pugnæ euentum referamus: & merito tantarū (quæ nox secutæ sunt) cladium authores diris imprecationibus prosequamur. Quanquam certo plane Deorum immortalium iudicio factum esse videamus, vt qui primi execrabili scelestóque consilio, patriam terram in has miserias præcipitarunt, ipsi ante alios, & insigni quidem exēplo, dignas exitiabili insaniæ suæ pœnas persoluerint. Perierē eo prælio ex Venetis atque Sfortianis supra quatuor hominum millia, in queis fuere præter Rodulphum atq;

Ranuccium, Ioannes Picininus Nicolai clarissimi ducis nepos, Galeacius Corregius, Robertus Strozza, Alexanderq́, Beraldus turmarum præfecti, itémque Vincentius Corsius, qui peditum agmen ductabat, & Malfactus & Gabanellus, qui in prætoria cohorte, cum aliàs tum eo prælio maximè eximiæ fortitudinis laudem adepti, euadenti Mantuano ingentibus romphæis sternendo hostes viam aperuerant. In partibus verò Gallorũ, præter inconditam lixarum multitudinem, quæ stragem multò maiorem fœdiorémque reddidit, viri fortes circiter mille: Desiderati sunt etiam in his Iulianus & Dasonius alarum legati, Vardeúsque Hippotoxotarũ dux, & ipse prætorianæ turmæ præfectus, atque item nobiles oppidorum suorum nominibus appellati, Torsuensis, Semplensis, & Ampracensis. Sed insignem omnino tacturam graui cum dolore rex sensit, quum sagittarios corporis custodes fermè omnes, quos remotis equis in pedes descendisse diximus, interfectos esse cognouisset. Nec ipse leue admodum vitæ discrimen subijsse fertur, quum perrumpente aciem Mantuano, perturbatóque toto agmine, penè desertus obuertendo frontem, & gladiũ stringendo, propulsantis equi inuicto robore se præcludubio seruatum fuisse fateretur. Caterum Caro

Carolus, signis receptui canentibus, insignes aliquot ex suis ob eximiam spectatámque virtutem, equestri dignitate donauit. Quod statim fiebat, & maximi honoris loco habebatur, quum rex ipso gladio districto viri fortis humerum leniter percussisset. In his fuit Camillus Vitellius, qui fratribus in Ligutiam tendentibus, Carolum sequebatur. Galli secundum Tarrum in proximo colle pernoctarunt exuti omnibus impedimentis atque tentorijs, & ad summam propè commeatus inopiam redacti. Qui tametsi non dubia potiti victoria effusè lætabantur, paucitati tamen suæ magnopere timebant, vel maximè propter sauciorum ægrorúmque numerum, quibus conseruandis auehendisque propter asperitatem itineris, maxima difficultas proponebatur. Videbant enim aduersarios multitudine expeditorum equitum plurimum valere, quorum indefessa opera ac celeritate præcludere commeatus, itinera obsidere, & nouissimos persequendo carpendóque variis incommodis, graue præsertim Heluetiorum agmen afficere possent. Sed hoc metu curáque ducibus occupatis, & maximè fessis, Germani Heluetijq́, quum rex eis donatiui nomine mille aureos nummos liberali manu diuisisset, ea nocte custodiæ castrorum munus cum multo tympanorum strepitu

 susce

susceperunt. At in Venetis castris varij erant animorum habitus: nanque alij mœrore, alij gaudio in singulis propè contubernijs agitabantur, prout quisque socium vel propinquum amiserat, vel optima præda fuerat potitus. Cessere omnia ignobilium militum, & præsertim Græcorum auaritiæ regij apparatus, vasa aurea atque argentea, pretiosa vestis, regale tabernaculum, aulea omnis generis, & gemmata sacrorum instrumenta, ipsēq; demum Neapolitanorum regum opes quæ in Galliam ad exornandum triumphum asportabantur. Cæterum duces præfectiq; omnes, postquam cum legatis in vnum coiuere, variè pro cuiusque ingenio disserebant: Alij enim, & ij quidem multo plures, qui timore oppressi videbantur, mutanda esse castra censebant, seruandumque exercitum, in cuius incolumitate salua & incolumes Italiæ res forent. Alij qui in prælio versati erant, & maiores quàm antea spiritus sibi desumpserant, inuadendum iterum hostem atque eum debilitatum vulneribus, ac timore consternatum omnino delendum iudicabant: Quòd ipsi non virtute Gallorum, sed locorum iniquitate superati viderentur. Tum verò Mantuanus si inquit hodie pari consensu, vel cuncti audaces, vel cuncti timidi fuissemus, neque de loco deserendo, neque de inuadendis hostibus ageretur: nam vel latiores cum rege captiuo in hostium castris cœnaremus, vel certè integri viribus atque animis, hoc ipso tutissimo vallo teneremur. Sed quum extrema consilia dissidentibus ingenijs semper efficiant, media autem in vniuersum iuuent, neque pauidos refugere patiar neque item permittam, vt viri fortes iterum pugnæ fortunam periclitentur. Quid enim aliud erit, hac non satis adhuc castigata temeritate, iniquo atque infelici loco hostem adoriri, quàm feras exagitare, atque ipsas vltimo salutis discrimine efferatas irritare? Vltima siquidem necessitas in rabiem vertit, atque eos plerunque, qui penitus de vita desperent, ex timidis longè fortissimos facit. Quòd verò castra procul ab hoste reducenda videantur, absit medius fidius à virorum consilio, vt quam hodie aliquorum ignauia & fuga ignominiam accepimus, eam fœdè castra retrahendo, veluti supremo dedecore cumulemus. Quid enim aliud subita mutatio castrorum quàm graue vulnus acceptum, timorem summum, desperationem victoriæ, & denique turpissimā fugā propinquis hostibus significabit? Manendum igitur his in castris, adhibendaq; fortiter opera, vt quod acceptum est incommodum, cautiore meo consilio, & feliciore vestra virtute farciatur. Primum omnium saucios Parmam deuehi.

deuehi, curaríque iubebimus: Integris copijs, & aliqua defessis requies detur, cura castrorum erit demandata. Ipse vigilias circumibo, cunctos aditus certis firmabo præsidijs, idq; omnino contendam vt nos quam maximè tuti ab impetu hostium reddamur. Crastina verò dies, motus animósque hostium clarius nobis ostendet, tutioremque viam consilijs nostris explicabit. Legati huic sententiæ facile assenserunt: Nam tametsi Mantuanus strenuis potius equitis quàm prudentis ducis officium impleuisse videbatur, tantum tamen aberat, vt eum à funesto pugnæ exitu temeritatis nomine reprehenderent, vt etiam hac nouæ probatæ virtutis inuictique animi gloria clariorem factum admirarentur. Nam per se vel peramplis aliàs gestis honoribus maximè clari senes, ea tanquam summè decora bellicæ laudis accessione lætabantur, eiúsque victoria magno Gonzagæ ausu propemodum parta, pernobilem de tanto rege penè capto triumphum aliquorum imperitia, aut ignauia sibi ereptũ esse iudicabant. Postera die Carolus per Argentonum, quem Venetijs ab initio legationis munere functum fuisse diximus, trium dierum inducias postulauit. Is cũ Roberteto scriba regio transgressus amnem, cum legatis & ducibus collocutus, multa de nouo fœderis iniquitate, de successu prælij, virorúmque illustrium

strium cæde, ac demum de euentu totius belli ita commemorauit, vt de pace, si per legatos liceret, vti pridie instituerat, acturus esse videretur. Verùm id colloquij genus eò pertinebat, vt interposita pacis mentione, Carolo se ad iter expeditum paranti, iustæ moræ spatium præberetur. Sed is eorum sermonis exitus fuit, Venetos aquissimæ pacis conditiones Carolo regi oblaturos, si Ostia atque Nouaria, vti antè denunciatum fuisset, præsidia deduceret, à populationibus ac incendijs abstineret, & in Galliam proficisceretur. Quòd si aliena occupando, Italiæ imperium animo volutaret, & propterea antiquæ spei insistendum, commorandúmque in Italia sibi esse censeret, ipsos cunctis opibus annixuros, vt omne Gallicum nomen Italiæ finibus pelleretur. Itaque eius diei tantum inducia ad sepelienda cadauera concessa. Quod vbi præconis voce vtrisque in castris significatum fuit, Itali Gallis permisti ad quærendos socios sese castris effudere. Reperti sunt supra ducenti, & in his Galli aliquot, quos agrestes, tergora etiam equis detrahentes nudos & multo luto cruoreq; in miserabilẽ modũ fœdatos reliquerãt. Inuentũ quoq; Rodulphi corpus pluribus honestis confossum vulneribus, quod Mantuanus in patriã cum multo funeris honore transmisit. Senatus autem

autem Venetus, vti à legatis nominatim acceperat, ijs qui fortiter pugnassent, vel egregiè pugnando cecidissent, insigni liberalitate præmia persoluit. Cunctis enim, & ante alios Fortebraccio, qui grauiter vulneratus vltimus prælio excesserat, aucta stipendia, honoresque additi. Cæsorum liberis, qui militiæ starent, præfecturæ turmarum datæ, filiabus autem dotes, & vxoribus annua pecuniæ in alimenta constitutæ. Notati quoque sunt ignominia plerique dissimulanter potius quàm seuerè: inter quos Antonius Feltrius Vrbinas quum ab alijs accusaretur, quòd subsidio peruentibus ire, vel transire amnem recusasset, missionem postulauit, veluti iniquè calumniatibus subiuratus: ne si mox Senatus iudicium expectaret maiorem existimationis iacturâ facere videretur. Sequenti noctu Carolus de secunda vigilia multis ad fallendos hostes ignibus excitatis, nullo tubæ aut tympanorū signo, sed per occultam tesserā profectione denunciatā, castris expeditum agmen eduxit, & Aemilia via rectum iter ad Trebiam intendit tāto vsus silentio, vt prius aliquot millia passuum sit emensus, quàm ab hostibus repentina eius profectio sentiretur. Luce facta cognitoque hostium itinere, Mantuanus Graecorum alas præmisit, quæ abeuntes persequerentur. Calatinus quoque & Fracassius eius frater cum expedito equitatu, vt nouissimos adorirentur subsecuti sunt. Qui tamen quum Gallis fugæ simile iter habentibus, maximè nocere possent, non modò nullam vim intulerunt: sed vti postea certiore fama vulneratum est, regem exitinere, ad Derthonam salutarunt, atque omnibus rebus & commeatu affatim iuuerunt. Id priuato eorum studio factum esse plerique arbitrabantur, quòd Sanseuerina familia Ludouicum Carcli patrem maximè coluisset, & ipsi paulò antè cum Obigninio aduersus Aragonios in Tozata Galliæ militassent. Alij porrò eos Ludouici Sfortiæ iussis opportunè paruisse censebant, qui non minus socios Venetos, si plenore victoria potirentur, quàm hostes Gallos vel integros viribus sibi metuendos esse iudicabat. Ferunt Gallos in discessu duo grauiora tormenta defodisse, quod effractis rotis conuehi non possent, quin & cremasse auratæ equorum tegumenta, multámque supellectilem: & demum, quod vix credibile est, quosdam suæ gentis, mortiferis vulneribus debilitatos, ne miserius apud hostes perirent, crudeli misericordia iugulasse. Caterùm Carolus iustis confectis itineribus, præter Placentiam atq; Derthonā nemini infestus, neq; ipse ab alijs lacessi

tus.

tus, quum passim commeatus amicè expositus transeunti praberetur septimis castris Astam peruenit. Veneti verò Placentiæ mœnia praterueĉti, Clastidium concessere, atque inde Pado ad Caseolum Vicum ponte constrato, per Laumellinum agrum ad oppugnandam Nouariam contenderunt.

SECVNDI LIBRI FINIS.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER III.

SVB idem quoque tempus Tarrensis pugnæ, nouum bellum conuersis principum studijs renatum, in Liguria vehementi factiosæ gentis contentione terra marique gerebatur. Nam Philippus Bressius, & cum eo Iulianus & Paulus cardinales omnibus inferioris oræ oppidis recepti, montanorum q3 clientum aduentu iustis aucti copijs, Genuam vsque processerant, positisque ad Terralbam castris, qui est locus supra Feritorem amnem, Fregosiæ factionis ciuium motus expectabant. Interim quotidianis equestribus prælijs certabatur: nam ex Vrbe Bernardinus Adurnius, corporis atque animi viribus bellator insignis, & Scaramucia Vicecomes, cum delectis turmis ea porta quæ ad Bisamnem du-

cit, ita erumpebant, vt singulis propè horis cum Gallis equitibus certaretur. Erant Gallo peditum omnis generis circiter septem millia, octingenti equites, tormenta septem, sed ea ad campestres vsus potius quam ad muros quatiendos idonea. Quibus de rebus fiebat, vt subire tentaréque mœnia nequaquam auderent: Præsertim quum iam valida peditum atque equitum manus, præter ipsam prætoriam cohortem, è Gallia Cisalpina in vrbem peruenisset. Tota igitur victoriæ ratio posita erat in auxilijs, quæ è diuersis regionibus expectabant. Baptista nanque Fregosius in Astensi agro aliquot peditum cohortes & equitum turmas coëgerat, quas partim ab Aureliano, qui tum Nouariæ obsidebatur acceperat, partim ipse amicorum Cardinalisque pecunia conduxerat, eo consilio, vt quum in Veciferum vallem descenderet, ab altera quoque parte quæ occidentem Solem spectat, vrbs vndique clausa graui obsidione premeretur. Vitellij quoque iam è Lunensi agro montes asperos & Petracrosiæ iuga superasse dicebantur. Classis item in Rapallino sinu erat, intenta ad Bressij ducis imperium in qua ingens erat copia tormentorum: quibus freti accedentibus vndique auxilijs, maiore demum fiducia vrbem oppugnarent. Quibus cognitis rebus, qui in vrbe erant Fregosiæ factionis, noua inituri consilia

consilia & palàm aduersus Adurnios ex tuto arma sumpturi videbantur. Præerat Ligusticæ classi Franciscus Spinula, ab oris fuscedine Mauri cognomen adeptus, vir domi nobilis, & in re nauali peritiæ singularis. Constabat ea paucis onerarijs, sed bellico apparatu optimè instructis, & triremibus decem, in queis tres erant Aragoniæ à Ferdinando missæ, quibus præerat Syracusius trierarchus. Galli autem octo triremes habebant, & tres galeones militariter exornatos, quod nauigij genus quandam minoris onerariæ, vel erectæ latæq; triremis similitudinem refert, velisque vtitur, & nonnunquam remis: præsertim quum ad captandum ventum, portu vel sinibus in altum educitur. Galli quoque Rapallo potiebantur, nam cuncta (vti iam diximus) eius oræ oppida singulari Fregosiæ factionis studio eos benignè receperant. Ibique tum tutissima instatione, & Bressij imperium, & captæ demum Genuæ nuncium expectabant. At Spinula qui maritimo negotio intentus, quibusnam modis hostes inuaderet vigilanter agitabat, per exploratores comperit hostium classem haud magno discrimine posse deleri, si Galli vno tempore terra marique inuaderentur. Quòd paruam admodum manum quæ classi atque oppido præsidio foret, Galli reliquerant, quum ipsis Genuam obsi-

dentibus nihil tale vnquam ausuros hostes putarent. Nec mora Adurnios fratres eius consilij participes facit, suadet vt magno ausu vnius noctis opera bellum conficere velint, cum ea prospera pollicetur, si ad fallendum vtrunque hostem & summo silentio, & singulari celeritate vterentur. Re comprobata, Ioannes Adurnius & Aloysius Fliscus, quos idem locus superioris victoriæ felicitate insignis plurimum excitabat, sexcentos veteranos, & subitarias cohortes duas classi imponunt, soluúntque è Genuæ portu de prima vigilia: & Rapallum litoralis aura beneficio perueniunt: ea enim noctu maximè ad cursum in quam volueris partem dirigendum, certo velorum flexu semper excipitur: Tantáque felicitate adnauigatum est, vt nulla eius profectionis fama, tot speculis tótque etiam exploratoribus ea litora obseruantibus, in castra peruenerit. Iam calum inalbescebat, quum Adurnius & Fliscus milites in terram exponunt actuarijs vsi nauigijs, magnarúmque præsertim nauium scaphis, & Rapallum oppugnare adoriuntur. Fit magna & in classe & in oppido, vt in re admodum repentina, concursatio: clamore sublato prælium in aditu oppidi committitur: ægrè impetum Gallisustinent: acriter tamen repugnant. Spinula cohortandis remigibus intentus, maxima vi ad

vi aduersis proris in hostium classem inuehitur. Iuuat nauticus clamor oppidum à terra oppugnantes: contrà illi alacritate pugnandi nauales socios accendunt. Dimicatur vtrinque summa contentione. Caterùm terrestres copiæ stratis hostibus oppidum irrumpunt, & nauales socij Gallorum triremibus potiuntur. Miolanius classis præfectus & Stephanus Vineus quæstoria dignitate insignis protinus sedebant, cæteri ad vnum paucis interfectis capiuntur. Videre erat in hostium nauigijs, ex Neapolitana præda, regalis apparatus, cubiculorum abacorúmque ornamenta, aulæa picti operis, intertextas auro lectorum stragulas, & plurimam vestem sericam nobilissimis Scythicarum Martarum pellibus suffultam. Itémque armorum tormentorúmque ingentem copiam, quæ omnia singulari ducum æquitate militibus cesserunt. Ea vbi per milites fuga elapsos Gallicis in castris ad Genuam nunciata sunt, Bressius & cardinales nihil sibi amplius expectandum rati, collectis repentè nec conclamatis quidem vasis, discesserè, superatisque Pinnimontis culminibus in Pociferam vallem descendere: ea tamen constantia atque ordine, quum properarent interfecerunt, vt agrestes plurimos, qui temere prædantium more è proximis vicis montibúsque decurrerant, conuersa acie, atque impetu facto passim

rio passim interfecerint: indeque incolumes per transuersos montes in Astensem agrum se receperint. Ferunt Augustinum Adurnium qui Genuæ præerat, magnam eo die potiendæ nobilis victoriæ occasionem segniter amisisse, quod patefactis repentè portis in abeuntes Gallos omnem militum ac urbanæ plebis turbam erumpere minimè permisisset. Cuius rei consilium fortassè improbandum videri posset, nisi vir cautus, & incertum Fortunæ euentum reformidans, absente fratre, ipsóque præsertim cum militum robore, inconditam paganorum multitudinem veteranis hostibus obijcere dubitasset. At Vitellij qui iam non longè à Rapallo supra Segestam peruenerant, de Tarrensi pugna, & de prælij naualis euentu, deque Bressij & Cardinalium fuga uno simul tempore certius cognoscunt. Quibus nuncijs perculsi, retrò agmen vertere constituunt, vt in Lucensem agrum reuertantur. Sed dum in unum de itinere consultant, superuenit agrestium Ligurum ingens multitudo, itinera obsidentur, expediti Ligures è superioribus cautibus saxa sagittasque ingerunt, nonnunquam ex propinquo protecti scutis hastilia iaculantur. Equitibus iniquissimis in locis difficilis receptus datur. Paulus nihil animo perturbatus, Vitellocium fratrem in fronte constituit: ipse in tergo ad cogendum agmen, vbi plus

plus discriminis erat, consistit, confertos densatósque iter facere iubet, cominus agmen lacessere audentes facilè summouet aut interfecit. Montani nihilominus instare, circumfundi, sublatis clamoribus undique premere, iter maximè demorari, aliquos sagittis, plures verò lapidibus vulnerare. Tandem ad Brachi montis angustias perueniunt. Pugnatur ibi acriter. Vitelliani tamen multis vtrinque acceptis vulneribus fortiter euadunt. Is dies equis ac viris longè grauissimus fuit, quoniam tanta erat agrestium multitudo, quum alij post alios ex proximis pagis ad præsentis prædæ famam euocati, in viam sese effunderent, vt neque viris neque iumentis vlla requies daretur. Peruenit tamen equitatus incolumis in quandam planiciem non longè à Borgeti vici finibus, in qua tum primum equi, quos ferme omnes loris trahebant magno esse vsui posse videbantur. Hucre animaduersis Paulus milites admonet, vt fugam simulent, Ligures in æquum locum eliciant, & mox conuersis equis incautè persequentes & dispersos adoriantur. Sed ad recipiendas vires vt tantisper consistant, & in orbem conglobati lentè admodum pugnent, opportunè præcipit: erant enim duorum ferme dierum inedia siti, vigilijs, caloribus, & continuo demum

pugna abruptique itineris labore vehementissimè fatigati. Nec multò post veluti soluto consilio, vt in vltima rerum desperatione fieri solet, salutem sibi fuga quærere simulant. Id conspicati Ligures qui paulo antè neque ex propinquo dimicare, neque intra sagittæ iactum metu ballistariorum progredi audebant, hac veluti fuga & timore hostium audaciores facti: continenti cursu per eam planiciem eos persequuntur. Tum verò Paulus: Hos inquit latrones quo depoposcimus lato loco tenemus, vrgete acriter equos, ac in eos quàm maximè crudeliter agite, vt tandem præclarè vlti iniurias, hac importuna insidiosa gentis multitudine liberemur. Igitur dato signo cataphracti abiectis ocreis ac humeralibus, vt expeditius pugnarent equos insiluunt. Leuis equitatus tensis ballistis, ac infestis conuertitur: omnes vno tempore montanos temerè procurrentes inuadunt: eos facilè dissipant, & cum magna cæde prosternunt: cæteri per asperos montes se fugæ celeriter mandant. Post id factum Paulus pacatiora itinera reperit, & per Lucensem agrum Pisas se recepit. Eodem tempore, & quod maximè admirandum videtur, ipso etiam die, Nonis Iulijs, quum pridie quoque ad Tarrum esset dimicatum, & Gallica classis ad Rapallum capta

pta. & Ferdinandus vrbe Neapoli incredibili ciuium studio receptus est. Post Caroli siquidem discessum, Neapolitani suopte ingenio nouitate regum, & rerum commutatione gaudentes, quum Gallos iam planè fastidirent, ad Aragonios rursus animos inclinarunt. Nam vti quisque equum insignem domi habebat, Galli eum tanquam ex Aragonijs stabulis abductum imperiosè repetebant, hospitabantur que vltrò apud priuatos ciues, quum semel hospitiorum magistri domorum foribus Galli hospitis nomen præscripsissent: Quibus admodum graues ac molesti erant: quoniam gens iracunda, sæpeque insolens, & in parando victu, cum ex suo, tum ex alieno admodum prodiga, apud Neapolitanos frugi homines, ac amœnitatis & munditiarum maximè studiosos cuncta perturbabant atque fœdabant. Plerique etiam assueti aulæ regiæ orbatam rege principe ciuitatem atque omni pristino decore spoliatam ægrè ferebant: quòd postquam Carolus, qui cunctos & præsertim opifices pecunia in omnes sumptus largissimè profusa locupletes effecerat, Neapoli discessisset, durioribus præfectis perpetuò seruituri viderentur. Quibus rebus per veteres clientes suos & quosdam nobiles Aragonij nominis studiosos Ferdinandus certior factus, ab

Aenaria insula cum rostratis nauibus Messanam adnauigauit, cohortantibus Alexandro Pontifice, & Ascanio auunculo Cardinale, qui eum tanta indole in spem recuperandi regni erectum, vehementi studio magnisque opibus egregiè subleuabant: monebántque tum maxime, vt eò trajicere maturaret, postquam Consaluus tanti apud Hispanos nominis imperator, ad eum in regnum ac patriam reducendum, ab Hispania cum regijs auxilijs in Siciliam peruenisset. Ferdinandus regio more sub vmbella serica singulari Mamertinorum benignitate susceptus, cum ipso statim Consaluo quibusnam rationibus gerendum bellum foret, consultauit: accepitque pecuniam ab Alfonso patre, qui è Mazara videndi filij Federicique fratris studio, Messanam se contulerat. Is erat lugubri indutus veste, capillóque in sacerdotis morem circumtonso, oculis deiectis, atque animo ad diuinarum rerum contemplationem penitus abstracto: sic vt humanis omnibus curis, ipsisque pariter voluptatibus, quibus antea luxuriose studuerat, renunciasse videretur. Nec multo post Ferdinandus atque Consaluus septingentis circiter equitibus, & peditum Hispanorum & Siculorum quinque millibus in naues impositis è Messana superato freto Rhegium

Rhegium trajiciunt: statimque expositis copijs tormentisque prolatis, vrbem oppugnare adoriuntur. Rhegini, qui ab exiguo Gallorum praesidio, quo minus saluti fortunisque suis cauerent, vel studium suum in tempore erga regem nudarent minimè deterrebantur, refugientibus in arcem Gallis, portas aperuerunt. Arx quoque triduo post magna vi oppugnata, ac demum fabri cuiusdam lignarij proditione, dum acriter certaretur capta: Gallique fermè omnes à muro praecipitati, quòd de deditione, dum cœptas perficerent munitiones, simulanter egissent: ludificatique diu crebris colloquijs regem, aliquot demum milites incautè ante arcem obuersatos, tormentis repentè emissis interfecissent. Rhegio recepto Ferdinandus Federicum patruum cum tribus rostratis nauibus in Apuliam misit, vt cum Grimano Veneta classis praefecto, Caesareq; Aragonio, & Camillo Pandonio, is enim à Baiazete redierat, aduersus Gallos bellum administraret. Grimanus viginti quatuor triremibus, & quinque onerarijs in queis plures erant Graci equites è Corcyra nuper aduecti, è Brunduſino portu eductis, ad oppugnandam Monopolim contenderat. Ea vrbs ex veteris Aegnatiae ruinis creuit: tenebatúrque tum satis valido Gallorum

rum præsidio, nec Monopolitani à Gallorum consiliis dissentiebant, quum in factiosa ciuitate alij, qui ab Aragonijs deficiendi authores fuerant, fortiter resistere vellent, alij porrò contrà ne hiscere quidē auderent, ne prius à Gallis inimicis q3 domesticis, quàm ab externo hoste, qui vniuersis vim inferebat, opprimerentur. Igitur Grimanus vbi eos neq3 spe optimarū conditionū neq3 vllo periculi metu permoueri videt, terra mariq3 vrbem aggreditur, admotis triremium proris in quas ingentia tormēta erant collocata, magna vi murum quatit. Summa mœnia deiectis pinnis, magnaq3 propugnatorum strage edita, defensoribus nudantur, ab inferiore tamē muri parte Galli resistunt. Petrus Bembus nobilis trierarchus serpentino ictu interficitur, plerique alij cadant. Tum verò Grimanus ira accensus, postquàm inquit Monopolitani Gallorum seruij potius quàm liberi esse volunt, obstinatis pereant animis, vosq3 milites suis fortunis opulentos reddant: statimq3 vrbem prædæ militibus concedi, si eam egregiè caperent per præconem totæ acie pronunciari iussit. Nec mora milites certis veluti præmijs excitati, summa alacritate murum subeunt, pars scalis pars hastis connixi, subleuatique aliorum humeris in vrbem transcendunt: multi ex Gallis

Gallis Monopolitanis q3 cæduntur, cæteri proiectis armis se dedunt. Vrbs diripitur, vixq3 templa in quæ fœminæ puerique confugerant, summo Grimani labore à militum libidine atque auaritia defenduntur. At Pandonius apud Brunduſiū dispari fortuna cum Asparra bellum gerebat: nam quum plura oppida eius agri Gallis ademisset, & in prospero rerum cursu versaretur, excursione ad Misagnam vicum facta, à vilissimo aratore vir nobilissimus est interfectus. Sed Asparra triduo post eundem propè vitæ periculum adijt, nam Pandonio eodem & hoste simul & amulo sublato, quòd illum Iapygiæ Apuliæ præsidem designatum audierat, dum alacrius & incautius per ea loca vagaretur, ab equitatu Aragonio interceptus est. Nec multò post Cæsar Aragonius copias quas habebat collectitias in Tarentinum agrum adduxit, & Grimanus & Federicus superato Iapygio promontorio in Tarentinum sinum cum vniuersa classe deflexerunt, spe eius vrbis per proditionem potiundæ. Verùm quum appropinquando ac sese terra mariq3 his qui res nouas molituri dicebantur ostentando, Tarentinorum voluntatis frustra periculum fecissent, essentq3 à Gallis, & ab arce, & à portu vehementer tormentis oppugnati, conuersis velis Leucopetram

petram alterum extremæ Italiæ promõtorium superarunt: & subsidio Neapolitanis relus, id maximè postulante Ferdinando, profecti sunt. Per eos quoque dies Caietani à Gallis defecerunt. Verùm ea res adeò funestum habuit euentum, vt cæteros quo minus id temerè auderent, deterruisse miserabili exitu viderentur. Sub id enim tempus quo Carolus Neapoli profectus est, Galli ad exornandas triremes pecuniam Caietanis imperarant: et ijs maximè nominatim quos Aragonijs rebus vetere quodam eius factionis studio fauere intelligebant. Ea res omnium propè ciuium animos vehementer commouit, qui non modò Gallos nouis oneribus minimè prægrauaturos ciuitatem, sed aliquid etiam de antiquis vectigalibus liberaliter remissuros arbitrabantur: vti omnium fermè populorum mos est, qui quum præsentia semper fastidiant, & noua temere exoptent, intempestiuæ cupiditatis pœnas sæpius persoluant. Igitur Caietani inopiam accusare, testari ciuitatem publicè ac priuatim veteribus tributis nouisq; sumptibus exhaustam, ac demum orare Gallos, ne quam opinionem de Gallici imperij lenitate omnes concepissent, eam acerbissimo iniuriæ genere fallerent penitus, vel omnino macularent. At Galli quos Belzarius quæstorum magister ad pecuniam exigendã miserat

serat, quum apertè imperium detrectantes cogendi potius quàm adhortandi viderentur, de capiendis his qui maximè recusarent, custodiaq; tradendis, consilium inierunt. Sed dum Galli vim parant, Caietani à fœmina quadam quæ per fenestram sermones exceperat, de ea re celeriter admonentur. Quibus cognitis, & ex vultu Gallorum facilè deprehensis, arma capiunt: Aragonium nomen inclamant: concursuque totius populi ad templum maximum facto, quod tum fortè supplicationes solẽni pompa circumlato Dei Christi corpore ducebantur, Gallos in arcem compellunt. Eadem die oratores ad Rodericum Monterisij oppidi regulum, Alfonsi Dauali fratrem, quem Aenariæ insulæ atque oppido Isclæ, Ferdinandus præsidio reliquerat, naue speculatoria mittuntur ad petenda auxilia, quibus se ab iniuria Gallorum tueantur. Monterisius collaudatis Caietanis, biduo post trecentos fermè Cantabros, Duce Maorio viro peracri, & in re militari terra mariq; admodum exercitato, duabus caruellis imposuit, quod est nauigij genus ad omnem tempestatis vel longinquæ nauigationis contumeliam perferendam maximè idoneum: & secundo perflante vento Caietam transmisit. Ex aduerso Mompenserius atque Belcarius

carius Neapoli Caietanorum defectione nunciata, vt eos à quibus initium rebellandi natum erat, quamprimum opprimerent, classem quinq; onerariarum & quatuor triremium paraurunt: in qua Gratianus Guerra cum octingentis militibus fuit: Ioannémque Columnam cardinalem Prosperi fratrem, qui in Fundano erat agro monuerunt, vt quantas maximè illis in locis copias posset, extemplo cogeret, atque eas ad constitutam diem dum ipsi à mari vrbem oppugnarent, terrestri itinere Caietam adduceret. Nec multò post Gratianus idoneum nactus ventum Caietam peruenit, & Roccabertinum natione Hispanum cum trecentis peditibus equitum more thoracatis & galeatis non longe à portu in terram exposuit, iussitque vt in arcem, quæ in edito monte sita difficili perangustóque ascensu & saxeis gradibus aditur, protinus cuaderent. Interim cardinalis Columna, qui cum magna manu militum, & paganorum ad portam accesserat hortari Caietanos cœpit, vt arma ponere, redire ad officium, ac sua demum saluti, & omnium fortunis consulere vellent, se eam apud Gallos obtinere authoritatem, tantis præsertim in eorum auxilium copijs adductis, vt eius inconsulta rebellioni veniam facilè posset impetrare. Caietani qui sicuti temere defecerant, ita & insana obstinatione constantes videri volebant, responderunt se nequaquam Gallorum minas timere, paratosq; esse operibus ostendere, quibus animis superbam gentem oderint, quæ adeò auare imperare cœpisset, quóue studio Aragoniorum nomen colerent, quorum lene imperium veræ libertati persimile sexagintæ amplius annos experti essent. Itaque dirempto colloquio, & significatione vndique facta, cardinalis muro succedit. Gratianus ex alto plenis velis portum inuehitur, & ab arce armati per decliuia in vrbem descendunt: committitur summis in ædificijs cædes: superioráque vrbis ab his quos Roccabertinus deducebat, & plana simul circa portum à classiarijs puncto temporis occupantur. Passim ferox dictis populus, factis autem imbellis, & subito timore consternatus crudelissimè trucidatur: magna pars ciuium, qui erumpere aduersus Columnios decreuerat, apertis portis, & proiectis in terram armis, benigne eos excipiente cardinale, incolumis euasit. Maurisq; pariter cum Cantabris suis diu in platea cum hoste prælians, in contiguam muro & portui domum se recepit: multis ijs suorum amissis, & pluribus vulneratis e summa muri parte in subiectas caueas saltu se deiecit, & admiranda vsus

animi fortitudine, expansis subitò velis validò fretus Aquilone per mediam Gallorum classem erupit: neq; triremes, quanquam incitato maximè remigio sequerentur fugientem consequi potuerunt, ad multum tamen spatium continenti cursu ab vtrisque pugnatum est, quum Galli à proris in puppes, & Cantaber ab ipsis puppibus in aduersas persequentium triremium proras magnorum tormentorum pilas emitteret. Cæterum cardinalis vrbem celeriter ingressus, quanquam Galli nihil eius viri dignitate permoti, in ipsius complexum fugientes trucidarent, nonnullis etiam in templis apud aras iugulatis, plures tamen conseruauit, honestásque aliquot fœminas quarum pudori sollicitè studebat, è manibus Gallorum eripuit: conclusásque in amplissimam domum appositá, custodia tutatus est. Verùm totæ vrbe cuncta crudelitatis auaritiæ atque libidinis à Barbaris exempla editæ sunt: multæ namque virgines violatæ, & vni ante alias è nobili Laudatorum familia, dum inuadenti Gallo viriliter resisteret, manus præcisæ: duæq; aliæ in victima constantia iugulatæ. Viri omnis ordinis ætatisque quadringenti fermè occisi: templa omnia cunctis veteribus donarijs expoliata: quæ tanta fuere, vt neque pretiosiora neque plura vrbis ipsa Neapolis habere diceretur.

Ea

Ea enim multis ante seculis incolarum ac nauigantium pietate accumulata fuerant, dum Caieta, ante iactam molem apud Neapolim, ab ipsa tutissimi portus commoditate, veluti totius oræ emporium magna hominum frequentia & opibus maximè floreret. Ea omnia biduo post aduenies Belcarius, vt in recensenda præda quæstorio munere fungeretur, vix relictis sanctorum ossibus atque reliquijs quæ loculis includebantur in Galliam asportauit: Ita vt eius iussu postea apud Insulam oppidum prope Ararim aurea argenteáque donaria, nefundo auaritiæ genere in scyphos & pateras conflarentur. Hæc erant, præter vasa altaribus dicata, statuæ paruæ simulachra periculorum, ac nauium imagines, omniumq; humanorum membrorum effigies, sicuti ea religiosi mortales, voto pro salute suscepto, Dijs benemerentibus exoluerant. Narrare solent Caietani eos qui manus sacris donarijs pollu issent, in extremas miserias Deorum ira fuisse præcipitatos. Nauis quoque onerariæ Caietanis onusta stolijs, quæ confecto bello in Galliam iter habebat, apud Circeos naufragio periit, fractáque penitus, atque eiecta in litus circumiectos populos ditauit. Dum hæc ad Caietam, & ad Monopolim atque Brundusium in Apulia geruntur,

tur, Ferdinandus atque Consaluus Rhegio in potestatem redacto, & ad famam noui belli excita Brutiorum iuuentute, ad sanctæ Agathæ oppidum castra promouerunt, statimque paucis ibi Gallis in deditionem acceptis, oppido potiti sunt. Horum secuti exemplum finitimi, & desiderio regis & Gallorum tadio adducti, portas aperuere. Processum inde est ad Semenariam, Gallorúmque turma quæ exploratum incautius exierat, ex itinere ab Hispanis equitibus est intercepta: Nec Semenarienses, quin extemplo recipiendus rex foret, dubitarunt. Erat in castris Marinus Corealis Terrenouæ regulus, quem ab initio belli constanter Aragoniam fidem secutum Galli ditione expulerant: eum Ferdinandus de se optimè meritum reducere maximè cupiebat, vt in conficiendo bello eius forti ac fideli opera, opportunis q; opibus vteretur, & sibi præsertim tutum ad classem aditum pararet: quòd ad mare iter habēti, castella eius certis locorum angustijs imposita, necesse erat superare, ad quæ occupanda paulò ante Alfonsum Daualū misisset. Villamarinus enim classis præfectus in portum Herculis, qui hodie Tropea dicitur, peruenerat, atque ibi terrestris conatus euentum, & quid Ferdinandus Consaluus fieri iuberent, fideli in oppido,

do, & tuta maximè in statione opperiebatur. Decreuerant siquidem, superiore Brutiorum regione recepta præsidijs q; firmata, nauibus exercitum imponere, & primo quoque tempore Neapolim proficisci: quoniam rebellasse Caietanos, & in agro Romano, Alexandri pontificis Ascanij q; pecunia, copias parari ad præludendas Sancti Germani saltus angustias audiebant: sperabant q; Neapolitanos egregia erga se voluntate res nouas primo statim aduentu opportunè molituros. His cognitis rebus Obignimus qui Brutijs praerat, Persiuum Alegriæ fratrem, finibus Lucanorum euocauit, ac ex omnibus oppidis eius agri præsidia deduxit, conductis q; Terrænouæ copijs, priusquàm hostes de Persiui aduentu cognoscerent, ad Semenariam profectus est, eo consilio, vt cum Ferdinando quamprimum confligeret: vel si ille Semenariæ mœnibus teneretur, neque aperto campo se committere vel dimicare auderet, velati victor expressa hostibus ignauia reuerteretur. Quod ad populos in officio continendos plurimum conducere iudicabat: præsertim quum ex Campania Apuliaq; & Pelignis conuentura sibi auxilia intra paucos dies existimaret. At Ferdinandus qui nondum de Persiui aduentu cognouerat, & de Obignini copijs quæ perte-

nues erant, à speculatoribus certior erat facta res, quin oppido copias educeret, & aduentanti hosti obuiã iret, minimè dubitauit. Quoniam quicquid nouæ existimationis & gratiæ, audendo & fortunã egregia virtute experiendo paulo antè collegisset, vna fœda obsidionis conclusionis infamia conceptiq; timoris dedecore, si oppido se contineret amissurus esse videbatur. Consalues, cuius animo ea vis exactæ prudentiæ inerat, qua postè à cæteros ferè omnes nostræ ætatis duces superauit, monere iuuenem recuperandi regni pariter & parandæ laudis auidum cœpit, atque obtestari ne prius oppido exiret, quàm certius de hostium consilio ac viribus cognosceret. Ea satis decora esse consilia, quæ dubijs rebus securitatem promitterent, illa verò longè turpissima atque miserrima, quæ ab ipsa temeritate, dũ inanem animi vigorem ostentamus, omnes summæ rei conceptæq; demum victoriæ rationes conturbare consueuissent. Ergo inquit Ferdinandus, pari qua regnum amisimus ignauia, nobis illud erit recuperandum? nec quam sedendo abstinendóque à prælijs in Aemilia & in Campania aduersam sensimus fortunam, eam nunc in tam prosperis cœptis agendo audendóque experiemur? Quasi initia bellorum maximum in reliquos successus momentum non habeant, & quæ audacter cœperis, nisi ea perficere fortiter pergas, fœdum ac infelicem exitum minimè sortiantur? Aderit audentibus Fortuna Consalue, quæ hactenus pro Gallis stetit, quum tam cœptis arrideat nostris, nec quos vltrò ad victoriam vocat, vnquam deseret, nisi ipsam ignobili cunctatione deseramus. Videamus aliquando Gallorum ora, quos sola & ea quidem inanis fama terribiles fecit: & strenuè nostras atque alienas vires collato pede experiamur. Peditatu & equitatu, hominúmque studijs, & ipso denique Fortunæ fauore superiores sumus, neque de vestra virtute erit dubitandum. Quis enim vestrum fuerit, qui si singulari certamine erit depugnandum, suum sibi Gallum vel Germanum hostem latus non deposcat, & egregiè protinus non obtruncet? Ego certè quem primum in acie armis insignem conspexero, primus ante alios intenta hasta audacter inuadam, felicique ausu vobis præbebo exemplum, vt eodem ardore irruentes celerem de temulento hoste victoriam paribus animis referatis. Erant in consilio plerique viri illustres, qui postea ad summam rei bellicæ laudem peruenerunt, Andreas Altauilla è pernobili Capuana familia, Vgo Cardonius, Theodorus Triuultius, præterea ex Hispanis

Emanuel Benauidius, Petrus Paceus, Alberadus, & Pennaloſa: qui quum prælio decertare magnopere cuperent, Conſaluum orabãt, vt militum virtuti diffidere nollet. ſtrenuámque ſe operam nauaturos pollicendo, Ferdinãdum vt ſigna portis efferri iuberet, hortabantur. Semenaria edito loco poſita eſt, pertinéntque perpetui colles ab oppido ad modicam vallem, quæ humili vado flumen emittit: ab ea patentes campi initium habent, in quos Galli à Terranoua proceſſerant. Ferdinandus per colles agmen duxit: & confectis tribus paſſuũ millibus ad amnem peruenit, collocatiſque ad lauam peditibus citeriore in ripa, & toto equitatu in dextram ad alæ ſimilitudinem exporrecto, vt hoſtes amnem tranſirent, expectabat. Ex aduerſo Obigninus atque Perſiuus, Heluetios in vnam denſatos phalangẽ, hoſtium peditibus opponunt. Brutiorum cohortes in tergo tanquam ſubſidiarias collocant: partiuntúrque inter ſe equites: erant ij cataphracti paulo minus quadringenti: & more Gallico leuis armaturæ bis totidem: quadratóque agmine tranſgreſſi amnem in hoſtes feruntur. Id conſpicati equites Hiſpani concitatis equis alacriter procurrerunt, & quum armis viribúſque impares cataphractorum confertam aciem loco pellere nequirẽt, clamore edito flectere equos, & ad ſuos per gyrum

gyrum Hiſpanico quodam pugnæ genere redire cœperunt. Ea res & peditibus Aragonijs animos fregit, quum ſuos ab hoſte pulſos refugere putarent, & Gallos pariter ad incumbendum incitauit: ita vt Obigninus à dextra & Perſiuus à læua ex ſubſidijs cum ala ſua in pedeſtrem aciem acriter inuecti, eam totam penè prius quàm Heluetij à fronte haſtas inclinarent, perturbarint, & cõpluribus eorũ ſtratis penitus diſſiparint. Ferdinandus fruſtra ſuos, vt in pugnam redirent cohortatus, cum familiaribus cataphractis ſtrenuè equitis more, in hoſtes incurrit, in aduerſoq; inſignis Galli pectore lanceam perfregit, & protinus, quum hoſtium multitudine obrueretur, in fugam ſe coniecit. Fugientem criſtis auratiſque armis conſpicuum multi ſunt perſecuti. Sed nemine eius curſum adæquante, lapſu equi in arctas conciſæ viæ anguſtias præcipitatur: Nec multum inde Galli aberãt, quum deſuper equo reſupinato, ſtapedas ac lunatis ephippij cornibus implicito, ſummóque in vitæ periculo laboranti, Ioannes Andreæ Altauillæ frater auxilio ſuperuenit, & memorabili charitate equũ obtulit, quo ipſe perniciſſimo ad ſalutem vtebatur. In cum Ferdinandus vti erat deſultoriæ artis peritia mirè agilis, quanquam grauibus contectus

armis esset, statim insiliens, è manibus Gallorum euolauit. Ipse autem Altauilla in pedes destitutus, paulò post ab hostibus est interfectus. Obiimus magna parte peditum cæsa nõ longè ab eo loco consedit: ita vt victoria vtrinesciusse diceretur, quòd nec tot illustres viros, in quibus etiam erat Ludouicus Aragonius cardinalis fuisset persecutus, nec ad Semenariam victorem exercitum protinus adduxisset. Quo spatio & illi cum rege Carij itineribus incolumes ad classem peruenerunt, & Consaluus oppidum ingressus impedimenta & pretiosiorem omnem apparatum asportauit, Rhegiumque nequicquam postea persequentibus Gallis se recepit. Eo prælio re infeliciter gesta, secus atque alijs accidit, Consaluus eximiæ prudẽtiæ laudem tulit, quòd suis alienisq; viribus rectè admodum æstimatis, nihil temerè audendum esse, iudicasset. Apparuit nanque Hispanos equites cũ Gallis cataphractis minimè esse conferendos: vtebantur enim eo tempore plerique eorum pro galea limeis tegumentis, scutisque planis è cocto corio, & à summo in imum cuneatis: item gladijs breuibus, hastáque subtili fraxinea, lato præfixa ferro, qua ad medium comprehensa, erigendo sese ab ephippijs, hemicycliſque ferreis quos pedibus induunt, hi stapeda vulgo appellantur, velu-

luti ex alto ictus inferebant, inermi quidem lethales, sed armato penitus contemnendos. Ipsi quoq; pedites Siculi & Hispani Brutijq; pro hastis denum pedum, & ijs quidem crassioribus atque fraxineis quibus Heluetij vtuntur, exiles & breues equestribus similes, quas gianettas dicunt, gestabant: vel hastilibus latè cuspidis & scuto rotũdo, cuius nullus apud Germanos vel Gallos est vsus, instruebantur. Quæ omnia demum Italus & Hispanus miles, facto sæpius infelici periculo, penitus abiecit: & quæ ab Heluetijs atque Germanis mutuatus est aliqua solerter addendo, in meliorem atque habiliorem formam coaptauit. At Ferdinandus tanto accepto incommodo, quanquam, à summa spe ad extremam rerum desperationem puncto temporis erat redactus, nihil tamen sese animo demittere: eosdem prope ac si vicisset spiritus gerere, queri tantum se sua opinione deceptum, ac nihil de Fortunæ dubitare, quæ iam pluribus ostentis, maturum in regnum patriamque reditum omnino despondisset. Inerat enim eius animo fiducia quædam fato potius quàm vllis humanis innixa rationibus: adeò vt cuncta quæ amicorum animis obuersabantur, pericula despiceret, ac si non modo ciues, sed & Deos quoque ipsos terra marique præsenti nomine adfuturos arbit

arbitraretur. Nec spes quanquam temere concepta, rem extremæ difficultatis atque dementiæ aggredi ausum, fefellit. Superato namque freto, & collectis Messanæ circiter septuaginta nauibus, in quas perpauci præter ipsos nautas milites erant, secundissimis Vsus Ventis Neapolim peruectus est, penè priusquam certior fama de prælio ad Semenariam facto in Vrbem perueniret. Tum verò Galli pariter ac ciuium omnis multitudo ad portus molem effundi, editiora loca ad spectandum occupare: alij ad ingentis classis speciē metu terreri, alij gaudio exultare, vti quisque Andegauenses vel Aragonias partes nouo aut vetere studio fectabatur. Appropinquabant enim lenis perflante Euro excelsæ naues tumentibus velis, veluti congressuræ cum Gallica classe: quæ nauium genere apparatuque & milite classario superior Aragonias facilè profligare potuisset, nisi Galli numero nauium deterriti, quum eas omnes militibus plenas & ad pugnam instructas crederent, portu sese continuissent. Ferdinandus præter ostium Sebeti amnis ad id litus, vbi Diuæ Magdalenæ templum, & veterum regum magnifici operis equilia visuntur, classem deflexit: vt amicis coniuratisque ad nouandas res animos adderet, sic vt in terram protinus quum opus foret

ret, ad ferendum auxilium descensurus esse videretur. Plerique eum enim frequentibus literis euocarant: pollicitique fuerant se constanter, quum in conspectum vrbis veniret arma capturos, atque occupata repētè porta aduenientem in vrbem esse recepturos. In ijs fuere Andreas Gennarius, Albericus Caraffa, Ioannes Cicinellus, & Cola Brancaccius, quorum consilij participes erant Sangrij, Pignatellique iuuenes, ipseque Actius Syncerus non minus fide, quam carminum gloria insignis. Verùm quum Galli ad primum statim classis conspectum impigrè arma cepissent, & sub signis tota vrbe discurrerēt, nemo omnium fuit qui sit ausus quicquam aduersus Gallum apertè moliri, vel omnino vocem emittere, qua populus ad arma vocaretur. Accidit enim plerunque, vt homines ea consilia, quæ alacri motu summóque animi vigore ante discrimen inierint, ea demum in præsenti periculo, quum facto maximè opus est, timidissimè reformident. Ferdinandus quum diu ab vrbe tumultum aliquem motumque ciuium nequicquam expectasset: & ab Alegria, qui ad Magdalenam validam equitum & peditum manum adduxerat, non modo terra prohiberetur, sed è litore tormentis oppugnaretur: ad Nysitham insulam contra Pausilypum classem reduxit: tota tamen nocte è nauibus pariter & è litore,

tore, missilibus atque tormentis certatum est. In Vrbe verò Mompenserius & Salernitanus, dispositis vbique præsidijs, & ciuibus limine se tenere, faceſque & lumina è fenestris proponere iussis, omnes regiones obequitarunt. Interim Merculianus insignis audacia centurio, è classe in Vrbem ad Aragonios occultè perumit: Qui timidos socordia castigando, confirmando dubios, & valida in classe auxilia esse prædicando, ea nocte magnum opificum numerum ad arma concitauit: & ante alios Raynaldus & Caymus Grandilli fratres in partes pertrahuntur: qui vti erant manu prompti & seditiosi apud scarios aclenones fori incolas maximam authoritatem obtinebant. Mompenserius qui aliquam nocturni tumultus procellam timebat totam noctem in armis egit: quoniam per Andegauenses siebat certior parari arma ab Aragonijs, conciliabula passim iniri, & denique multorum nobilium aduersæ præsertim factionis, domos armatis compleri, intentósque omnium animos esse, ac nouarum rerum motum expectare. Quibus ad luctus rumoribus, quos maximè suspectos habebat, comprehendere cogitauit. Verùm aduersante Salernitano ac deprecante ne temerè tumultus, quem maximè vitandum censebat, si vim magnis domitus adhiberet, protinus excitaretur, ab his consi

lijs abstinuit. Non multò post tamen missus est ad Merculianum quærendum comprehendendúmque Titus Beretarius prætor cũ circitore armatáque familia, quòd nihil eos, quæ in Vrbe primarij erant pro ignobili facinoroſoque homine ausuros esse putabat. Sed secus accidit: nam vbi prætor, inalbescente cælo, cum turba officialium apparitorúmque in forum prælatis magistratus insignibus comparuit, extemplo omnes, quibus se quisque conscientia scelerum, & nouæ coniurationis suspitione ad supplicium peti existimaret, arma cœperunt: neque defuere, qui vexillum Aragonium quod quidem sub toga conditum repentè extulerat, hastæq; præfixerat continuò sequerentur, omnéſque Ferdinandi nomen ingeminarent. Ioannes quoque Spinellus ante alios Aragonia gentis insigne in stragula lanea acu perpictum, pertica induit, & è fenestra transeuntibus spectãdum magna omnium alacritate proposuit. Prætor in eo armorum strepitu in fugam conijcitur, Galli obuiam facti trucidantur: vocatur ad arma populus sonitu campanæ æris è Laurentiana sacra turre in quam Merculianus ascenderat: maximúsque momento temporis exoritur tumultus, armata plebs ad prætorianam domum cõcurrit: carceres effringuntur, supellex omnis

præt

pratoria, librique publicarum rationū in quos maleficorum damnatoriumque nomina erant descripta ad abolendam criminum memoriā discerpuntur. Domus quoque publica, vbi vectigal exigitur, ingenti copia omnis generis mercimonij referta, eodem auidæ plebis impetu direpta est. Caietani quidam aliquot nacti Gallos qui in templum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeò vt exempta morientibus corda immani quadam rabie præ ira ac dolore accepta calamitatis dentibus admouerent. Dum hæc in foro geruntur, Grandilli fratres ad Carmelitanam portam aduolantes eam occupant: & Alegriam qui ad Magdalenam ea litora tuebatur, vrbe excludunt, confestimque è summa Carmelitani cœnobij turre circumducto linteo vexillo, regi vt redeat, & celeriter litori adigat naues, significant. Abscesserat enim ille paulo ante desperato introitu mœroris plenus: quòd detectam esse coniurationem, & amicos beneuolósque suos à Gallis oppressos arbitrabatur. Peruenit quoque ad classem expedito peruectus lembo quidam è plebe nomine Monachus, qui Ferdinādo optatissimum de tumultu exorto, & ciuitatis incredibili erga eum studio nuntium attulit, statimque ipse conuersis triremibus in hostes exiliit, & in vrbem receptus est, tanto omnium

omnium fauore, vt dum certatim nobiles plebeis immisti spectandi gratulandique gratia coirent, cum equo insidentem confertissima multitudo impulsu atque humeris in Gennarij domum intulerit. Interea Mompenserius ab arcis area vbi Galli ad signa conuenerant, quà in forum & ad Vlmi plateam itur, instructos armatorum ordines introduxit. Idem fecit Alegria, qui à Carmelitana repulsus porta relictisque tormentis, & petitus è muro lapidibus, magno circuitu vt vrbem intraret ad arcis portam peruenerat. Sed Alegria cum suis agminibus Catalana regione in mediam ferme vrbem perrexit. Commissum est magnis clamoribus atrox prælium, populo alacriter Gallorum impetum excipiente: cui se ducem præbuerat Ioannes Montanus, qui primus ex omni nobilitate sublimis in equo & voce manuque conspicuus, Gallos acerrimè persequebatur. Dauali quoque fratres Piscarius & Monterisius hic aduersus Alegriam, ille contra Mompenserium cum delectis centurionibus, veteranisque aliquot militibus vbi plurimum periculi imminere videbatur, adcurrerant. Alegriani quòd Catalana via erat angustior, non modò cominus à Neapolitanorum multitudine, verùm è tectis fenestrisque domorum vulnerabantur. Mompenserius autem patentem ingressus regionem,

aquiore conditione ingruentis populi impetum sustinebat, quum etiam curules paruos falcones duos adduxisset, qui in confertam hostium turbam sæpius emittebantur. Protulerant Neapolitani vinaria dolia lapidibus semiplena, quæ cylindri more in aduersos Gallos cum magno fragore & strepitu, ad terrefaciendos equos, furcis & lanceis prouoluebant. Carris quoque in viam perductis, & his in hostes impulsis, pugnantes tegebant: sclopettis sagittisque & tum maxime lapidibus insultantes Gallos repellebant: tantúmque loci plaustris ac dolijs passim propulsis occupabant, quantum à reiecta cedentéque Gallorum acie relinquebatur. Ad extremum Galli quum iam adueſperasceret, summa Aragoniorum virtute in arcis aream sunt compulsi, neque vlterius cedentium vestigijs insistere licuit, quoniam ab arce tormenta ad exitum regionis collocata, protinus emittebantur. Ea quæ secuta est nocte, Piscarius munitiones subitarias Gallis opposuit. Sequenti verò die multa materia, & vimineis turriculis quas caueones vocant, harena repletis, aditus quosque qui ab arcis area in vrbem pertinebant, continenti totius populi labore præsepsit, fossásque idoneis locis ad concidendos aditus perduxit: ita vt iam Galli vndique clausi ac circumuallati viderentur, perfuratique

tique subinde parietes quibus ædificia separabantur, vt discurrendi per contiguas domos, militibus, facultas foret, & tormenta in occulto collocari ac emitti in hostes possent. Galli magnum loci ambitum quo se tenerent complexi sunt, sic vt noua arce, & ea quæ ab ouo nomen habet, & Pizæ falconis castello, turréque Vicentina & sanctæ Trinitatis templo, stémque sanctæ Crucis cœnobio, regíque hortis continerentur, & aperto in loco positis vbique tentorijs tenderent. Erat in arcibus omnis generis commeatus copia ingens: sed quæ tantæ multitudini minimè sufficere posse videretur: excedebant enim sex millium omnis conditionis hominum summam: nec tantus equorum numerus desperato pabulo commodè ali poterat. Quibus de causis sæpius equos ignobiles emittebant: & quum Neapolitani certatim ad prædam capiendam munitionibus euolarent, eos destinatis tormentorum ictibus, veluti per lusum interficiebant: neque cæteri vnquam temerè pereuntium exemplo, quominus ad rapiendos equos prosilirent deterreri poterant: adcóque eduliorum recentium penuria creuit, vt Galli generosos equos totidem prægingibus iuuencis permutarent. Tridui spatio perfectis munitionibus, Ferdinandus tormenta, quæ nauibus aduexerat, in minori portus mole, & in naualibus,

totóque passim litore collocauit, vt Gallicam classem, quæ intra maiorem molem se tenebat, oppugnaret. Nec multò post nautis eo apparatu atque periculo territis tota classis ipso portu celeriter expulsa est, intulitque se in id maris spatium, quod inter Oui arcem & Vicentinam turrim interiacet. Turris tamen qua portui est imposita, & nocturnum nauigantibus præbet lumen, Gallorum præsidio tenebatur, multáque inde Aragonijs eius custodes detrimenta sagittis minoribúsque tormentis inferebant. Eam Piscarius oppugnare adortus, difficili periculosóque certamine occupauit: Quoniam è classe circumiectísque Gallorum castellis, frequens emissu tormentis pilarum procella, oppugnantes adaperto in loco plurimum infestabat. Galli tamen celeriter turrem, ne ea hostis tanquam propugnaculo ad oppugnandam classem vteretur, maioribus adactis tormentis diruerunt, in cuius ruderibus noctu Piscarius munitiones erexit, quarum beneficio milites & in mole tutò consisterent, & è munitionum fenestris naues in anchoris (vti diximus) apud Oui arcem commorantes, directis eò colubrinis perfringerent atque demergerẽt. Nec multò post Galli, quum ipsorum classis è molibus, & ijs præsertim munitionibus, quæ ad Phariæ turris ruinas erectæ erant tormentis peterentur, molem occupare

pare, ac eam à continenti abscindere, interruptæ muri parte decreuerunt. Erant enim (vti diximus) in arce multa hominum millia: & in ijs præter ipsos duces, Mompensérium, Alegriam atque Belcarium plerique alarum legati, signiferi, & veterani equites animi vigore & rei militaris scientia præstantes: qui singulari promptitudine nullis deterriti periculis, apud munitiones omnibus propè horis cum hostibus prælio contendebant, atque eas transgredi, & in vrbem erumpere conabantur. Igitur omnibus rebus ac maximè animis ad id præparatis, scaphas triremium magnarúmque nauium, tormentis minoribus sclopettarijsq; & balliſtarijs Vasconibus complent, & superare molis brachium ac in sinum portus deflectere iubent: aliam verò validam armatorum manum, & ante alios aliquot fortes cataphractos, qui dimissis equis grauibus contecti armis, pedibus pugnare minimè recusabant, ab arce quum nihil minus, & præsertim eo tempore hostes timerent, repentè emittunt, proposito signo, vt omnes vno tempore operam nauarent. Et illi à mari circumductis in portum actuarijs nauigijs, & ij ab arce perruptis hostium munitionibus fossáque subitario ponte constrata, Aragonios ingenti repentinóque impetu, & magnis clamo-

ribus adoriuntur. Milites, Neapolitanúsque simul populus ad tumultum excitati impigrè arma capiunt, & sese omnibus Vrbis regionibus ad molem effundunt, certatur summa contentione, pelluntur Aragonij, & celeriter Galli in molem euolant, Vbi Germanorum cohors in statione erat. Hæc quum à fronte acriter ab armatis Gallis vrgeretur, & à tergo, & à lateribus ab ijs qui in scapharum classe erant, tormentis atque missilibus peteretur, milites sensim sese recipere, & per interiores molis gradus se demittere, coacti sunt, sic vt è superiore loco Galli alabardis ac lanceis vulnera inferrent, & turbatos, locique iniquitate plurimum impeditos per scalas præcipitarent. Res erat in summo posita discrimine, nec iam planè in repentino ac tumultuosissimo præli genere, oculis aut animo perspici poterat, quonam modo quibúsve consilijs, aut viribus periculo obuiam iretur. Nam Galli molem, portum, & munitiones ipsas, tormentáque deiecto præsidio, & pluribus præsertim è Neapolitanis crebra tormentorum emissione fœdè miseréque per litus portúsque spatium interfectis, occuparant, & iam fabrilibus vectibus ac huiusmodi ferramentis molem, ne in eam a terra aditus foret, abrumpere cœperant, quum Piscarius laborantibus suis auxilio superuenit

peruenit. Eius aduentu fuga sistitur, Germani animos recipiunt, populus spe completur, ac in pugnam redit, nec mora, eo cum ingenti scuto districtóque gladio intrepidè ante alios prouolante, & Hederlino impigro Germanorum centurione in aduersos hostes signiferum conuertente, præli Fortuna commutatur. Eò quoque rex ipse cum fortissimis familiarium decurrit, ab vtrisque aduentus eius à multo cedentis acclamantisque turbæ fremitu conspicitur. Aragonij Gallos loco propellunt, connituntur vi facta per eosdem gradus: multisque trucidatis in summam molem celeriter euadunt: Quanquam multi ab omni parte tormentorum pilis sternerentur: nemóque omnium esset adeò fortis constantique animo, quin terribili earum vndique incidentium violentia non maximè terreretur. Sed qui in scaphis erant, ne suos hostibus in summa molis area permistos interficerent, continuò ab emittendis tormentis abstinuerunt. In ea rerum commutatione spes atque animus Gallis repentè concidit: nam qui modò alacriter atque audacter occupanda molis negotium susceperant, tantámque rem fortissimè peregerant, quum ingruentes Aragonios neque corporibus neque animis sustinerent, trepidanter de fuga consulere cœperunt. Itaque alij pugnantes

gnantes cadunt: ingenti saltu alij in subiectas scaphas se conijciunt: alij ab hostilibus in exterius mare præcipitantur, è quibus plures armorum pondere degrauati, vel à socijs natandi imperitis demersi pereunt: pauci ad triremes enatant. Eo prælio desiderati sunt è Gallis aliquot viri fortes: sed multo plures è Neapolitanis, qui ab initio tumultus, improuiso periculo temere ad litus ac in ipsum portum deuolarant. Marcellus quoque Columna nobilis atque impiger adolescens in facie sclopetto grauiter est vulneratus. Is dies longè omnium periculosissimus fuit, nam in ea adeò repentina Gallorum eruptione, tantaque ancipitis pugnæ difficultate Ferdinandus cùm vitæ tum vrbis amittendæ incredibile discrimen adiit, quum in eo tumultu ab aduersa factionis hominibus, Gallicum nomen inclamaretur. Sed eius facinoris initium statim oppressum est: primúsque omnium qui eam vocem sustulerat, Leonardus Blancus, in furca ad alios deterrendos laqueo strangulatus est. Galli post id factum quum eruptionem sæpius improsperè tentassent, & prolatis vndique munitionibus indies arctius atque validius concluſi esse viderentur, & iam planè ipsorum etiam confessione circumuallati essent, ad emittenda mortaria se contulerunt. Ea sunt

sunt patuli atque ingentis oris tormenta quæ sliceam pilam tripedalis ambitus in sublime iaciunt. Eorum pilæ quum ab alto cadunt, domorum tecta cum magna contignationum strage ad infimas vsque testudines perforant, apertis autem in locis, & solo præsertim strato illæ, ipso casus impetu perfringuntur, fustulisque in diuersa dissilientibus, obuios mortales miserabilibus plagis deformant atque interimunt. Nec interea ab tormentis muralibus, quæ editioribus ac opportunis trium arcium locis erant collocata, vllo diei noctisve tempore cessabatur. Quibus non modo milites stationarij, sed vrbana plebs & fœminæ in tectorum subdialibus, domesticis officijs occupatæ, à Gallis veluti per iocum ac voluptatem petebantur. Monterisius Piscarij frater, dum incautius in aggere versaretur, maioris sclopetti ictu altero genu debilitatus est. Ex aduerso, Aragonij pluribus tormentis, quæ ipsi præter nauale apparatum ex collectitio cupro Neapoli confecissent, vel mutuò à Pontifice & à Liguribus accepissent, quotidie magna Gallis detrimenta inferebant. Nam & pontem nouæ arcis qui ducebat in Cittadellam ingenti murorum ruina èdita diruerant, interfecerant plerosque ex occulto certis fulconum ictibus: & propugnacula demum ipsa

pinnarum corona penitus enudarant: ita vt nemo editis in locis conspiceretur. Excogitati quoque erant plutei ex crassis asseribus, culcitris atque centonibus protecti, quibus tormenta occultabantur, iique ductiles erant, vt quum emittenda forent tormenta, attolli & deduci celeriter possent, priusquam à Gallis ad fumi flammarumque indicia sedulo collimantibus tormenta ab arce in vinearum fenestras conijcerentur. Galli nanque ante pluteorum vsum, interfectis aliquot tormentorũ magistris ferreas pilas in ora tormentorũ ad ea perfringenda, destinatis ictibus adegerant. Per eos dies quum Aethiops seruus qui tum apud Gallos erat, se incensurum Gallicam classem & aditum Aragonijs in sancta Crucis templum se statuta nocte prabiturum polliceretur. Piscarius tanta indolis atque virtutis dux, in ipso etatis flore, eius nefarij hominis singulari perfidia crudeliter est interfectus. Nanque illi peregregius proditor perfidia planè seruili & pluſquam Punica, quum doli ac insidiarum ordinem Gallis detulisset, & ab his opimo prœmio ditaretur. Piscarium intempesta nocte ad colloquium euocauit, euadentémque militari scala in summam hortorum maceriem, & in caput exporrectum, sagitta lunata repente emissa iugulauit. Corruentem familiares qui aderant, quum frustra erigere conati essent, ipsum tam exanimem scuto impositum extulerunt. Tantus verò mox luctus eius viri morte per vrbem multorum planctu ac lachrymis enunciata, ciues aquè ac milites occupauit, vt ea nocte spes omnis parta iam propè victoria amissa esse, ac denique ipsa Neapolis ab hostibus capta videretur. Galli quoq; eius perpetrati facinoris certiores facti, ne vllam rei bene gerendæ occasionem prætermitterent. Alegria duce in consternatos metu ac dolore Aragonios eruperunt: multisque interfectis, & cæteris in fugam coniectis tormenta & militum tentoria occuparunt. In tanto repentinóque tumultu ac fœda omnium fuga, populus impigrè arma cepit. Rex quoque ipse cohortantibus maximè Prospero Columna, Vgonéque Cardonio, dolorem scilicet ipso metu Vincente cum custodibus corporis ad ferendam opem superuenit. Ibi pugna admodum cruenta magnis vtrinque clamoribus collato pede, ac dubio sæpe euentu commissa est. Alegria enim, vt partum virtute locum tueretur, acriter repugnare, modò vrgentibus cedere, modò collectis viribus redintegratóque impetu incumbentes propellere: ipse in prima fronte versari, strenuámque adhortando ac

pugnan

pugnando operam nauare. Ad extremũ Gallorum impetus egregiè ac fortiter est repressus, quum Aragonij pudore simul ac dolore incitati, quòd & locum vbi tendebant, & publicum apparatum priuatámque supellectilem amisissent, in prelium reuerterẽtur, Germanióq; densatis cuneis hostium aciem perrumperent. Gallis intra veteres eorum munitiones compulsis, tormenta omnia & tabernacula, résque militum magna ex parte recuperatæ sunt. Ea die Alfonsus Toraldus vir nobilis ac strenuus, tormento è Vicentina turre emisso dum in pugnam deferretur, interfectus est. Mortuo Piscario, quum Ferdinandus ob atrocem casum hominis sibi omnibus fidei ac amoris officijs coniunctissimi, incomparabili dolore premeretur, plurésque dies colloquio hominum, & publico abstineret, Prosper administrandi belli curã suscepit. Transierat is relictis Gallis multùm ante ad Ferdinandum hortatu Pontificis, & Ascanij maximè cardinalis, cuius consilia ab initio fuerat secutus, spoponderatq; Fabritium Columnam patruelem suum similiter cum his quas haberet copijs in partes protinus esse transiturum. Sed Fabritius ne alieno arbitrio de his rebus, quæ fidei ac decoris curam existimationémque respicerent, consilium capere videretur, apud Gallos aliquandiu militare

litare perseuerauit, continuitq; in fide Gallorum aliquot Campaniæ oppida, & Hieronymum Tuttauillam Aragoniorum ducem in Venefranis campis tumultuario prælio fudit. Cæterùm Fabritius, Ascanij Ferdinandique, & totius demum Columniæ familiæ precibus fatigatus, Aragonijs partibus adhæsit: vtq; arctissimo amicitiæ vinculo regi iungeretur, Victoria eius filia tum trima, Ferdinando Piscarij filio adhuc infanti, desponsata est: quam postea altitudine virilis ingenij, & literarum elegantia cæteras nostræ ætatis fœminas supergressam, plerique sunt admirati, quum pariter vir eius Ferdinandes ante alios rerum strenuè gestarum gloria maximè floreret. Certabatur quotidie ad Cittadellæ muros: conatiq; sunt Aragonij sæpius transcendere hostium munitiones, sed ea res semper multis illatis acceptis q; vulneribus improsperè tentata. Narcissus demum Aethruscus mirabilium operum machinator, & agendorum maximè cuniculorum artificio insignis, ingenium suum prosternendis Cittadellæ muris Ferdinando obtulit. Nec multò post sinuosos cuniculos subter ima fundamenta, occulto multorũ agrestium labore per noctem excauauit, plurimoq; sulphureo puluere repleuit. Quibus perfectis operibus, quum Aragonij quotidiana consuetudine

dine ad munitiones succeßissent, & Gallos ad locum defendendum suo impetu procurrentes in summum murum elicuissent, Narcissus opportunè cuniculis ignem intulit, extemplóque horribili fragore edito, totus ab radice murus cum miserabili superstantium Gallorum clade reuulsus atque diffractus in interiorem partem procubuit. Tum verò Aragonij per ruinas signa intulerunt, & Gallos tantæ atque inopinatæ cladis miraculo perculsos, instando cædendóque in fugam verterunt: statimq; omnibus in opere versantibus munitiones proferri cœptæ: ac tantum spatij intra hostium septa occupatum est, quantum temporario aggere, priusquam Galli à timore se reciperent, tormentaq; dirigerent, complecti potuerunt. In his administrandis, Dimasius Recassentius minore tormento ictus est: pleriſque alijs ex militum ac Neapolitanorum turba vulneratis atq; interfectis: Ita tamen, vt nemo ab instituto opere discederet, vel ipso vitæ discrimine permoueretur. Ad primas verò noctis tenebras concursu vndique facto, multiplicatisq; operis, munitiones erectæ perfectæq; sunt: nam sicuti Galli in ipsa noctis obscuritate ictus minimè certos inferebant, ita in opere Aragonij ardentiore studio, & minore cum periculo versabantur. Dum Galli ad Neapolim circumuallantur, Mantuanus

& Ga

& Galeacius Sanseuerinus Nouariam graui obsidione premebant. Primo enim aduentu, Derthona atque Alexandria vrbibus certo peditum equitumque præsidio firmatis, aliquot castella circa vrbem, quæ à Gallis tenebantur, in potestatem redegerant, & in his Casalogianum, Burgarum, & Vercellensi via quinto ab vrbe lapide Arcæmarianum, sic ab arcu victoriæ C. Marij nuncupatum, qui patentibus illis in Campis, Cimbrorum ingentes copias memorabili prælio superauit. Galeacius quoque Sanseuerinus, cui Contarenum cum Græcorum alis ab initio se coniunxisse memorauimus, equestribus prælijs prosperè sæpius factis, Gallorum eruptiones repressérat: receperat suburbanos vicos, & oppidum quod vulgo Lumen omnium dicitur, expugnarat. Eo enim loco oriundus fuit Petrus Lombardus, qui quum rudi illo seculo sacros libros grauibus commentarijs illustrasset sententiarum Magister & Lumen omnium est appellatus. Quibus de causis Galli duobus magnis circumsessi exercitibus, quanquam sæpe erumperent, & pecus vndique raperent, commeatúque nonnunquam ab amicis noctu ad Vrbem conuecto iuuarentur, multarum tamen rerum inopia laborabant. Immaturas enim segetes incubentibus Sfor-

tianis

tianis raptim succidere coacti fuerãt. & frumentum, si quod ex priuatis horreis Vetus habebant, id lapideis in pilis contundebatur. Quoniam Ogonia, Terdubiocq; & Mora suburbanis annonalis alibi auersis deriuationeque, frumentariæ molæ aquarum impetu destitutæ, aut à militibus perfractæ, penitus inutiles reddebantur. Idq; solum in nobilium mensarum vsum veniebat, quod trusatilibus molis quotidiano labore terebatur. Multitudo autem militum ac ciuium, ipsaque iumenta propter pabuli ordeiq; inopiam tritico cacabis excocto vescebantur. Sed ante alias difficultates summa vini penuria, sublata præsertim omni spe propinquæ vindemiæ, animos Heluetiorum Gallorumque perfregerat. Ipse Aurelianus quanquam quartana morbo implicitus, singulari animi virtute singulos consolando, & celeriter ventura auxilia pollicendo, rerum propè omnium difficultatibus occurrebat. Erant in vrbe præter Nouariensium cohortes publicè cõscriptæ, equites vtriusque armaturæ supra mille, Heluetiorum circiter quinque millia duce Antio viro fortissimo, cui à lauto conuictu Anauolebano cognomen fuit: cæteri erant Subalpini pedites & Galli sagittarij, quos Ludouicus Salussus adduxerat. Dum Carolus modò in Astensi agro

agro, modò Taurini in maximis æstatis caloribus statiua haberet, amoreque Annæ Soleriæ nobilis matronæ captus esse diceretur, vsq; adeò molliter animum ætate ad voluptates facilè pronum remiserat, vt à totius belli cogitatione planè discederet: & regij consilij proceres, vel tædio diuturni belli, vel repetendæ patriæ desiderio ducti, de suis obsidione liberandis tepidissimè loquerentur. Nec deerãt qui Aurelianæ gloriæ atque amplitudini nequaquam occultè obtrectantes, turpiter inuiderent. Quibus ille tot aduersis rebus permotus, ad regem scripsit vno argumento & pluribus exemplis, vt ab vno saltem tabellario, stationes, atque custodiæ fallerentur: vt tum prosperè accidit: namque altero intercepto, alter incolumis ad regem peruenit. His literis suam & tot fortissimorum militum salutem demisse atque suppliciter commendabat, pertinere ad publicam Gallorum existimationem, & ad ipsius præsertim regis dignitatem, cuius maximè commodo atque iuditio Nouariam cepisset, defendi ac liberari præsidium, in quod, si aliquorum malignitate vel incuria & flagitiosis cõsilijs desereretur, Itali acceptæ cladis memores, crudeliter essent sæuituri. Nouariensis enim qui summæ fidei essent, & milites, qui summa constantiæ laude asseri omnia paterentur, propter com-

meatus inopiam iam propè ad rerum omnium desperationem peruenisse, neque iam Villa re magis eorum corpora atque animos sustineri, quàm certa spe ipsius regis aduentus: si exercitum à Vercellis admouisset, & hostes perterritos, quos modò ad Tarrum latè profligasset, ex composito aggredederetur, se continuò erepturum cum octo millibus pugnacissimorum hominum, egregioque facinore edito victoriam esse geminaturum. Carolus ad ea salutem sibi cordi esse respondit, vel eius sibi arctâ affinitate coniuncti vel de se optimè meritorum militum: neque passurum vnquam, vt detrimentum aut Villa ab hostibus contumelia acciperetur: Acciuisse nuper se ex Heluetijs pedites, & è Gallia equites cataphractos in supplementum exercitus: Sperare ea auxilia perquam maturè conuentura. Quæ vbi applicuissent, extemplo castra promoturum, daturumque operam nauiter, vt Itali fœda fuga obsidionem relinquerent: Vel si consistere atque opperiri ipsius aduentum vellent, infeliciter Gallorum virtutem iterum experirentur. His literis pro concione recitatis, Aurelianus militum pariter ac ciuium animos mirificè confirmauit: eósque ad institutas in portis ac mœnibus munitiones celeriter perficiendas accendit. Ipse importuna valetudinis nullam excusationem accipiebat, quin

quin vigilias inspiceret, circuiret vrbem, operibus vacaret, singulâque militiæ munera die noctúque incredibili tolerantia, vbiq; multos exequeretur. Sepe quum milites videret recentium carnium desiderio teneri, eósque incommodè salitis vesci, præsertim quòd in mediis æstatis feruoribus vino penitus carerent, minus generosos equos occidebat, ita vt dissectos per centurias æqua diuisione militibus largiretur. Nouo quoque inuento, vt eis de stipendio cauere videretur, quum summa pecuniæ inopia laboraret, æreos denarios pro argenteis cudebat, & data fide totidem argenteos perfecto bello se redditurum pollicebatur. Per eos dies à Senatu Veneto Mantuanus cum multo verborum honore, quòd ad Tarrum pro dignitate totius Italiæ strenuè dimicasset, Imperator est appellatus. Nec multò post Georgius Hemus, Petrusq; Marcellus imperij militaris insignia, argenteum sceptrum, & vexillum auratum in castra detulerunt. Secundus verò honos in exercitu Petiliano datus sic vt tum Veneti duobus decretis, et grati animi & singularis prudentiæ laudè apud omnes tulisse viderentur. Exarsit inde seditio militaris inter Italos atque Germanos ob ignobile scortum, quo die res in summum penè discrimen adducta est, quum irarum causa mutuis cædibus creuissent, & ab vtraq; gen-

te in auxilium suorum armatæ acies adcurrere properarent. In eo tumultu Mantuanus ualidam equitum ac peditum manum, uias quæ ad urbem ferrent insidere iussit, ut si fortè Galli in ea tam diri tumultus occasione erumperent, paratis oppositisq; præsidijs in urbem repellerētur. Ipse porrò in medios Germanos intrepidè procurrit: eósque fratres & consanguineos appellando, ac deprecando, ne tantum facinus in socios admitterent, facilè prælium iam multorum cæde atque uulneribus cruentum, diremit. Erat enim Mantuanus Germana matre genitus plurimamq; ex ea sanguinis affinitate apud eius gentis milites authoritatem obtinebat, quam et ipse miris artibus adaugere erat solitus: ornabat enim sæpe eorum centuriones atque signiferos uarijs muneribus: immiscebatq; sese gregarijs militibus incredibili comitate: sed incorrupto semper ducis ac principis honore: adeò ut nemo tam ferus esset ac turbidus, qui ea humanitate, sed maximè insigni liberalitate, qua uir ille maximos etiam reges superauit, minimè flecteretur. Græcos quoque equites, qui Dodum ipsorum præfectum, quòd auarè ac insolenter secum ageret, interficere, & ad hostes transfugere cogitarant, placando largiendóque in fide continuit, ijsq; exauctorato Dodo, ut Contarenum Græcæ peritum

tum linguæ, & honestum in primis strenuumq; hominem Senatus præficeret, impetrauit. Quibus beneficijs adeò sibi Græcorum animos deuinxit, ut in posterum fideli fortique semper eorum opera maximè usus, amplissimum sequentibus bellis uictoriæ decus compararit. Iam plures dies in uastandis agris obsidendisq; itineribus consumpti erant, & æstas iam præcipitarat, quum certis rumoribus ac nuncijs affertur ex Gallia nouum aduentare equitatum, & magnam Heluetiorum multitudinem Graias alpes transcendere: iámque Vercellas à Fusio regulo atque Triuultio aliquot turmis atque cohortibus eo adductis, occupatas esse: urbemque eam bello sedem fore, in quam rex propediem esset concessurus, ut inde coactis in unum copijs, ex propinquo obsessæ Nouariæ opem ferre maturaret. Quibus animaduersis periculis, Mātuanus & legatos coràm, & Senatum ac Ludouicum Sfortiam per literas docuit, quanto cum discrimine summæ rerum sibi res futura esset, si cum diuersis hostibus ancipiti prælio dimicare cogerentur. Promde delectibus ubique habitis maioribus copijs exercitus firmare maturarent, nec ullis parcerent impendijs, quando iam propè ad finem laborum esset peruentum. Quum enim auctæ uires nouis auxilijs forent, se protinus adiunctis Sfor-

tianis propius Vrbem moturum castra, ac tum ex tuto maiora tormenta prolaturum, ne aduentante rege, si obuiam iretur, ea protinus subita tot obsessorum hominum eruptione raperentur. Sperare se interea vel hostes vltima famis necessitate subactos, deditionem esse facturos: vel si rex ad soluendam obsidionem adproperaret cum summo cum detrimento. Vel singulari cum infamia Vercellas esse rediturum. Nec multo post quum ab omnibus eius sententia probaretur, ex Germania Georgius Petraplanius Vir domi nobilis, & multis militiæ gestis clarus, cum delectis cohortibus in castra peruenit. Venere quoque Ludouici pecunia cõducti Germani equites quingenti, duce Brunsuico regulo, & ex ea gente tria millia peditum: tota autẽ Italia Striuslj armaturæ equitatus & pedestres passim copiæ conscribebantur: Ita vt vno ferme tempore Gallorum auxilia Vercellas applicarent, & in castra ad Nouariam vndique in supplementum copiæ mitterẽtur. Interim oppidum Brionia, quæ præsidio Gallorum defendebatur, cũ arce expugnata est interceptiq; sæpe commeatus, quorum vectores in præaltis furcis, vt obsessis spectaculo forent suspendebantur. Vastatus quoque subita incursione ager Vercellensis, & abacta ingens pecoris copia. Quoniam Allobrogum principis vxor tum vidua Gallis se.us

fectus ac se facturã ab initio promisisset, aperte fauebat. Vercellisq; Gallicas copias receperat. Venit etiã in castra Ludouicus Sforcia, & cũ eo Beatrix vxor, in cuius gratiã Mantuanus vniuersum exercitum instructum, ac omnibus insignibus exornatum, in pompæ morem circunduxit atque recensuit. Ferunt, qui longè omnium pulcherrimo summo ordine incedentis exercitus spectaculo interfuere, nunquam postea vel ampliores vel ornatiores copias vnis in castris in Italia fuisse conspectas. Erant enim paulo minus quinquaginta millia delectorum hominum, exceptis etiam militum ministris, Ipse quoque Ludouicus tametsi in toga melior habebatur, quòd statura erat gestandis armis idonea atque decora, armatus prodijt, Galleaciumque ducem suũ, quòd versicolore sagulo Gallorum more indutus erat, acerbissimè castigauit, veluti ille proprium fastidire habitum, ac hostilem præferre atque imitari velle videretur. Laborabant obsessi in dies magis ac magis rerũ omniũ inopia: & iam plerisque cõtinuò faba ac furfuracei panis vsu tabescentibus, ac morbis subinde per corpora hominũ vulgatis, regia auxilia desperabant: quũ insessas vias, occupata oppida, exercitus aduectos, tormẽta Mediolano aduecta esse cõspicerẽt. Quibus de causis nocturnos

ignes in turribus excitare, ac tormẽtorũ sclopis certo ordine ac numero editis, omnibusq́ demũ fumo ac Vexillis, significationibus factis, suprema rerũ suarũ pericula regijs exprimere, ac maturam opem implorare cœperunt. Qui pudore adducti Gallorum duces, Validam peditum atque equitum manum cum sarcinarijs iumentis, & multo commeatu Nouariam intempesta nocte introducere statuerunt. Sed Mantuanus per exploratores de eorum aduentu certior factus, in omnes partes præsidia disposuit: cunctáque itinera celeriter occupauit: Progressusq́ ipse ante alios quum semiarmatus somnum caperet, & plures equos die noctuque per Vices ephippiatos & frænatos contineret, præter Arcum Marianum media in Via constitit, quo protinus Græcorum ala & Germanorum cohortes decem accitæ fuerant, eo consilio, Vt suis, ad quos hostes verterentur, quum opus foret, subsidio protinus aduolaret. Galli præter oppidum Lumen omniũ, & Monticellum pagum itinere capto, in eas turmas quas Colleonij Bergomates ducebant, inciderunt statimq́, Vt eorum mos est qui in furto deprehenduntur, viribus atque animo concidérunt. Nec mora, quum ignota in regione densiq́ in tenebris errabundi diffugere conarentur, coeuntibus Vndique Venetis ac Sfortianis

tianis, tota ea manus dissipata captáque est. Post id factum Mantuanus Vt acrius hostes vrgeret, cœnobium diui Nazarij, quod mœnibus erat propinquum, occupauit, Carolóq́ Meliteo custodia præposito, fossa atque aggere locũ egregiè communiuit. Vnde sine periculo collocatis pluribus tormentis, multa detrimenta obsessis ex ipsa præsertim sacra turre templique fastigio sæpius inferebantur. Ab eo loco, quum forte Mantuanus ad inspectandam munitionem, quam ad extremum suburbanorũ tectorum caput Aurelianus erexerat, cum aliquot centurionibus processisset, visa est occasio eius munitionis occupandæ statimq́ ipso cohortante, Gorlinus Rauennas cohortis præfectus vir impiger in eam transcendit: Gallisq́ intra portam compulsis totam eã munitionem, quòd ex materia cespitéque constabat, protinus incendit. De prima verò vigilia, quum minus Gallorum tormenta in tenebris timerentur, suburbana ædificia & alteram munitionem, quæ ante Agpitanam portam cõstructa erat expugnare adortus, Iacomatio Veneto & Petro Dalmata fortem nauantibus operam, pari felicitate in potestatem redegit. Sed dum Dalmata portarum fores concremare conaretur, ob idq́ incautius propugnaculum subiret, tormento traiectus interijt. Ibi etiam Antonius Faber & Ioannes Feltrius strenui centu-

turiones, sagitis consauciati sunt Sequenti quoque die, quum eum suburbanorum adificiorum tractum ad cohibendas Gallorum eruptiones muniendum, præsidióque firmandum omnes censerent, & ibi Petiliauus multus in opere versaretur, minoris tormenti plumbea glande, nequicquam tegentibus eum armis, in rene dextro grauiter est vulneratus, sic vt cũ maximo omniũ dolore extremũ vitæ periculũ adire videretur. Aurelianus eo successu hostiũ erũpẽdi ab ea parte facultate sublata, ne si mili quoq; audacia à reliquis portis suburbia occuparetur, ea omnia sæuo consilio diruit & incendit. Interim duobus ingentibus tormentis idoneo in loco cõstitutis, maioribusque mortarijs sæpius emissis, & muri pariter & interna vrbis ædificia diruebantur: dabatque operam assiduè Mantuanus oppugnando acriter, atque omni ex parte vrbem præsidijs circa proxima templa collocatis circuẽdo, ne alicunde cõmeatus importaretur, portarumq; egressibus concisis atque aggere obseptis, vt omnis vndique exitus hosti præcluderetur. His cognitis rebus, Galli qui Vercellis erant, copias eduxerunt, & trans Sesithen amnem quarto ab vrbe lapide apertis in campis castra posuerunt: quum sperarent hostes timore eorum aduentus adduci posse, ac eos propere copias atque tormenta longius ab vrbe remoturos, in

vniuersi futuri certaminis casum animis ac viribus intentos, solitam custodiarum ac stationum diligentiam esse remissuros, donec Carolus cum tota mole exercitus aduentaret. Sed Mantuanus munitis castris singulari animi magnitudine atque constantia, eodem loco consistere minimè dubitauit, quanquam à multis, qui magnam militaris prudentiæ opinionem adepti videbantur, vt sese reciperet tormentaque retraheret, solicitè moneretur: quoniam supra viginti millia Heluetiorum ex nouis delectibus, & validum equitatum Aurantio duce ad Carolum peruenisse dicerẽt. Ipse enim in consilio & palàm apud gregarios etiam milites respondebat, ea sibi maximè salutaria consilia videri quæ impauidi animi & bellici decoris plena spectarentur: spem enim & metum bello natura æqualiter esse diuisa, sed eum semper euadere victorem, qui prima alieni pauoris signa deprehenderet, & inclinatis protinus instaret: neque enim vlla satis valida, semel conuersis ac respectantibus, vel amnium, vel montium esse munimenta: Proinde eius fœdi consilij obliuiscerentur, & se duce de matura cumulatáque victoria minimè desperarent. Caterùm Sfortiani eam vrbem à Venetis expugnari & diripi nolle videbantur, ne capta funditus deleretur: vniuersæq; item pugnæ euentum

tum magnopere formidabant, ne si victi forent, cæteras protinus vrbes amitterent: vel si victoria potirentur, Veneti rerum omnium arbitri fierent, & in ea victoria pro vetere libidine totius Italiæ imperium vsurparent. Per eos dies Nicolaus Annonius & Ioānes Comes ad castra vsque hostium prouecti, equestri prælio prospere dimicarunt, cognitumque est à captiuis Regem adhuc Taurini cōsidere, sed propediem cum reliquis copijs in castra proficisci, & prælio decertare statuisse. Sed non multo post Argentonus ad Mantuanum præconem misit, monuitque si Veneti de pace loquerētur, futurum esse vt neque regem neque proceres ab honestis conditionibus alienos inuenirent. Quamobrem quum in castris pacis nomē gratissimis omnium auribus exciperetur, sequenti die missus est Vercellas Albertinus Bochetus perspicaci vir ingenio per causam visendi filij apud Triuultium aduersa valetudine laborantis, qui apud hostium duces, accuratè voluntates eorum explorando, certas de pace conditiones proponeret. Is postero die retulit Gallos haud grauatè in colloquium deuenturos: duxitq; in castra Araldum regium cum quo de die ac loco futuri colloquij, comitumque numero statueretur. Nec multò post Mantuanus fide data atque accepta, in campum patentem ad insidias minimè suspectū, fermè medium inter

inter vtraque castra est euocatus. Eò conuenere Aurantius princeps, Gienſis, Argentonus, & Pienes regij cubiculi præfectus: ad hos quoque Triuultius, Camillusque Vitellius & plerique nobiles equites armati galeatiq;, veluti prælio foret contendendum. Ex altera parte Mantuanus cum Contareno illustribusq; alijs alarum præfectis prodijt, pauciſque de causa sermonibus initis, quòd nec Aurantius Latinam planè callebat linguam, nec Triuultius interpretis munere feliciter eo tempore fungeretur, de induciis transactum est, vt ea decem dies manerent, quo temporis spatio commodè de pacis conditionibus ageretur: Ipsiq; interim Veneti ac Sfortiani ab oppugnatione penitus abstinerent, pariterque Aurelianus munitiones, quas intra murum diligenter extruebat, statim intermitteret, atque alimenta dietim obsessis præberentur. Ea vti acta erant Aloisius Aduocatus, & Phœbus Gonzaga castrorum præfecti, cum præcone Gallo vrbem ingressi, Aureliano minoribusque ducibus renunciarunt. Quibus ea omnia læto animo comprobantibus, Italis potestas est facta, vt quotidie munitiones inspicerent, ne quid eis adhuc imperfectis per noctem occulti nouique operis adderetur. Biduo post Ludouicus à Mediolano in castra se contulit, missiq; ad regem Franciscum Bernardinum Vicecomitem, & Hieronym

nymum Stangam, qui summa ad componendam pacem mandata deferebant. Verùm in colloquio, vbi omnes fere proceres erant, Brisonettus cardinalis durior est inuentus: vtpote qui cunctas iniurias eo bello acceptas ferulo quodam ingenio recenseret, & conditiones summæ iniquitatis proponere videretur. Quamobrem rebus tũ infectis, paulò post Argentonus, Gienſis, atque Pienes, vt coram cum Ludouico Venetisq; legatis disceptarent, in castra venerunt. Ab ijs impetratum est, vt Aureliano eundi ad regem potestas fieret, ea conditione, vt si pax ad exitum perduci minimè posset, cum eodem quem educeret comitatu ad reliquam eius belli fortunam subeundam in vrbem reuerteretur. Postulabat Gallus ante alia, vt Veneti Ferdinandum cõtra se Neapolitano bello, classe vel copijs terrestribus iuuare vellent. Sed Senatus, quem legati per literas consulebant, perplexè admodum respondebat, Venetos quandiu Carolus à sociorum rebus abstineret, regium eius nomen culturos semper, atque amicitiæ iura syncera fide seruaturos: negabantque legati pertinere ad eũ, quam Galli cum Ludouico tractarẽt pacem, vt alicui nouo fœderi Senatus Venetus alligaretur, qui ei quod nuper cum Cæsare Maximiliano, & Ferdinando Himaniarum rege, pontifice que Alexandro, & Ludouico Sfortia

tia ictum esset, se staturum incõcussa fide promisisset. Porrò Ludouicus, quanquam, & regis & procerum summam esse voluntatem, vt res non iniquæ conditione componerẽtur, haud obscurè intelligebat, atque ob id eos de grauibus ipsorum postulatis disputando remouendo, aliquid remissuros esse prouidebat, tamen tanta erat animi solicitudine, vt nunquam posteà adeò secunda sibi hominum ingenia fore putaret, vt eo periculosi belli discrimine solutus & incolumis eriperetur: adeóque anxiè & cupidè pacem petebat, vt Ferdinãdi Aragonij causam minimè respiceret: & se eius auunculum esse, dum priuatim sibi consulit, penitus obliuisceretur. Itaque per idoneos homines, re sapius accuratè atque subtiliter pertractata, Galli ad sextum Idus Octobris his conditionibus pacem cum Ludouico pepigerunt, vt cuncta præsidia vrbe Nouaria ac omnibus locis quæ Ludouici ditionis fuissent, continuò deducerentur, ducentaque millia aureorum nummum, quæ Rex à Ludouico fratréque eius Ascanio cardinale, ab initio belli mutua sumpsisset, duabus pensionibus redderentur. Ludouicus verò Genuensem arcem Herculi Atestino ipsius socero, cui Carolus maximè fidebat, regio nomine custodiendam traderet. Gallis item Genuæ quantam vellent classem parare liceret: & quas naues apud Rapallam Adurnij,

nij, Ligurésque cepissent, restituendas curaret, Ferdinandumque Aragonium ante omnia eo bello cõtra Gallos, copijs, classibus, pecuniáue minimè iuuaret. Postremò quinquaginta millia aureorũ nummium impensæ nomine, Ludouico Aureliano persolueret, et captiui Vtrinque redderentur. Nec multò post Ludouicus Salassus & Anaulebanus Heluetius Vrbe præsidium eduxerunt. Fuere equites omnis generis duo mille octingenti & quadraginta sex: Pedites verò ter mille & sexcenti triginta quatuor, præter eum numerum quem anteà per inducias ad regem profectus secum Aurelianus adduxerat. Eorũ equi magna ex parte strigosi extremáque inedia & macie consumpti erant, ipsa autem Virorum corpora fame enecta, & tristi pallore miserabile in modum adeò deformata cernebantur, vt priusquã Vercellas peruenire possent, plures in itinere passim interirent. In hunc modum rebus compositis, Mantuanus quum à legatis facilè impetrasset, vt sibi Carolum adire, atque ei corã priuato nomine pacem gratulari liceret, Vercellas cum ornatissimo comitatu se contulit, exceptúsque est à rege Gallisque proceribus singulari humanitate, certatúmque est Vtrinque muneribus: nec Mantuanus regiæ cessit liberalitati: nam quum duos eximiæ proceritatis equos, quorum alter mille aureis venierat, dono

no accepisset, aliud ipse nobilissimum equorum par regi dedit, quorum alter spadiceo erat colore, natus in Calabris, qui incredibili ad sessoris nutum agilitate, & in gyros circumflexus, & cursu ac saltibus incitatus, stupẽtibus Gallis regem magnopere delectauit: nemo enim totius Europæ regum ea tempestate, Mantuano, omnis generis militares equos vel plures vel nobiliores alebat, quod magno sumptu ad propagandam sobolem, ex omni vel transmarina prouincia conquisitis equabus admissarijs, domi greges miro felicitatis prouentu instituisset. At Ludouicus Carolo in Galliam profecto, legatis vti maximè debebat ingentes gratias egit, quòd imperium in tam repentino belli turbine iam propè amissum, non minus ipsorum virtute quàm publico Veneti Senatus præsidio confirmatus, maturè atq; feliciter receptæ Nouariæ conseruasset. Nec multò post Mantuanus copijs vltra Ticinum Abduamq; traductis, atque in hyberna dimissis, secundo Pado Venetias enauigauit, vbi Augustino Barbadico cum vniuerso Senatu in Buccintorio naue longè ornatissima obuiam prodeunte, tanta ciuium alacritate atque frequentia susceptus est, vt ea innumerabilium cymbarum multitudo, iusti ac speciosi triumphi, vel insignem pompam superasse videretur. Dum hæc ad Nouariam geruntur, Florentini

tini multò acrius quàm antea cum Pisanis bellum gerebant. Enimuerò quum se Gallica fide, regijsq; promissis planè deceptos conspicerent, quòd discedente rege neq; Vrbem neque arcem tradidisset, omne studium ad parandas ampliores copias contulerunt, conductusq; est liberali stipendio Guido Baldus Vrbini princeps, et plerique minores duces cum delecto equitatu pluribusq; peditum cohortibus, quibus in Vnum locum adductis, & paratis maioribus tormentis, ad oppugnandum Pontesaccum contenderunt. Erant in oppido circiter sexcenti viri fortes, & in his Galli pedites fermè centum, qui magna vi resistendo, & ab interiore muri parte munitiones summa celeritate ac industria extruendo, sese perquàm egregiè tuebantur, expectabantq; auxilia à Pisanis, qui statim cognito suorum periculo, omnes copias Vrbe eduxerant, magnamq; agrestium armatorum multitudinem ex proximis Arni Serchijq; vallibus euocarant: & apud Casinum cum Vitellijs fratribus, qui tum permittente Carolo Pisanorum stipendia merebant, vires in Vnum conferre, & subsidio suis proficisci decreuerant. Sed dum hæc pararentur, Pontesaccenses biduo continenter oppugnati, quum & strata mœnia, & fossa undiq; fascibus virgultorum ac ruinis completa, & loca interiora munitionis plurimum infesta hostium tormentis

mentis forent, desperatis auxilijs deditionem fecerunt, ea conditione vt incolumes abire permitterentur. Sed nec fides integrè seruata est. Nam Franciscus Montedolius, quem primum in Lunensi agro vulnera sustulisse, & cohortem sauientibus in eam crudeliter Gallis amisisse memor animus, ira præfervidus ad vlciscendam iniuriam, omnes ad vnum Gallos, nequicquam prohibentibus ducibus, trucidauit. Capto Pontesacco Guido Baldus eodem circumlato belli terrore, Maluetio et Vitellijs nequaquam campo se committentibus, per eam regionem liberè vagatus est, Lariumque & Pecciolum, & quædam minora in collibus castella in potestatem redegit, muris q; ea oppida penitus nudauit, vt incolæ sublata mœnium fiducia, in posterum si quis ex ipsa rerum mutatione casus incideret, certius in fide continerentur. Nec multò post Toianum & Lecolum recepta: quassataq; est Lecoli turris, & quum aliquandiu pertinaciter defensa, victoris arbitrio dederetur, Zanimus Sampetrius custos, & qui cum eo erant Pisani milites, quòd obstinatis animis se defendissent, Ioannis Ricasoli legati Florentini sæuitia, ab ipsis muri pinnis suspendente laqueo præcipitati sunt. Sequenti die ad Palatium exercitus est ductus, admotisque muralibus tormentis, ea diu & quàm acerrimè oppugnata, Pisanis nequa-

quam opem ferentibus, quòd viribus impares egredi Cascina, & offerre se pugnæ casibus nolebant. Quamobrem Paluienses, præsidiarios qui apud se erant milites, obnixè deprecati, ne pertinacius resistendo Florentinorum animos ad sui tectorumq; excidium irritarent, septimo die se dediderunt. His rebus gestis, duces legatique Florentini Vicopisanum magno apparatu oppugnandum esse censuerunt. Id oppidum collibus adiacet, alluiturq; Arno amne, qui eo in loco maximè tortuosus peninsulam efficit ab ea autem parte qua Bientinam spectat, campi ante alios eius regionis adequestres pugnas maximè idonei patescunt: ad interiorem verò oppidi angulum quadrata exurgit turris, ab eaq; lapideus murus initium capit, qui oppidum undique circundat, & frequentibus munitus propugnaculis in iustam magnitudinem attollitur. His in locis Lucius atque Vitellij qui cum delecta parte copiarum ad oppidum defendendum adcurrerant, magnam vim omnis generis tormentorum, & ante alia ingentem colubrinam summa in turre collocarunt: cuius pilæ ferreæ sexaginta pondo, ad duorum milliarium spatium certis propè ictibus emittebantur. Quibus rebus ad defensionem egregiè præparatis, quum Florentini in conspectu oppidi castra posuissent, protatisque tormentis murum quatere cepissent, tanta

tanta pilarum vis ex oppido emissa est, ut tabernaculorum & equorum atque hominum fœda ac miserabilis strages ederetur: ita ut multi viri fortes omnibus horis passim occiderentur, quum nec vineas nec iustas munitiones quibus sese ac tormenta de more protegerent, erigere vel proferre tutò possent: tantus enim omnes ab tormentis metus incesserat, ut milites ante sua quisque tentoria, ad excauandas fossas, atque aggeres priuatim extruendos omne studium conferrent. Pisani quoque noctu sæpius erumpebant, & eos qui in excubijs & statione erant, audacter inuadebant, excitatis verò tumultibus, quum necessariò ad arma conclamaretur, & ignes undique totis castris ad præbendum lumen circumferrentur, qui in turribus erat tanquam ad propositum signum tormenta protinus emittebant. Interdiu autem subiectis in pratis ab equitibus concurrebatur iniqua Florentinorum conditione, quum Pisanis vel pulsis vel cedentibus insistere tormentorum metu nequaquam auderent, & illis sub oppidum tutissimus receptus præberetur. Tantis affecti incommodis Florentini, expugnatione oppidi desperata, nacti obscuram noctem ut fuga tegeretur, silentio extinctisque ignibus ad Albaretum supra Arnum amnem castra reduxerunt, adeóque trepidè ac festinanter agmen

his locis eductum est, vt nec more militari tabernacula incenderent, nec ipsi duces funalia præferrent, & magnum numerum hastarum ligoniumque, & plures carros relinquerent. Nec multo post Florentinis perfectis eius belli difficultatibus, cum Carolo, dum ille apud Taurinum in æstiuis esset, fœdus renouarunt, promiserunt q; se quandiu à Gallis in Italia bellum gereretur, copijs, & certa præsertim mensrtua pecunia regias partes esse tuaturos. Rex verò per nuncios literásque curaret, vt omnes quas tum Galli tenerent Aethruriæ arces, Florentino populo certis legibus redderentur, iuberetque Vitellios, qui apud Pisanos militabant, vt in Florentinorum castra protinus transirent, eorúmque auspicijs aduersus Pisanos bellum strenuè atque fideliter administrarent. Nec Vitellij quin regijs epistolis esset parendum quicquam dubitarunt: statimque ex Casenæ Pontaderam, vbi tum Florentinorum erat exercitus, profecti sunt, datis ad Pisanos literis, quibus in excusationem repentini discessus, se eius sacramenti militaris, quod Carolo regi antea dixissent, religione teneri, ipsorúmque fidem veteribus regijs stipendijs obligatam esse perscribebant. Salentius quoque Liburni præfectus, acceptis à Florentinis donatiui nomine ingenti pecunia, arcem restituit. Quares Pisanorum animos

mos, & eam spem præsertim quam de regis erga se voluntate antea conceperant, magnopere debilitauit, quanquam Antracius qui Pisanæ arci præerat, nunquam se eam, iubente etiam rege, Florentinis redditurum esse iureiurando polliceretur. Erat enim Antracius ex clientibus Ludouici Ligninij, qui Brissonetto cardinali admodum erat infensus, quod eum Florentini ante alios proceres delegissent, pecuniáque donassent, vt patrono summæ authoritatis vterentur, quo fauente Pisanam arcem reciperent. Ob id Ligninus Antracio scripserat, vt suo potius commodo, quàm alienæ auaritiæ consuleret: at ea spe Florentinos omnino frustraretur. Quin etiam per se Antracius Florentinos oderat, quòd Gallos ad Pontesaccum facta deditione trucidassent: Pisanisque mirificè studere videbatur propter Delantiam Pisanam nobilem puellam, quam impotenti amore deperibat: ipsos q; Pisanos si partam libertatem tuerētur, perpetuos Gallorum clientes futuros existimaret. Quibus de causis, quum Lillensis nobilis Gallus, qui Brissonetto affinitate erat coniunctus, cum regijs epistolis in Florentinorum castra peruenisset, & de recipienda arce per internuncios Gallos ageretur, Antracius per specioso verborum circuitus respondebat, se quum tesseram, quam

in signum regiæ voluntatis accepisset, sibi remissam consticeret, neque suo officio neque suæ existimationi esse defuturum. Ita vt quum nihil abnuere videretur, Florentinorum animos in spe potiundæ arcis egregia simulatione contineret. At Pisani quum ad eam noui fœderis famam à Carolo se planè desertos intelligerent, & non modò libertatem quam rege authore receptam fatebantur, sed ad salutem suam detractis Vitelliorum auxilijs, atque his acerbissimo hosti adiunctis penè proditam viderent, ad Ludouicum Sfortiam Venetósque legatos confugerunt, misso ad Nouariam in castra Syluestro Pogio, viro inter patritios spiritu atque eloquentia maximè insigni, qui admissus in prætorium talem habuit orationem: Nisi ad eos, qui se libertatis publicæ vindices, non ipso tantùm specioso nomine, sed clarissimis etiam factis profitentur pro tuenda libertate confugeremus, nobis profectò ad causam summæ æquitatis explicandam, commouendósque animos vestros, longiore accuratioréque oratione opus esset. Nemo enim quæ fortuna Pisani populi fuerit per septuaginta amplius annos, quibus Florentinis seruiuit prorsus ignorat, quum demum, qui paulo antè vbertate agri, maris opportunitate, nauali gloria, ædificiorum pulchritudine, ciuium virtute, opibus ac institutis, florenti quondam vrbi

Romæ exæquari posse videbamur, ad extremum deserti à socijs, & à sauissimis hostibus subacti, à tanto rerum fastigio in eas luctuosæ seruitutis miserias cecidissemus. Nobis hercle, non vnius hominis, cuius auaritia, crudelitas atque libido, aliquando vel Deorum respectu, vel metu hominum, vel ipsa satietate finiuntur, dominatus erat ferendus: sed ab infinita propè multitudine, quæ tyrannorum mores prorsus induerit, perpetua successione, omnis generis iniuriæ & calamitates patiendæ erant: & quod miserias accumulat, compresso animi dolore sustinendæ: sic vt nemo Pisanorum, aut priuatim aut publicè lætitiam, pacem, requiem, illo vnquam tempore sibi expectandam arbitraretur: Quum Florentini vno consensu per manus tradito, malignè conspirantes, antiquitati & decori vrbis, ciuium fortunis, alienæq; demum industriæ plurimum inuiderent: nosque paulatim omni honore ac omnibus pristinæ felicitatis instrumentis spoliarent: maritima negotiatione ante omnia fuit interdictum, mox ademptus ager, præscriptæ leges, vectigalia noua excogitata, arces cernicibus impositæ, & cuncta demum veteris dignitatis iura, commoda, ornamenta, impotenti rabie penitus ablata. His tantis ærumnis & cladibus deformata ciuitate, factum est, vt nobilissimi

quique Pisanorum, qui neque seruire, neque patriæ interitum oculis intueri poterant, paulatim in alias terras, natali solo, paternis domibus, maiorumque sepulchris sponte relictis, emigrarint: adeoque ciuitatis facies paucis annis immutata est, vt nemo Italus vel externus, si fortè Pisas repeteret, reperiretur, qui antiquæ amplitudinis ac opulentiæ recordatione, miserijs nostris non illachrymaret: & similem quoque cladem ipsis Florentinis, qui adeò inclementer atque crudeliter imperarent, imprecaretur. Itaque nobis in luctu ac mœrore vitam traducentibus, Gallorum aduentus occasionem præbuit repetendæ libertatis: Diuisque bene iuuantibus fortiter iugum excussimus, ac publicè sacramento adacti, fortunas, corpora, atque animos pro libertate denouimus. Neque hactenus tot eorum minæ, tot insidiæ, totque hoc internecino bello armorum conatus nobis obfuerunt: melioribus enim auspicijs libertas defenditur, quàm eripitur. Viri hercle fortes, emori potius liberi, quàm serui cum ignominia viuere didicerunt. Nam si per se indignum est, & miserum alienæ libidini seruire, etiam illud longè grauissimum Pisanis videtur eorum ferre iugum, qui neque vetustate originis, neque bellica virtute, neque vlla in re sibi omnino conferendi esse videantur. Quid enim magis intolerandum est, quàm

quàm vt Florentini libertatem illis inuideãt, qui ante Florentiam conditam liberi florentésque fuerunt? Idq; in alio ferendum velint, quod ipsi penitus reformidant & excutiunt? Ipsi inquam Mediceos, qui nunquam nisi summa cum moderatione atque modestia publicis rebus præfuerint, quique patriam egregijs omnium virtutum monumentis exornarint & illustrarint ferre non potuerunt: nos illos, qui ad vrbis nostræ luctum, miseriam, vastitatem, nati esse videntur, aquissimis animis feremus? Hinc quoque eorum impudentiam insanamque cupiditatem agnoscere potestis, quum sceleratis consilijs, & vti sperandum est funestis, nullo totius Italiæ, vel salutis, vel dignitatis respectu, ipsi Itali contra Italos cum barbaro rege ad subigendã vastandamq; Italiam fœdus percusserint, et tot principum fœderatorum authoritate atq; potentia insolenter contempta, pecuniam ei ingentem numerarunt, auxilia, commeatus & transitum reditueris barbaris obtulerunt: scilicet vt vos his in castris oppressos, fugatos, & vrbibus vestris expulsos videant: aut certè hunc vestrum paratam victoriam de exactis Gallis, liberataq; Italia triumphum retardent ac interpellent. Quibus de causis aquissimũ videtur, vos præcipuè Venetos, qui per octingentos annos augustũ libertatis nomen religiosè coluistis, et fortissimè defen

defendistis eorũ fortunæ misereri, qui à vobis opẽ implorãt, vt libertatẽ, quã vi sibi ereptam. Deorũ beneficio recuperarunt, liceat retinere. Te quoque Ludouice Sfortia, qui & iure hospitij quum exulares, & sanguinis affinitate quæ maiores tuos respicit, & veteris patrocinij Vicecomitum, in quorum clientela semper fuimus, haud obscura necessitudine Pisanæ ciuitati coniunctissimus existimaris, vehementer obsecramus, vt nos liberos & incolumes esse velis: Quod facilè præstabitur, si auxilia non modò de libertate, sed de vita retinenda dimicantibus, opportunè submiseris. Quæ etiam optimo iure tibi essent properè transmittenda, si nos neque clientes tui essemus, neque vllum libertas nostra vel amissa vel retenta, ad vniuersi belli fortunam inclinandam momentum haberet. Non modò enim aduersus communis totius Italiæ fœderis hostes, publicaq; salutis oppugnatores necessaria ac iustissima arma ferrentur, sed in eos etiam, qui ab omni hominum annalium q; memoria infesti maioribus tuis fuerũt, quiq; Gallos & Germanos, infensissimas Italico nomini nationes, in Italiam euocarunt, vt Vicecomites domo regnóque expellerent: & florentissimam Italiæ partem, externis feris q; gentibus inuadendam possidendamq; præberent. Si vestra igitur interest, vt ij qui quum primum

primum nos expugnarint & oppresserint, ad vos extemplò oppugnandos perdendosq; opes, consilia, arma sint conuersuri, proprio bello distineantur, nostroq; periculo reprimantur, opẽ ferre maturetis oportet: nam si salutem clientium vestrorũ neglexeritis, audacia profectò hostium in immensum successu crescet, nec facilè postea, quum adaucta mala ingruerint, cõmunibus periculis occurretis. Porrò si vestro beneficio erimus conseruati, non modò quas dederitis leges læti accipiemus, sed in ditionẽ potestatemq; vestram vltrò cõcedemus: omnis enim reliqua vitæ conditio, modo Florentinis minimè seruiamus, summa nobis erit libertas: eorum siquidem iugum nemo vnquã viuus subibit: nam si à vobis deseremur, egregiè moriendo saltem aliquem à virtute constantiaq; animi perennis gloriæ fructum feremus, & memorabili interitu Pisanos minimè seruire voluisse testabimur. Ludouicus Venetiq; legati, qui antea intercepto Florentinorum nuncio cum publicis literis, eorũ consilia planè cognouerant, Pisanos bono animo esse iusserunt, pollicitiq; sunt eorũ libertatis ac salutis se præcipuã habituros curam, & propediẽ cum auxilijs Fracassium Sanseuerinũ esse transmissuros, iniuncturos q; Aduersijs fratribus, vt in parandis atq; administrandis his rebus quæ bello vsui forent, amicè ac liberaliter

raliter Pisanis adessent, atque eos terra marique, quatis maximè posset opibus iuuare maturarent. Nec multò post Gerardus Boncontes Pisanus, qui Taurini apud Carolum legatus fuerat, ab Genua trecentos pedites & tormentarij pulueris sagittarumq; armorum omnis generis magna copia, duabus biremibus Pisas aduexit confirmauitq; ciuium animos, quum Nouaria iam prope fame subacta esse, nec Gallos obsessis opem ferre, duobus magnis oppositis exercitibus, ausuros prædicaret, affirmando breui futurũ, vt Florentinos initi cum Gallo fœderis omnino pœniteret. Quando cæteri Italiæ principes, pulsis Gallis, in eos tanquã publicæ libertatis proditores, arma protinus essent conuersuri. Itaque Pisani sublatis animis in tam propinqua sibi auxiliorum, ad munienda suburbana ædificia, quæ tum erãt extra Martianã portam, omne studium contulerunt: paucorumq; dierũ spatio perpetuam munitionem, ab extrema suburbij porta ad Arnum amnẽ, procul ab arce quingentos passus Antracio minimè prohibẽte perduxerũt: vt omnis adeunde arcis facultas Florentinis eriperetur. Siquidem Arnus à Spinea porta, vbi pons est lapideus arci coniunctus, vrbẽ ingreditur: arcemq; ad leuam manum præterluit. Aedificia verò suburbana quæ diximus, à Martiana porta in longitudinem curuatæ adeò

adeò porriguntur, vt ab eorum capite extremo, vbi altera ingens porta antiqui operis visitur, perductis ad Arnum munitionibus, arx ipsa vndique cingeretur. Sed vix dum perfectis Pisanorum operibus, Florentini duces copias omnes trifariã diuisas in conspectu vrbis adduxerunt, eo potius cõsilio, vt quidnam propositi de tradenda arce Antracius haberet, accedendo certius explorarent, & Pisanos ab eruptione deterrerẽt, quam vt suburbium oppugnare adorirentur, quod sine iusto tormentorum apparatu capi minimè posse videbatur. Verùm quum Antracius neq; vexillum album proponeret, quo tutus ad arcẽ accessus indicaretur, neq; vlla propensi pacatiq; animi signa daret, Pisani minimè contineri potuerunt, quin extrema suburbij porta confestim erumperent, & pauci cum magna hostium multitudine congrederentur. Quoniam loco maximè fidebant, qui tutum intra portam receptum cedentibus ipsis ostendebat: tormentaq; etiam in munitione iuxta portam collocarant, quæ in prouentes hostes, quum opus foret, se protinus emissuros sperabant. Non tulere petulantiam insultantium Pisanorum Florentini, extemploq; ante alios Ranuccius Martianus, qui agminis frontem obtinebat, plures simul turmas cataphractorum equitum conglobauit, factoq; vehementi impetu,

Pisanos

Pisanos pellendo sternendoq; ad portam usq; præcipites egit, tanta celeritate persecutus, ut pilæ tormentorum, quum ea, ut in repentino casu sæpe accidit, à Pisanis trepidè liberarentur, supra capita hominum prouolarent, aut certè paucos vulnerarent. Ipsi quoque pedites conspicati hostium fugam, undique procurrerunt, unoq; fermè tempore & Montanus ab eo suburbij latere, quod meridiem spectat, hortorum septa maceriasque & nouas munitiones perrupit, & per ædificia in ipsum suburbium peruasit: & Cyriaci cohortes, id quod diximus ad Arnum pertinere, munitionis brachium superarunt: & Montedolius equitibus immissus portam, nequicquam ad fores obluctantibus Pisanis, intrectus est. Tum verò Lucius, in tam repentino grauiq; amittendæ urbis periculo suis non deest: cum conferta equitum ala per medium suburbanæ viæ spatium in hostes procurrit, adhortatorque insignis & bellator egregius prælium renouat, sustinetq; fortiter hostium impetum: & à Martiana porta Pisanorum validum manum in auxilium euocatam festinare iubet. Pugnabatur in ipsis viæ angustijs acerrimè, sed Pisani ab hostium undique urgentium multitudine maximè premebantur, qui ab omni propè latere circumuenti, quid magis cauendum, aut pro salute tentandum fo-

ret, in tanta rerum perturbatione nescirent. Sed dum Lucius & cæteri viri fortes incumbentium impetum sustinere conantur, Paulus Vitellius cum suo equitatu ab vlteriore ripa reperto vado Arnum transgressus, paulo infra munitionem in ipsum suburbium improuisus aduolauit: Cuius aduentus quum id præter omnium opinionem accidisset, quòd nemo amnem eo in loco transiri posse crediderat, adeò Pisanorum animos perculit, ut quū se vrbe auxilijsq; intercluſos esse conspicerēt, conuersi in fugam & cursu ac timore plurimum incitati ad portam maximo impetu deferrentur. Perturbatis ac fugientibus Martiani Vitellianiq; equites insistere: & quum toto viæ spatio Pisani multis illatis acceptisq; vulneribus exacti intra vrbis portā compellerentur nonnulli ex Vitellianis permistis hostibus ingressi sunt. Ne verò omnes simul irrūperent, & vrbs caperetur, Galli ab arce tormēta emittētes, & sagittas saxaq; maximè in subiectam turbā sine vllo discrimine iaculantes, Florentinos auerterunt. Ipsi quoq; Pisani sicuti temerè eruperant, ita singulari cōstantia irruentes represserunt: & valuas totius multitudinis impressione propulsas celeriter occluserūt. Periere in limine plerique viri audaces, ipseq; Lucius ante alios vulneratus, cui etiā Paulus Paranius Martiana alæ præfectus

fectus gladium ab longiore capulo correptum magna vi & summa cum laude dum comines pugnaret, è manu extorsit. Paulo quoque Vitellio dextrum crus, quod sine ocrea processerat, Lancea traiectum. & Vitellocius lapide ictus. Pisanorum autē ex numero Petrus Gambacurtæ, cuius maiores quondam urbis imperium tenuerant, & Martianus Orlandius eques illustris exclusi capti; sunt. Florentini occupatis suburbijs, omni bellico hostium apparatu, & in primis Passauolante ingenti aneo potiuntur: magnam quoque copiam, cum uini in cellis & lacubus, uti uindemiæ tempus offerebat, tum etiam frumenti quod erat in subterraneis scrobibus reconditum, inueniunt. & in ipsos suburbanis ædificijs castrametantur, erectis continuò contra portam munitionibus, ut hostes ab eruptione cohiberent. At Pisani, tum animis uix dum receptis reputando quale periculum, & sua temeritate, & hostium felici audacia subijssent, attoniti, & pauentes cogitarent, se deorum immortalium cura non modò seruatos, sed ea demum die primum natos esse fatebātur. Proq; summo beneficio gratis animis accipiebant, quod Antracius fidem quanquā ambiguis tantū promissis datā in eo periculo, discrimine minimè fefellisset. & tormētis emissis hostium impetū opportunissimo tempore retardasset. Ea nocte nemo ciuium fuit, qui corpus uel recentis prælij labore defatigatū, quieti somnoq; dederit. Decuriones quoq; Lucium inuiserunt, urbis ciuiumq; omnium seruatorem appellantes, quod non modò incredibili uirtute omnibus periculis fortiter occurrisset. Verùm ob id quod paulo ante diuino consilio suburbium minimè defendendum, ac omnino deserendum esse censuerat: & cū primi equites Pisani ipsius iniussu temere extrema porta erumperent, reclamando ac deterrendo retinere conatus fuerat. Postera die Fracassius ad Serchij amnis ostium nauigio delatus, Pisas peruenit: cuius aduentus, uel ob id omnibus gratissimus fuit: quoniam cum Lucio, cui sororem in matrimonium collocarat, eosdem sensus in gerendis rebus, nulla interpositæ æmulationis dubitatione, habiturus esse uidebatur. Applicuit etiam ab Genua scriba Venetus, pecuniamq; attulit ad conducendam ueteranorum cohortem. Triduo post Antracius in gratiā, ut postea creditum est, Delanciæ uirginis, se arcem Pisano populo traditurum pollicitus est, ea lege, ut si Carolus intra centesimum diem in Aethruriam non rediret, arx penitus ab radice diruerētur. Interea Pisani ad alendum præsidium Gallicum singulo quoque mense bino millia aureorū nummum & quum primùm arx euertenda tra-

dere

deretur, donatiui nomine quatuordecim millia sibi numerarent. Ea omnia Vti Gallus postulabat, obsidibus datis, & confectis de more publicis tabulis, decuriones pro ciuibus præstituros receperunt. Rebus eo modo cõpositis, Antracius tormẽta duo inusitatæ magnitudinis rudi veterũ seculo fabrefacta, quorũ alterum ab insculpta aue Columbina, alterum verò ab terribili ictus violentia Desperata vocabatur Pisanis vẽdidit. Ea totius populi concursu, funibus subiectis q; succulis ab arce ad eam muri partem sunt conuecta, qua inter Barbaianum propugnaculum, & Pagianam portam, intercedente Arno, suburbana Martiana prosternebat. Ibi perforato muro ampliores passim fenestræ sunt patefactæ per quas ingentes saxei globi in omnes castrorum hostilitũ partes, cum maximo omnium terrore atque periculo emittebãtur. Erat quoq; summus murus per interualla pinnarũ minoribus tormẽtis adeò egregiè instructus, vt nullis propè tẽporis momentis ab infestandis hostibus cessaretur. Pisana etiam iuuentus per se acris & vindicta decorisque auida, certatim cum Lucanis militibus sæpius erumpebat. Fuitque inter multas eruptiones, ea maximè insignis, qua Fracassius à porta Martina sub occasum Solis, eductis omnibus copijs improuiso hostes inuasit: nam eodem tempore ex constituto, Galli

à Martiana porta in gratiam Pisanorum repentino egressu, magnis q; clamoribus editis erupere, & qui ad Barbaianum erant trans Arnum, tantam vim pilarum, dissplosis illis ingentibus tormentis, & minoribus colubrinis, in suburbana tecta adegerunt, vt equi, virique fortes pariter & ignaui, cum nullus locus periculo vacuus relinqui videretur, attoniti ac terrefacti fœda trepidatione vndique diffugerent, & totis castris cuncta pauore ac tumultu complerentur. Ea die castrorum munimenta ægrè sunt defensa, & plerique milites & insignes equi tormẽtis discerpti. Postero die Arnus imbribus auctus intumuit vsque adeò, vt summis aggerũ labris exæquaretur. Qua re animaduersa, Pisani magnã multitudinem agrestiũ ad Laianum vicum conduxerunt, vt cursum incitati amnis auerterẽt, præcisis q; aggeribus, vbi maximè castigabatur, in depressa hostiũ castra profluentẽ effunderent. Sed Florentini duces cognito hostium consilio, missis ad Laianum sagittariorũ turmis quatuor, & cohortibus duabus præsenti periculo celeriter occurrerunt: & ne quid simile in posterum hostis moliretur, perpetuas equitũ stationes qui ripas custodirẽt, toto eo fluminis tractu disposuerunt. Interea Lillensis Gallus, qui allatis mãdatis regijs, Antracium, vt arcem dederet, precibus nequicquã fatigabat, febre

correptus, Florentinis in castris moritur. Eodémque tempore certissimi nuncij de pace ad Nouariam facta, & Pisas & in castra perferuntur. Quibus de rebus, quum Pisani omnibus conceptæ latitiæ atque hilaritatis significationibus, se omni propè periculo in posterum liberatos ostendissent, Florentini abiectis præsentibus consilijs, à Sanseuino in superiorem Arni tractum copias reduxerunt. Triduo post, Arnus iterũ autumnalibus pluuijs adeò creuit, vt nusquam tentandi vadi spes vlla relinqueretur. Propterea Lucius nullas veritus insidias statim ad Capronam, quæ est rupes via imminens, à qua altissimi montes initium ducunt, cum cuniculis tormentis contendit, & è citeriore amnis ripa castra hostium posita inter Septimum & sanctum Cassianum infestare cæpit. Pisani quoque milites, qui Cassinæ in præsidio erat sæpius erumpebant, & commeatus, & ipsos præsertim pabulatores intercipiebant, tantúque erat his in locis pabuli difficultas, vt ex vitium arundinúmque foliis magna pars equorum aleretur, & vulgus multum moliti tritici penuria laboraret. Quibus affectis incommodis duces Florentini, quòd & hyems subeuat, & inclinante autumno fœdè admodũ tempestates inciderant, Pontesuccum, & Pontaderã in hyberna concesserũt. Per eos dies quũ Galli aues custodes pa-

des pabulum quod in maritimis vicis erat insolenter diriperẽt, & id cõtrà Fracassiani Pisanorum concessione obnixè armis tuerentur, aliquot vtrinque in ipsa rixa interfecti sunt, excitúitq; rumor cruentæ contentionis ab vrbe vtriusque partis auxilia, ac nisi Pisani in eo tumultu ad arma vocati, Gallis opportunè fauissent, luctuosum omnino sacuus editũ fuisset. Sequenti die Fracassius Pisanis iratus, quòd aduersum se pro Gallis stetissent, vt erat ingenio maximè repentino, abducta parte præsidij Pisis excessit, & in Galliam Cisalpinam profectus est. Non multis verò post diebus Antracius, cuius animus ager incredibili Delantiæ virginis amore deflagrabat, decurionibus Pisanis, matronarumq; nobilissimis in arce epulũ dedit: & choreas ad tibicinum cõcentus ipse ante alios duxit, omnibusq; humanitatis officijs testatus est, quũ primũ ex fœderis præscriptione annus foret exactus, cõtinuò arcem Pisano populo se dedituru, neq; sponsioni fides abfuit, quanquã à Florentinis mirificè sollicitaretur, per quos ingentis auri pondus, si Pisanos excluderet, ipsi Antracio, et nominatim singulis centurionibus offerebatur. Calendis nanq; Ianuarijs aduocata populi cõcione, atq; indictis supplicationibus arcẽ dedidit, transmissis Petra sanctã obsidibus, vt in eius oppidi arce, quoad promissa pecunia foret numerata,

custodirentur. Mox verbis conceptis decuriones in verba Caroli Gallorũ regis sacramẽto adegit: tantusq; fuit præ lætitia eodem temporis puncto emissorum tormentorũ strepitus, vt Florẽtinis in castris in spatio octuaginta amplius stadiorũ sit auditus. Qui seditionẽ inter Pisanos & Gallos subortã rati, ne occasioni deesset, copias expeditas vsque ad secundũ lapidẽ properanti agmine frustrà produxere. Pisani eodẽ die Antraciũ ac omnes vno nomine Gallos ciuitate donarunt: quibus etiã domos prædiaq; Florentinorum, iam initio recuperatæ libertatis publicatæ decreto publico adiudicarunt. Nummus subinde in honorẽ Caroli regis cum liliorum nota percussus, & arx ipsa concursu totius populi incredibili celeritate solo æquata est. Nec multo post Galli qui Sergianã arces custodiebant, Antracij exemplum secuti eas Genuensibus magno auri pondere accepto, vendiderunt. Is quoq; Rosius Bastardus Lignini è Lucimburgensi familia propinquus, qui Petræ sanctæ præerat, Lucensibus triginta millia aureorum nummũ numerãtibus, oppidum arcemq; tradidit. Qui posteà auaritiæ ac proditionis infamia notati, pulsiq; Gallia similibus perpetuò exularunt. Cæterum præsentem Pisanorum lætitiam ingens cura conquirendæ pecuniæ magnopere minuebat, persoluendum enim erat pretium coemptæ arcis, ancer

neorumq; tormẽtorum quod publicè & priuatim exhaustis grauissimum erat. quũ quadraginta millium aureorum nummum summam omnino superaret. Sed tãta erat omniũ alacritas pro defendenda libertate, vt vltro nobiles matronæ ornamenta sua annullos, monilia, fibulasq; zonarũ conferrent: quæ omnia Lucensibus pecuniosis mercatoribus in mutuã pecuniã pignori mittebãtur. Sed has etiã ararij difficultates opportunè atq; mirificè subleuauit Lusitana nauis, quæ ad ingentẽ vim nocturnæ tempestatis, submersis magna ex parte nautis, supra ostium Auxeris amnis, cũ pretiosis mercimonijs in litus eiecta est. Tantũ enim pecuniæ Pisani vix toto vertẽte anno in bellicos sumptus impenderãt, vt nihil iam veteris argenteæ supellectilis vsquã reperiretur, & vectigaliũ redditus multo quàm anteà deteriores facti essent, præuertentibus eos publicanorũ vsuris, qui publicã egestatem ab initio præsenti pecunia subleuarẽt: adeò vt iam quosdam ciues, si bellum foret diuturnum, recuperatæ libertatis pœniteret. Igitur quum se impares opulentis hostibus faterentur: atque opẽ, ne incæpto absisteretur, vndique implorãdam omnes censerent: oratores maximè industrij & eloquentes ad principes Italiæ delecti sunt. Iere ad Ludouicum Sfortiam Marianus Pecciolus, ad Alexandrum pontificem Augustinus

Dunitius ad ipsos verò Venetos Bernardinus Agnellus, & in Galliam ad Carolum Petrus Griphus vt frequentius Florentinorũ legationibus occurreretur qui in aula regia largiendo atque agendo procerũ animos Pisanis infestos reddere cõtendebant. Nec multò post Sfortia tuendis Pisanis intentus, Ludouicum Mirandulam cũ ala equitum, & trecentos Germanos pedites Pisas misit: eodem quoque tempore Veneti, id Sfortia enixè flagitante, Paulũ Manfronum virum fortem, & Socinum Benzonum cũ vtriusque armaturæ equitibus ducentis, Iacobumq; Tarsiam veteranæ cohortis præfectum, & cum his Franciscum Iudecam quæstorem cũ pecunia misere. Ludouicus enim quanquam aduersus Florentinos, quòd vni omnium in amicitia, & societate Gallorum communium hostium remansissent, Pisanorũ libertatem tueri videretur, occulto tamen exitialiq; consilio Pisarum imperium affectabat, nec obscuro quidem iure, quòd id regali Vicecomites, ipsius progenitores quondam tenuissent. Sperabat enim eã ciuitatem antiquis ac recentibus beneficijs sibi obstrictã, attritis paulatim diuturnitate belli Florentinorũ opibus, aliquando in ipsius potestatem vltrò concessurã, & quũ se imparẽ ducendo bello cerneret, Venetos Pisano bello alligare, & aliena impensa ad id quod in animo cõceperat, gradum sibi

sibi facere contendebat. Ratus Venetos nunquã adeò impudentes vel insanos fore, vt eam vrbem vltra Apenninũ sitã, & spectantem ad Tyrrhenum mare, quod ab eorũ negotiatione penitus esset diuersum, adijcere imperio cum summa hominum inuidia cogitarent. Sed ipse rerum exitus, qui simulata omnium consilia patefacere solet, Venetos validiore aliquãto quã Ludouicus, sed occultiore ambitionis insania laborasse declarauit. At Florẽtini maiore quã antea cura atque apparatu bello intenti, seuis adhuc hyemis tempestatibus, arcẽ apud Vadavolaterrana terra mariq; obsessam, ac tormẽtis demũ quassatam ceperunt: Pisanisq; mari opẽ ferre conãtibus, eorũ biremis altera onusta armis & cõmeatibus, in proximo Liburni litore naufragium fecit: altera cum myoparonibus aduerso rapta vento, Lunensem portũ tenuit. Quo successu Florentinorum elassicula ad Arni ostium prouecta, aliquot Ligurũ & Tuscorum naugia, quæ frumentum Pisanis importabant, intercepit. Cæterùm Frãciscus Siccus (is enim à Carolo post Tarrensem pugnam ad Florẽtinos redierat) receptis Vadis ad Butum oppugnandum cum magna parte copiarũ est profectus: subuectisque tormentis circumiectos colles occupauit, ne vllus ad oppidum aditus pateret, si Pisani suorum periculo adducti auxilio properare conarentur. Neque

Siccum

Siccum opinio, quam de eorum aduentu cõceperat, omnino fefellit: accedentibus nãque expeditis Pisanorum copijs ad ipsas collium munitiones, atque his egregiè repulsis, oppidum simul atque ipsi milites deditionem fecerunt. Per eos quoq; dies sancti Michaelis vicus qui ad Verruculæ montem pertinet, expugnatus est, quiũ frustra ad opem ferendam ab arce Pisani decurrissent: cohortes quoque ad expugnandam Verruculam per ardua montis ducta, commissumq; est prælium vehemẽti vtrinque impetu: verum ad extremum Florentini iniquitate loci & telorum ac lapidum maximè procella retardati atque deiecti, re infecta ad sanctum Michaelem rediere. Sequenti die Siccus ad expugnandum Calcium contendit: quod vbi Pisis est nuntiatum, inito consilio vt laborantibus opem ferrent, complures eximiæ agilitatis ac fortitudinis milites ex Cascinæ Vicopisanique præsidijs detractos, in arcem Verruculæ euadere iusserunt, vt quum ex edito equitatum per campos appropinquare conspicerent, hostes in oppugnatione oppidi occupatos ab diuersa parte adorirẽtur. Sed Lucius qui copias militares, magnamq; agrestiũ multitudinem ad terrendos hostes in conspectum Calcienſiũ adduxerat, præoccupatos antea colles à Siccianis subire non potuit, alacriter tamẽ Verruculani descenderũt, illatiq; magno impe

impetu in primam stationem castra ab ea parte irruperũt, interfectisq; circiter quadraginta militibus, multis captis, & supra centum vulneratis incolumes per asperos montis calles in arcẽ redierunt. Quibus rebus animaduersis præsidij præfectus, quòd muri assidua tormentorum vi, solo prope æquati erant, deditionẽ fecit. Amisso Calcio. Pisani molendi tritici difficultate laborare cœperũt, quoniam omnes eius tractus frumentariæ molæ Serchio amni impositæ, in potestatem hostium deuenere. Biduo post quum in consilio ducum omnium sententia cõueniſſent, ducere ad Verruculam atque eam expugnare decretum est: erat enim Pisanis omnibus, qui repentinis decursionibus itinera infestabant, in eam arcem tutissimus receptus: eaque pro specula (vti superiore libro docuimus) vtebãtur. Itaque circiter duo millia peditum, & quadringenti leuis armaturæ equites cum tormẽtis minoribus in summum cacumen, vbi arx erat, mittuntur. Cæteras copias, cataphractósque præsertim Siccus sub Butto oppido in exterioribus ædificijs continuit, vt suis Verruculam oppugnantibus præsidio esset: & quæ vsui forent ex propinquo subministraret. At Lucius cognita hostium profectione, similem Verruculanorum & Calcienſium oppugnationis exitum veritus, vt suorum periculo occurreret, & Calcij in conspectu in ipsius

in ipsius nuper amissi dedecus audaci aliqua facinore resarciret, nocturna expeditione cum delectis equitibus ex Sfortianorũ Venetorúmque auxilijs, ac ipsa Pisana iuuentute, Buttũ aduolauit. Cæsiq; repentino aduẽtu, qui excubias agebant priusquam hostes arma caperẽt, in media castra penetrauit. In ea omniũ subita cõsternatione, ex numero resistentiũ circiter triginta sunt interfecti, capti verò plures, & equi partim sarcinarij, partim militares pauło minus trecenti, cæteros proxima cõualles nemoraq; texerũt. Siccus ipse ad oppidi portã cursu se proripiens, quũ ea præ timore ualuis pectibus esset obfirmata, funibus in murũ ab oppidanis est sublatus. Qui verò Verruculã oppugnabãt, cognita suorũ clade, digressi summo cacumine ad montẽ cui ab asperitate Doloroso nomẽ est, propè Buttũ se recepere, atque inde diuisis inter se copijs, duces Bientinã, Põtaderamq; reuersi sunt. Ex aduerso Pisani Paulũ Manfroniũ cum Venetis copijs apud Vicopisanum, Ludouicũ verò Mirandulã Germanosq; Vltra Arnum Cascinæ collocarunt. Rannucio Martiano ex Põtadera cũ Sfortianis res erat a Sicco antẽ cũ Manfronianis è Bientina bellum gerebatur, neq; illa præterijt dies, quæ aliquo præclaro belli facinore nõ esset insignis: virtute enim, insidijs, audacia, nouisq; artibus quotidie certabatur. Iam q; regionis erat situs,

tus, admirabili naturæ uarietate in patentes campos, & uestitos arboribus colles terrenosq; tumulos, cauas ualles, emissaria, paludesq; distinctus, ut duces sicuti eorũ ingenia ferebant, siue fera ui, siue usu ac dolis certãdũ foret, ad res gerendas cohortari atq; incitari viderentur. Ab Bientina cãpi pabula uberes ad Vicopisanũ usq; pertinẽt, qui paludes, collibus atque Arno amne claudũtur. In hos Siccus uti erat in omni militiæ munere peracutus & sagax, Manfronium facilè elicit, & ex insidijs opprimi posse iudicauit: quòd sciret hominẽ naturæ maxime pugnacẽ, & propterea uti plerunq; accidit, apertũ & incautũ, pugnæ studio iniquũ in locũ facilè progressurũ. Itaq; circumpositis insidijs, edoctisq; militibus quid fieri uellet, quũ signũ proponeretur, leue emisit armaturã, quæ in conspectum oppidi se daret, pabulatoresque consectando, maiore quàm antea licentia uagaretur. At Manfronius, qui ex oppido cuncta despectabat, ubi pabulatores ac milites, qui eis præsidio simul exierant, maiore hostium numero urgeri videt, Ioannem Rauennatem Ioannetumque Pallauicinum cũ expeditis turmis celeriter emittit: moxq; ipse cum graui armatura equestri, subsidiarijsq; peditibus subsequitur. Idem facit Siccus accitis è proximo catzphractis, prælium que auctis undique uiribus, tãta animorum alacritate cõmittitur, ut ma-

gnus

gnorum exercituum ſpecies ſpectantium oculis præberetur. Nemo enim eques adeò ſegnis erat, quin haſtam in aduerſa acie non perfringeret, & gladijs eductis, collatiſq; equorũ pectoribus, cum hoſte miſceretur. In eo peracri concurſu quũ multi equites proſtrati, & equi plures conuulnerati eſſent, Florentini Sicci monitu gradum referre, & timoris ſimulatione terga vertere cœperunt: nec Manfronius ingenio ſuo deeſt ſuos cohortatur vt acriter inſtêt, neq; perterritis reſtituendæ aciei ſpatiũ relinquant. Ipſeq; vehementi impetu in terga abeuntium cum delectis equitibus inuehitur: & pugnando, magnũ camporũ ſpatium prætergreſſus, ad occultatos hoſtes peruenit. Tũ verò ex inſidijs noua vndiq; turmæ cohorteſq; conſurgũt: Venetæ copiæ circumueniũtur, ipſe Mãfronius fortiter rem gerit, denſari quam maximè turmas iubet, & ſigna ad oppidũ retrouertit, pugnatur aliquandiu in orbẽ ſummâ conſtantia, ſed incidentibus vndiq; hoſtiũ cuneis Manfroniani fundũtur, & diſſipati paſſim à pluribus opprimuntur. In ea fuga Venetæ alæ vexillifer cadit: Pallaia equitũ præfectus capitur: ipſe Manfronius atque Rhauennas vulnerãtur: pedites equiteſq; plurimi in fugam ſe dedunt. Sed dum parta victoria Siccus incredibili lætitia afficitur, hoſteſq; perſequitur, torméti minoris glande traiectus concidit,

cidit, magno quidem illudentis fortunæ caſu, quando ea pila in ſpatio trium amplius ſtadiorum ex oppidi turre in incertum emiſſa, ipſum vnum victorem ducem, miraculo quodam ſuſtuliſſe videretur: Ita vt ea victoria, quanquã inſignis, Florentinis haud multum grata fuerit, quæ prudentis ſimul acſtrenui ducis morte conſtitiſſet. Sub idem ferme tempus quo Carolus Italiæ exceſſit, atq; hæc in Aethruria geſta ſunt, Gilbertus Mompenſerius Neapoli obſeſſus. Gallorum ducibus, qui eadem æſtate Ferdinandum in Brutijs acie ſuperarant, ſignifi, cauit ſe rerum omnium difficultatibus adductum, niſi auxilia terra aut mari Neapolim mitterentur, diutius obſidionem non eſſe toleraturum. Quibus de cauſis, Galli euocatis ad ſe Andegauenſium partium regulis, coactiſq; militibus, pronunciãs inter ſe ita comparauêrũt, vt diuiſo exercitu, alter aduerſus Conſaluum, qui ex prælio Rhegium ſe receperat, & accitis e Sicilia auxilijs bellum renouabat, Brutios tueretur: alter iuſtis itineribus Neapolim ſubſidio obſeſſis ire maturaret. Obignino Brutij obuenere, Perſiues adnumcto ſibi Bernardino Sanſeuerino Beſſenniani principe, qui alam vnam equitum & quatuor cohortes ex clientibus ſuis in Brutijs coſcripſerat, per Lucaniam Ebulum peruenit, quod eſt oppidum Picentinorum nõ longè à Sylari amne prærupto in monte

positum, & profunda undiq; valle circumseptum. Ferdinandus eò duces copias q; præmiserat ad prohibendos trãsitu Gallos, quibus iter erat ad Salernum urbem. Ipse Neapoli remanserat, & colloquijs Gallorum interesset, qui tã de pacisendis induciis arceq; dedenda desperatis auxilijs acturi videbantur. Præerat regio exercitui Thomas Carafa Matalonij princeps, externæ militiæ prorsus ignarus, sed cum eo pleriq; viri militares aderant, et in his ante alios Venantius Camertium regulus, Lucasq; Sabellus: Quibus cognito Gallorum itinere, viribusque eorum diligenter exploratis consilium erat, hostes recta Salernum petentes, modicis itineribus subsequi, auertere commeatus, nec prius acie confligere, quàm eos iniquior locus exciperet, opprimendos q; præberet: vel quod maximè usui fore videretur, continuò ad oppidum cui Laui paruulo nomen est, conuolare: incolis q; demigrare iussis, concremato q; oppido, ne commeatu ac tectis hostis iuuaretur, Salernũ præcurrere. Quo perfecto negotio necesse foret Gallos, qui nec tecta cibaria, nec maiora tormenta conueherent, retro in Lucaniam regredi, desperata præsertim expugnatione Salerni, quod magnis hostium copijs tenebatur. Verùm ceteri duces milites q; contemptæ hostium paucitate tanto pugnandi studio ardebant, & incitati stolida alacritate succlamarent, neq; quaquam pertinere ad regij nominis tantique exercitus dignitatem, si ea victoria quã propè certam exploratamq; tenerent, non veraci apertaq; virtute, sed per circuitus ignauis artibus peteretur. Eam quoq; multorũ temeritatem præproperi ducis imperium augebat, qui nihil in castra præter spectatam fidẽ, & celebris familiæ nomen attulerat. Is enim castigatis qui cauta, & minus decora consilia sequerentur: Neq; inquit Galli hodie antiqui illi Heroes sunt, quos ab admiranda vi corporis fabulosis carminibus Gallia celebrauit, neque nos omnino fœmina sumus in virilẽ hunc modum armata atq; exornata. Vt dubitemus hos barbaros temulento agmine incedentes ad primum statim conspectum adoriri atq; proterere. Ac simul hæc dixit, pronunciari iussit, vt omnes arma pararent, equos q; frænarent: de tertia q; vigilia omnis exercitus Ebulo sub signis eductus est. Persinus & Bessennianus sub auroram Sylarim amnem ponte traiecerant, et ad Salernum iter habebant: conspectis autem hostibus, vt æquiore loco aciem instruerent, per tria amplius stadia retrouerterunt agmen: & ingenti sylua quæ patentibus campis adiacet, læuum latus applicarunt, ne hostium multitudine tantulæ copiæ circumueniri possent. Erant enim vix mille Heluetij, quibus coniuncti à tergo Brutij pedites octingẽti, quadratum

dratum phalangis corpus efficiebant. Equites Striusq; armaturæ, Galli, Italiq; circiter mille densati in vnum agmen, lateri peditum adhæsere. At Matalonius omnes copias, veterum more secutus, qui nostris sæpius funestus fuit, in quinq; acies diuisit, quæ pari fronte ad similitudinem directorii cornuum à medio agmine extendebantur, in quo ipse Lucasq; Sabellus consliterunt, septi à læua mille Cantabris, à dextra verò tribus millibus peditum Italorum. In extremis autrē cornibus cum suo quisque equitatu, hinc Venantius Camers: illinc Hieronymus Tutauilla Sarnensis regulus curabant, eo consilio, vt quum primùm Matalonius peditatu pedites Heluetios, equitatu verò equites Gallos a fronte adoriretur, Venantius secum turmis suis Cantabrorumq; cohortibus inter hostes & syluam facto impetu protinus insinuaret, & eodem simul tempore læuum cornu à Tutauilla in latus ac tergà hostium decideretur, non absurda quidem ratione, si militum animi ac acierum motus, quos mille casibus Fortuna subijcit, quum manus conseruntur, ipsis ducum consilijs atq; imperijs plenissimè responderent, vt tum fortè accidit. Nam præter id quod Aragonia acies eo loco imprudenter erat collocata, vbi aduersi orientis Solis radij militum oculos magnopere perstringebant, ob id etiam temerè instructa videbatur: quoniam

quoniam ordinibus modico interuallo disiunctis, neq; satis roboris inerat ad consistendum, neq; singulis tantum spatij relinquebatur, vt si circumagere conuertereq; aciem oporteret, fieri non posset, quin mutuò se implicarent, ac perturbarent: sed quod magno fuit detrimento, & militiæ videtur execrandum, miles ipso tyrocinio alacer, quum nec dicto parere, nec bene pugnare didicisset, neutrum disciplinæ munus impleuit. Nanq; vt primum à longè emissa fuere tormenta, aliquot nobiles splendidiq; equites, vt cæteris spectatæ virtutis decus præriperent, immisso extra ordinem inclinatis hastis, alij post alios, certatim equos in aduersos hostes concitarunt. Quorum impetum, quum densata incocussi agminis fronte Gallicus equitatus excepisset, nonnulli q; aduersis hostium hastis inducti repulsiq; ex equis cecidissent, reliqui omnes extemplo retrouertentes equos vehementi ac tumultuario quodam recursu in Cantabros inciderunt, totamq; eorum aciem perturbatam à dextro latere in Venantianam alam propulerunt, ita vt fluctuantibus præmentibus q; Cantabris, equitum ordines non modò impulsi, verùm etiam prostrati soluerentur. eodem quoq; temporis momento Aragonij pedites incitati cursu, Heluetios pari temeritate sunt adorti: nam quum alij scutati intortis hastilibus gladios stringerent, alij aut aurita ve-

nabula, aut rhomphæas adunco ancipitiq; ferro lato præfixas ferrent, ad ipsum corpus phalangis longiores lanceas ericij modo prætendentis, peruenire minimè potuerunt. Tantaq; consecuta est animorum commutatio, vt qui modò singulari ferocia summaq; alacritate præcurrerant, retro statim facto virium periculo, suorum maximè intercurrente equitatu pauidi verterentur. Persiuus tanta rei miraculo stupefactus, ne Fortuna contra spem obnixè fauenti deesset, gradum intulit, & supra aceruos hominum equorumq; cadentium audaciter progressus, quod vix credibile est semihora spatio, penè sine suorum vulnere hostium copias profligauit: peditatus Italicus fermè totus ab Herustijs est concisus, ac simul deleta cohors vna insignis audacia, quam ex scarijs Neapoli conscripserant, pereiq; dum cateri terga verterent, egregiè repugnãdo strenui centuriones, Henricus nobilis Corsus, Aloisius Squarcia, & Vincentius Capecius. Cantabros armis expeditos atq; agiles, densissimæ syluæ armatis haud facile penetrabiles protexerunt. Mataloninus verò cateriq; duces multis equitibus amissis, Ebrum fœda fuga petiuere. Sed dum agrè intra portam reciperentur, & Galli equites tergis inhærerent, Venantius constanti vir animo, hostium impetum à nouissimo agmine fortiter sustinens egregieq; dimicans, capitur. Cateri porrò

porrò equites numero fermè trecenti, capto circuitu per iniqua loca ad aduersam oppidi portam peruolarunt. Verùm tanta erat in oppido omnium cõsternatio, vt nemo esset qui portam aperiri permitteret, vel tendentium ad muros pro salute supplices manus, periculo permouerentur. Sed Galli sicuti imperitia ignauiaque hostium victores euaserant, ita pleniore victoria fatali sua socordia nescierunt: delendorũ enim equitum occasionẽ Persiuus amisit, quũ fortè nihil explorato circum exteriores fossas oppidi situ, instructam suorũ aciem ad id tantum, quod ante oppidũ erat, patentis areæ spatium produxisset, mirabundus & expectans, vt porta ab his, qui tam fœdè fugerant, victoribus aperirentur. Verùm Galli nõ multo pòst, quum expugnando oppido tormenta deessent, & Bessennianus Serpentina pila, quæ propugnaculo fortè emissa, gladij capulũ deterserat, thoracemq; collisserat, prope exanimatus cecidisset, ad spoliãda cadauera redierunt: quibus abeuntibus equitatus supremo timore atq; periculo liberatus est, & intra portam receptus. Eo quoq; post aliquot horas Cantabri sylvarũ beneficio seruati, et qui variis fugæ casibus eadem euaserant, cateruatim peruenere. Quòd se Persiuus ad Ebrũ castra posuisset, pleriq; affirmant oppidanos, quod Andegauensis erant factionis, sequuti die adapertis Gallo portis,

copias omnes Aragonias fuisse tradituros. Et quæ secuta est nocte, Tutauilla cum parte copiarum ad firmandum præsidio Sarnum est profectus: quò etiã Prosper è Neapoli ad eius cladis nuncium applicuit. Galli præda onusti, omnibusq; oppidis studio aut metu liberaliter recepti, ab Silerno ad Sarnum amnem, vbi oppidum est eius nominis, biduo post peruenere; ac ponte quem Prosper Tutauillaq; reseiderant, super veteres fublicas refecto, nequaquam tentata oppidi oppugnatione Neapolim contendere. Interea Ferdinandus, tota Neapoli ob amissos ciues metu simul ac dolore consternata, incredibili animi solicitudine torquebatur. Nam supra cladem fusi casique turpiter exercitus, etiam ingenti suspensus cura magnopere timebat, ne eius acceptæ cladis fama victoriũq; simul exercitus aduentus, ab obsessis aliqua Andegauensium fraude sentiretur. Nam Galli quum iam plerosq; eorum conclusionis vitijs affectos grauis autumnus valetudine tentasset, nec iam reliqui extremam rerum inopiam perferre possent, nequaquam spernẽdas de dedendis arcibus conditiones obtulerant, desperatis præsertim maritimis auxilijs, quod litora Tyrrheni maris Aragonia classe clausa atque obsessa tenebantur. Quibus de causis agendo per crebra colloquia cum regijs nuncijs, ad vltimam disceptationem transigendæ pactionis erat

erat peruentum. Obid Ferdinandus in omnem adeo vrgentis metus dissimulationem compositus, quod maturè facto opus erat, Mompenserio earum rerum penitus ignaro denunciauit si intra præsentis diei spacium, in eas quas obtulisset conditiones de dedendis arcibus ex æquo pacisceretur, se cuncta quæ obsignatis tabulis promitteret, regia fide præstiturum. Porrò si ad extrahendum tempus impudenter eludendo fallacibus colloquijs vteretur, nullam Gallos postea impetrandæ veniæ facultatem habituros. Se propterea inutis etiam amicis, ipsisq; præsertim fœderatis principibus, præbuisse aures admodum benignas eorum postulatis, vt sine sanguine, vllo q; vtriusque partis incommodo pax ipsa pararetur, quod natura ab omni crudelitate penitus abhorreret, quæ se postea abiecta omni humanitate, necessariò visurum sciret si bellum non certa ac tolerabili conditione mutuæ pactionis, sed insanæ animorum obstinatione ac pertinacibus armis finiretur. Ad ea Mompenserius respondit, se eo animo de arcium deditione semper egisse, vt si æqua vel certè non indecora conditione fieri posset, nequaquam pacem abnueret. Idcirco se cum ducibus egressurum si rex obsidibus caueret, nec ab æquabili compositione discederet, totumq; id ineundæ pacis negotiũ expeditis sermonibus esse confecturum. Itaque statuitur

colloquio locus in Aragonia trireme, mittitúrque pro obside in arcem Dimasius Triuentij classis præfecti frater: nec mora: Mopenserius, Alegria, Beicarius, Gratianus Guerra, ipseq; Salernitanus cum Gallo quæstore, nobilioribusque nauarchis, ad prætoriam triremem accedunt, eò quoq; simul Triuentius, Prosper Columna, Albericus Caraffa, Andreas q; Gennarius perueheruntur. Fit magna, vti debebat de summa re in vtranq; partē disceptatio, ita vt colloquium mutuis altercationibus plurimum extenderetur. Erant ob id suspensi omniū animi expectatione tāta rei: ipseq; ante alios Ferdinandus maximis incertæ mentis fluctibus agitabatur, vt qui nec rem maximæ spei festinatione sua impedire ac conturbare vellet, nec vllam moram animus inquies omnino pateretur, quum Gallica castra non procul abesse putaret, eorumq; fremitum auribus prope percipere videretur, vti anxijs suspensisq; frequenter accidit, quibus vana atq; inanes remotissimarum rerum imagines deceptis sensibus offeruntur. Igitur moræ impatiens, Franciscum Capuanum astuto ingenio iuuenem scapha imposítum ad eos mittit, vt regio nomine Prosperum ac cæteros coarguat, quod se inanibus verbis ac ambagibus destineri, ac longius abduci paterentur: Simulq; imperet, nisi Galli intra horæ spatiū de deditione pepigerint, tabulisq; subscripserint, vti eos confestim abire iubeant,

vtrisq; omnis spe, vel colloquij, vel pacis in posterum sublata, perpetuo cuncta hostilia, & quàm maximè sæua denuntiet. Quibus auditis Galli fortunæ suæ prorsus ignari, quum quisq; de propria salute solicitus, calamitosum diuturnæ obsidionis exitum demisso animo formidaret, cunctiq; si incolumes inde euaderent, renouato bello, nec q; plenam iterum victoriā, nec q; ipsas demum arces sibi defuturas existimarent, in has cōditiones de dedēdis arcibus pepigerunt: Vti intra certū diem, nisi tanta terra marique Gallorum auxilia superuenirēt, vt eorum metu adductus Ferdinandi exercitus, relictis patentibus campis, intra oppida se recipere cogeretur, arces omnino dederent: Ipsiq; per id tempus quotidianis cibaris impenso pretio iuuarentur. Intereáque datis decem obsidibus quos Ferdinandus deligeret, terra ac mari manerent inducie ne vllum omnino telum vtrinq; mitteretur. Inducijs opportunissimo tēpore constitutis, Ferdinandus vti erat altera tanti negotij cura liberatus, quibusnam modo belli artibus aduentāti Persuo obsistendū foret summa solicitudine consultabat. Variæ si quidem pro ingenio ducum sententiæ dicebantur, nec deerant ex intimis amicorum Albericus Caraffa, Marinus q; Brancatius, qui, quū bis victis perterritisq; militibus magnopere diffiderent, copias intra vrbem recipiendas, congressum q; victoris exercitus omnino deuitandum

differebant, quando munitiones, quæ arcem perpetua coniunctione ab vrbe penitus excluderent, nullo cum periculo, & solis prope tormentis defendi posse viderentur, quibus defensis necesse foret tantam Gallorum multitudinem paucis diebus absumpto omni vetere pariter ac aduectitio commeatu, inedia penitus interire, quòd militum numero propemodum duplicato, qui aduenissent, non modò præsentem inopiam aliqua ex parte subleuare, sed nec se ipsos quidem alere possent, etiam si contra prodigæ gentis morem cibaria parcissimè metirentur. Insanæ demum esse pertinaciæ, ac temeritatis potius, quàm veræ virtutis, copias apertum in locum educere, & toties victoris exercitus vim periclitari, quando salus omnium atq; imperium periniqua sorte vnius prælij aleæ committi videretur, si milites magna ex parte aut vulneratos, aut recenti metu trepidates, victoribus Gallis, quorum arma crista sagulaq; Aragonio sanguine redundarent pecudum more mactandos obijceret. His maximè verbis, quæ timidorum auribus magnoperè placebant, adeò præsentium animi sunt permoti, vt qui nullis etiam manifestis vitæ periculi pro tuenda regis salute dignitateq; terreri didicerant, Alberici, Marinique sententiæ assensuri viderentur, nisi eos Prosper Columna, qui magnitudine animi

ac dicendi libertate ante alios erat insignis, contra disserendo acerbissimis verbis castigasset. Qui copias, inquit, in vrbe non modò turpi, sed admodum pernicioso consilio reducendas censent, ij mihi potius de fuga nauibus capessenda, quàm de munitionibus fortiter defendendis cogitare videntur. Quid enim nobis intra vrbem metu compulsis, reliquæ spei supererit, si hostes tam valida recentiq; manu militum aducti, ob idq; sublatis iure inducijs, ex omnibus munitionum locis eruperint? Puerorum puto ac fœminarum planctus, in ipso vrbis supremo discrimine, trepidantium in tergo auditus, vires addet, vel animus excitabit, consistent q; fortiter, alacriterq; pugnabunt, qui salutem suam in aliena virtute vel ignauia positam esse conspicient, quin diuersis in locis, varia fortuna dimicari ad euentum summæ rei, suspensis animis cogitabat. An vobis mentem atq; memoria excidit quàto cum labore, quantoq; cum periculo repentinas hostium eruptiones sustinuerimus? vt nunc omnino insani simus, si qui Gallis equitibus pedestri in pugna vix æquabamur, nunc demum Heluetiæ phalangis vim sustinere ex improuiso posse confidimus. Ego certè quanquam sciam multò facilius esse contra disserendo alienis obtrectare consilijs, quàm veram in summa negotij difficultate salutis atq; victoriæ rationem inuenire, nulla tamen reliqua ad auertendos hostes

stes viam superesse constanter affirmauerim. præter eam, quæ nobis in hac rerũ omnũ angustia securitatẽ pollicetur, nõ modò salua, verùm etiã amplificata regij nominis existimatione, qua vna re vel infirmos exercitus feliciter regi, & plena spe ad victoriã facilè perduci videmus. Castra etenim ad Ecciam loco aperto atque munito locanda, conctendosq; omnes aditus qua iter ad arcem fæturus sit hostis, ea ratione censeo, vt nec hostes temere cõtemnere, nec eos demisse nimis ac perditè timere videamur. Exercitus nanq; noster decoro in speciem egressu eo tutior atq; nobilior erit, quod vallatis castris locoq; natura permunito, & prohibere ex tuto hostem, si temerè progredi pergat, & ostẽtare vires poterit, sine vllo coactæ dimicationis periculo: ij quoq; qui in arcibus sunt omnino cõquiescent, nec inducias, vt datis obsidibus caueãt, vnquã violabunt. Quòd si consiliũ nõ dictu modò fœdũ, sed ipso etiã exitu luctuosum sequemur, & copias in vrbe cõtinendo stratũ atq; expeditũ iter ad arcẽ Persiuo relinquamus, nõ modò de tuenda Neapoli, sed de summa belli victoria omnino nobis erit desperandum, quãdo receptis semel intra arces tot hostibus, ijsq; omni inducias religione solutis, nec robustissimus quidẽ exercitus repugnabit. At si quosq; aditus locorũ ijs angustijs vel iusto opere, vel cõgerie lapidum, decisis

decisisq; & obiectis arboribus, vt ipsa loci fert natura, strenuè atq; celeriter muniamus, hæc quæ pleris q; ardua videntur, opinione omniũ faciliora euadẽt, conatusq; hostiũ maiore aliquanto cũ voluptate quã periculo nostrorũ militũ penitus eludẽtur. Ergo si vrbẽ incolumem, Ferdinande, saluũ imperium, ciues pariter ac milites tuos seruatos victores q;, quàm hæc omnia veluti vno fulminis ictu concussa atque prostrata videre malueris, protinus ad Ecciã educ signa, regij q; animi vigorẽ, quem maximè facto opus est, alacritatis atq; fiduciæ plenus ostende. Aliena nãq; virtus vel falso etiã fulgore hostibus sæpe timorẽ præbet, animusq; vel aduerso successu consternatus plerunq; ad alieni metus imaginẽ vel falsò cõceptã erigit. Sed hæc tibi extẽplo peragẽda sunt: nã in præcipiti bellicarũ rerũ occasione, grauia repentinaq; pericula multæ deliberationis consiliũ nõ admittũt. Ferdinandus ea permotus oratione, veluti discusso ancipiti metu, animum erexit, quanquã eum ingẽtis spei plenũ bina clades vehemẽter cõtudisse viderẽtur: Statuitq; vt protinus ad Ecciam periti locorũ atq; militiæ mitterẽtur, qui inspicerẽt cuncta oculis, diligenterq; lustrarẽt si cõcidi ac muniri aditus possent: Se nihil moraturũ quin eo copias omnes educeret & Prosperi consilia sequeretur. Nec multò post Iouannes Mõtanus fide virtuteq;

tute q3 animi illustris, qui pedestribus copijs præerat, desumpto sibi eo munere Ecciam profectus, renunciauit ea quæ Prosper docuisset, optimo prouisa fuisse consilio: operamq3 suam ad ea perficienda maximè constanter obtulit, ita vt conductis operis prolixè polliceretur, se celeriter munitiones esse perductu rũ quæ nisi summa cum pernicie accedentiũ hostium, non modò superari, sed nec oppugnari quidẽ posse omnium iudicio videãtur. Itaq3 magnes numerus agrestiũ ad faciendũ tuendumq3 opus, finitimis totius Campaniæ imperatur. Vrbana omnis multitudo, ac milites qui ex prælio Neapolim fuga repetebant, educitur: tormentaq3 in primis Ecciam cõuehuntur. Is est locus admodũ editus non procul ab occidentali porta, qui ad arcem Pizæ falconis extẽditur, desinitq3 in præaltã cautem præciso vndiq3 declectu mari imminentẽ, quã Gallis ad arcẽ tendentibus necesse erat penetrare. Paulo infra Ecciam, cœnobium est Capellæ nomine nuncupatũ. Id ad mare pertinet, impositu nq3 est via inferiori, quæ maris fluctibus allauitur. In eo cœnobio tormenta locis idoneis sunt collocata: his q3 Vrbanæ cohortes duæ præsidio additæ vt ab omni simul parte accedẽdi facultas Gallis eriperetur. Montanus etiã Cryptæ viam, quæ perforato antiquitus monte Pausilipo, Puteolos recta perducit, aggestitia materia præcludere

dere conatus est. Sed Persiuus prima luce motis castris, per dorsum Pausilipi agmẽ erigere cœpit: cuius aduentu Aragonij ab opere reuocati, instructis ordinibus vti rex iusserat, suis locis parati ad pugnã constiterunt. Collucebãt proximi colles ingenti armatorum agrestium multitudine, quorũ inconditis clamoribus cuncta resonabant. Regiæ verò copiæ paulo infra arduo atq3 opportuno loco tenebantur, adeò vt procul in magnis tympanorũ, tubarumq3 concentibus, tormentorumq3 strepitu, longe maximi exercitus species subeũtibus Gallis redderetur. Persiuus sua opinione deceptus paululum substitit: quippe qui regem ad famam tantæ victoriæ perterritum, atque adductum ancipiti periculo, non modò extra vrbem habiturũ castra, sed fugæ sibi omnino consulturum crediderat. Mox vbi suos nihil ab arcibus moliri neq3 vllum omnino lætitiæ signum dissolutis de more tormentis, edere conspexit, ratus eos aut deditos esse, aut omnino (vti erat) inducijs alligatos fidei religione detineri, ad dextram in lites deflexit, & iuxta Reginæ hortos castra metatus est. Tũ verò Galli eminus è castris, & è Capellæ cœnobio tormentis oppugnari cœpti. Immineb at q3 eis è superiore loco instructæ acies, leuiaq3 certamina extra ordinẽ ab expeditis peditibus edebãtur. Sic tamen vt se potius pugnæ auidos inclamando atque

arma quatiẽdo procul ostentarẽt, quàm vt ad cõserendas ex propinquo manus decurrere auderẽt. Nanq; eos Ferdinandus descendere prohibebat, qui munitus castris egregiè se teneret, ne parta propè victoria, in discrimen improuisæ pugnæ temeritate militũ adduceretur. Interim Persiuus proximo in litore piscatorium nactus lembum, de aduentu suo, et de prælio ad Ebulum prosperè facto, nuncium ad arcem transmittit. Mompenserius cæteriq; duces his cognitis tantam vniuersæ victoriæ occasionem, nimis celeri rerum desperatione amissam, ne quicquam deplorantes & Fortunam quæ puncto temporis cuncta præverterit, inanibus querelis execrantur: instructoq; myoparone idoneos homines remittunt, qui de inducijs Persiuum doceant, quas sibi inopia rerum subactis, vltima necessitas expresserit. Sibi enim quandiu Ferdinandus aperto in loco castra metaretur nõ licere quicquam hostile moliri, quod id esset expressõ & iureiurando, & obsidibus cautum. Quòd si Persiuus pulsis hostibus, patefactoq; aditu ad arcem perrumperet, se tũ instructa acie protinus erupturos: Sin loco viribusq; inferior id facere nequiret, & propterea regrederetur, se ad constitutam diem dedituros arces & copias quas haberent, incolumes, expectata æquiore rerum Fortuna, donec Carolus noua

noua auxilia transmitteret, seruaturos. Itaq; Persiuus locorum difficultate deterritus, quic neque ad arcem neq; ad vrbis portas propter angustias penetrare, neq; oppugnare castra, nisi summa cum clade suorum militũ posset, ea quæ imminebat nocte discedere constituit, præsertim quum eum his in locis diutius permanere commeatus inopia minimè pateretur: neque triremes Aragoniæ quæ Baiano sinu eductæ, ex alto ea litora tormentis infestabant, Gallos apertis in locis tendere permitterent. De secunda igitur vigilia silentij agmine profisciuntur: pars eodem Pausilypi dorso iter facit, pars Cryptam quam Aragonij obsepserãt, disiectis paruo labore repagulis ingreditur. Tum verò cerea fimalia religione hominum suspensa in Mariæ Virginis templo quod Cryptæ adiacet, ad præbendum lumen, lixarum ac militũ concursu rapiuntur, quando id iter perpetuis tenebris incultum, ac inhonantis turbæ, validoq; equorum terrana pulsantium repercussu, Gallis & Heluetijs horrendum foret, qui cum inauditum antea etiam humano opere perfectam fuisse non crederent, veluti inferorum ingenio, magicisq; artibus perfossa montis viscera mirabantur. Sequenti die Persiuus pluribus carris cũ magna vi omnis generis commeatus ad Cryptã relictis, quibus obsessorum inopiam se abundè

subleuaturum sperauerat, Pomelianum peruenit. Id oppidum cùm omnibus rebus tum maximè consilio infirmum, Galli, quòd ab Aragoniæ factionis hominibus portæ claudebantur, nullo negotio expugnant: omnesq; ad vnum, vt nec fœminis nec pueris parceretur, interficiunt: eoq; immanitatis Barbaræ sæuitia peruenit, vt quum abditas res quærerent, latebras omnes sedulò scrutarentur, quosdam qui in furnos metu mortis se conjecerant, injectis ignibus concremarint: alios in latrinis latitantes hastis atque lapidibus demersos fœdissimo mortis casu pernecarint. Direpto atque incenso Pomiliano, Persius Nolanæ via iter intendit, nouissimum Gallorum agmen carpentibus regijs equitibus: namque Ferdinandus motis extemplo castris, abeuntes ijsdem vestigijs fuerat insecutus: verùm adeò cunctanter & cautè, vt tergis inhærendo non procul abesset, & nullæ dimicandi necessitas imponi posse videretur. Ad id tamen quod omnibus artibus detestabat summæ rei certamen quorundam equitũ petulantia penè perductus est. Nam quum in patentes Palmæ campos qui ad Nolam vergunt, vbi quondã Marcellus atq; Annibal cõstixere, esset peruentum, Gallorum extremum agmẽ, vt tentaret, fortè consedit apud villam regio ædificio insignem, quam Alfonsus maior venan-

venandi studio allectus opportuna ad id genus voluptatis regione conspiciebat. Quibus potentibus Aragonij equites leuis armaturæ superuenerunt: certatumq; est tumultuario prælio, sed celeriter leuis armatura à Gallis equitibus cataphractis repulsa est: qui vti primũ cõglobati equos incitarũt, regij non modò verterunt terga, sed præcipiti fuga in mediã peditum suorũ aciem, quæ non procul aberat, inciderunt, totamq; fœdæ trepidatione injecta perturbarunt. Montano qui peditatũ regebat obsistenti ac ordines cõseruare conãti, aduersa fugientis militis cuspide crus trajicitur. Raynaldus Feramisca atq; Corbellio leuis armaturæ præfecti, immisti hostibus densissimi pulueris beneficio seruantur: isq; tumultus & cõsternati metu exercitus fuga ad regẽ momẽto peruenit: adeò vt rex ipse, & Prosper Colũna oppositis equitũ turmis effusè fugientes multũ increpando, & plerisq; ora gladijs fodiendo vix sisterent. Constat ea die tantũ exercitum paruæ manu deleri potuisse, nisi ea eleuati pulueris nubes Gallis prospectũ penitus ademisset. Nanq; paucitatis suæ cõscij, alienæq; trepidationis prorsus ignari, quũ se ab suis in multo spatio disiunctos, et trahi in insidias & circumueniri facilè posse iudicarẽt, retrò ad suos plenis passibus redierunt. Ferdinãdus quanquam plerosque suorum vulnerasset, egrè re-

rentis & restitutis ordinibus, Cerbellionē atque Raynaldum temeritatis castigauit: & nonnullos qui proiectis fœdè armis Neapolim vsque res perditas nunciantes perfugerant, ignominia notauit. Postera die Persinum per Sarnenses montes euadentem, concidentemque in tergo itinera, vt sequentium cursum retardaret, ad Sanseuerinum oppidum vsque persecutus est. Inde Galli expugnatis in Samnio aliquot ignobilibus castellis, in Apuliam in hyberna concesserint. Ferdinandus vero aliquot dues ad Auelinum moratus, multis de causis eos persequi destitit: & quòd hyems suberat, & ad recipiendas arces exactis iam induciis Neapolim vocabatur, eò cum familiaribus equitibus est reuersus. Caterum Mompenserius priusquam inducia præfixo ad certum diem exitu finirentur, arcemq; dederet, contra iusiurandum ex arce noua cum lectissimis suorum equitum, noctu conscensis nauibus, Salernū profugit, ipsius maximè Salernitani consilium secutus: qui cum se nunquam alicuius Aragonij principis fidei salutem suā commissurum iurasset, Gallos omnes omnibus arcis locis concionabundus ad renouandū bellum hortabatur: Quando si victorum arbitrio se dederent, non modò hostium fraude, qui nullum iusiurandum nullamque pietatem colerent, fœdè perituri essent: sed caterorum quoque

que omnium Gallorum, qui in præsidijs toto regno essent dispersi, salutē proditurī viderentur. Superesse bis victorem exercitum, egregiæ vbiq; Andegauensium studia vigere, Caietā Tarētumq; validissimas regni vrbes præsidijs teneri: expectari classes quæ in Gallia atq; Liguria parārētur: Non esse cur regē inani multitudinis studio in sē obtinēdi regni sublatū. caterum profligatum, exutum armis, exhaustumq; pecunia, Neapoli ac regno iterum expelli posse dissiderent. Si enim neq; animos dimittant neq; arma turpiter abijciant, cuncta ipsos, quò semel vires ac animi verterentur, prosperè tentaturos. At turpe non modò sed arumnosum omnibus fore si Mompēserius & persona quam gereret, & supremi officij militaris, quod ab Carolo sibi esset demandatum, penitus obliuisceretur. Debere eum sicuti properè inducias paciscendo, victoriam aliorū virtute partam interpellarit, inexpiabilis eius errati detrimētum fortioribus consilijs resarcire. Nec tum ipsi duci præclara audenti milites defuturos, qui publicum Galliæ decus resticerent, ipsamq; omnium salutem ac libertatē obnixè tuerentur. Se quidem qui id consilij præberet, omnes Lucaniæ opes permultis & recentis & veteris belli casibus Gallico nomini obligatas confestim additurū, & ad extremū constāter in fide persistendo. Si Dij tātis

ac vtique prudenter initis susceptis consilijs infesti forēt, Carolo Regi vel acerbissima morte satis facturum. Erat enim Salernitanus Aragonijs omnibus maximè infensus: nec vllum omnino gratiæ, aut veniæ locum vllo vnquam tempore apud eos sibi futurum arbitrabatur, propter insignes iniurias quibus seniorem Ferdinandum affecerat, quum antea depraua tis concitatisq; omnibus ferè totius regni proceribus, aduersus eum coniurasset: actum demum quum in Gallia exularet, Alfonso regi tantum bellum vndique concitasset. Mompensērio Salernitanóque in Lucaniam ad instaurandum bellum profectis, cæteri duces Galli arces dediderunt: obsidibúsque receptis, cum reliquis copijs Caietam nauigarunt. Nec multo post Alfonsus febre sæua correptus quam ex atris humoribus conceperat, Messanæ interijt: tanta quum moreretur cælestis vitæ cura, adeóque insigni in Deum pietate, vt quū regia licentia per omnem ætatem cunctis voluptatibus effusè seruierat, despectis humanis rebus, longè omnium sanctissimè ex hac luce migrasse diceretur, quanquam post Ferdinandi filij reditum, arcesque receptas, rursus eum repetendi regni cupido inuaserit: quum animus haud satis constantibus decretis ad priuatam vitam fortiter ferendam confirmatus, sese in his arridentis Fortunæ successibus ere

erexisset. Obtulerat enim Ferdinando præter veteris gazæ reliquias, industriam suam, si ea ad conficiendum bellum vsui futura videretur. Cæterùm se ab omni humanarum rerum cura penitus abdicatum, arce Capuana contentum fore, quæ amœnissimum regalis Podij secessum extremo in vrbis angulo ab se conditū despectaret, atq; ibi vitæ reliquū procul à cōspectu multitudinis tranquillæ in pace finiturū. Sed Ferdinandus vti regū fere omnium mos est, qui regnandi causa, neque pietate neque verecundia permouentur, quum eadem imperij libidine teneretur, insanientis patris desiderium celeriter elusit, deprecando ne initia infirmæ adhuc victoriæ, intempestiuo aduentu suo perturbaret & euerteret: Quòd erga eum alieno essent animo nō modo ipsi Andegauenses, sed omnes propè Aragonij, qui veteris eius imperij memoriam reformidarent: & studia in Gallos, si tum aduenirent, subitæ animorum consternatione conuersuri viderentur. Ob id Alfonsus suo pudore planè castigatus, omnem recuperādæ regiæ dignitatis spem penitus abrupit: contulitq; se in contubernium sacerdotum vbi sacris intentus literis religiosissimi officium vsque ad vitæ exitum plenissimè vel simulauit, vel impleuit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI

Nucerini historiarum sui temporis

LIBER IIII.

INTEREA Carolus qui iam superatis Alpibus in Galliam Vlteriorem peruenerat, postquam de Persini victoria certius cognouit, eos qui bis cellatis signis adeò feliciter dimicassent, auxilijs terra mariq; trãsmissis iuuare constituit. Itaq; in maximã spẽ belli prosperè conficiẽdi haud dubiè erectus, naues onerarias insignis magnitudinis parari atque exornari Massiliæ iubet: mittunturque Genuã ad alias pecunia conducendas Orpheus præfectus nauium Gallicarũ, & Primodeius quæstor: qui tamen si ab his rebus administrandis per Ludouicum Sfortiam haud obscuris artibus retardabantur, classem tamen coactis vndique nauibus celeriter compararunt: copijsq; impositis, nautas Caietam cursum dirigere iusser-

iusserunt. In ea classe Buschius & Anzolius erãt cum aliquot delectis Germanorum Heluetiorumque cohortibus præterea circiter mille Vascones sagittarij, & nõnulli equites Gallis illustres cum Aloisio Arsio duce impigros temque ex Neapolitanis Andegauensis sectionis Aloisius Gesualdius Compsanus princeps, & Traianus Papacauda magni vir consilij, gnarusque militiæ, qui Carolum secuti, pace demum apud Vercellas constitutæ, cum procereſque omnes ad transmittenda auxilia continuis cohortationibus accenderãt. Interim Ferdinandus à Ludouico Sfortia de aduentu classis certior fiebat nam qui ex fœdere, quin portus, classes, cunctaque regijs procuratoribus paterent, prohibere non poterat, assiduè monebat Aragonius, vt quanta maximè possent cura ac celeritate classem augerẽt ac educerent. Quando intercluſis maritimis auxilijs non multo post veluti desperata victoria, & Mompenserio & cæteris Gallis omnibus regno esset cedendum. Quòd si eam hostium classem Caietam libero mari incolumem deferri paterentur, ipsos victoriam quæ iam certa exploratáque esset, non in dubium modò, sed in funestum rerum omnium discrimen esse deuocaturos. Verùm ea fuit supra cæteras rerũ difficultates in educenda atque expedienda classe Aragonijs incuria, vt Gallicæ nauis quæ

auerti

auerti vel opprimi facile poterãt, priusq; Caietanum in portum ex alto se intulerint, quàm Triuentius ex Pontia insula, vbi stationem habuerat, eas adipisci potuerit: vna tamen, magnitudine insigni nomine Magdalena milite commeatúque onusta, quæ cæterarum cursum æquare non potuit, intercepta est. Per eos quoque dies conductus Gallico stipendio Virginius Vrsinus, & cum eo plerique viri illustres ex eadem familia, qui eius tanquam factionis militiæq; principis nomen atque authoritatem sequebantur. Is enim quum captiuus in Galliam à Carolo duceretur, ea fortè die qua ad Tarrum est dimicatum, æger pedibus ad Foronouũ in Apennino substiterat, incertum, data fide, an custodum incuria, regis scilicet Gallorúmque omnium animis atque oculis in eius imminentis pugnæ discrimen intentis. Exinde nonnihil in Gallia Cisalpina moratus est, vt belli inclinationẽ potius quàm exitũ expectaret, exploratáque principum erga se voluntate, nouæ fortunæ consilia sequeretur. Transiuit non multo post in agrum Romanũ, & veteres milites coegit pecunia Petri Medicis maximè adiutus, quem se vti primũ exercitus sub signis foret, Florentiam reducturum pollicebatur. Inde profectus in Vmbriam, Valdum Nucerini agri oppidum in gratiam Baleonum Perusiæ principum, qui id armis repetebant,

tebant, oppugnauit, sed fœdo admodum exitu: nam defendentibus non modò mœnia Fulginatium cohortibus, verùm etiam audacter erumpentibus aliquot milites, & ferreum ingens tormentum amisit: Filijq; eius Carolus atque Iordanes, itemque Liuianus, connulnerati fuere. Nec irrito incœpto abscedentem, ac signa in Etruriam vertentem, Baleoni secuti sunt, vt se facturos promiserant: quando eum qui in oppugnatione oppidi plures dies frustrà hæsisset, tantæ molis belli parum prosperè tentaturum apparebat. Virginius Vmbria digressus, superato Clani amne, ad Rapolanas aquas in finibus Clusinorum consedit, magnúmque Florentinis amittendæ libertatis timorem præbuit: plerique enim suspensa metu ciuitate occultas cõurationes à veteribus Mediceorum amicis, clientibúsque initas esse suspectabant, verebantúrque ne ea copia, quæ tũ exiguæ erant, occulto Ludouici Venetorúmque consilio maximi exercitus initium fierent: quando illi iam ex professo, & tueri Pisanos vellent, & Gallorum socios pro hostibus habere, bellóque persequi decreuissent. Quibus de causis Florentini, ne aliqua vis intestinæ fraudis erumperet, suspectos ciues in proxima oppida præscriptis finibus ablegarunt, aduentantiq; Virginio Herculem Bentiuolum, & Rannucium Martianum apud Cortonam opposuerunt.

runt, quos ex agro Pisano cum expeditis copijs euocarant. Obiid Virginius per nimiosa loca copias circumducens ad alendum militem aliquot ignobiles villas expugnauit, quum nec sibi satis virium esset, vti cum magno conatu moliretur, aperteque perrumperet, neque Petro Medici consilia procederet, què amicorum erga se studia opinione debiliora fuerat expertus. Interim Camillus Vitellius cum Gimello Gallo equite è Gallia missus, ad Virginium cum mandatis regijs peruenit, attalitq; in stipendium duodecim millia aureorũ nummum, congressusq; cum Virginio & filijs præfectisq; eius magnis pollicitationibus nutantem, perpulit vt Gallorum partes sequeretur. Venetique nanque & Ludouicus Sforti a, itemque Alexander Pontifex per idoneos homines Virginium Ferdinando conciliare conati fuerant: ac tum maximè hominem obtestabantur, ne contra totius Italiæ consensum atque iudicium publicis hostibus adhærere vellet. Fore etenim vt à Ferdinando què iam honestissimas obtulisset conditiones, in antiquam amissorum oppidorum possessionem pristinamque militiæ dignitatem restitueretur si vti erat humaniter innitutus. Vetera ergo Aragonios beneficia nouis virtutis ac fidei meritis cumularet. Enimuero Ferdinandus Tallacotium in Marsis, & alia oppida Virginij ditionis, Fabritio Columnæ attribuerat, qua ab eo sub Caroli aduentum fuerant capta. Ipseq; Fabritius Magister equitum erat creatus, quem honorem militiæ longè amplissimum sub Ferdinando seniore, Alfonsoq; Virginius antea gesserat. Ea cuncta re animus eius nequaquam superiorem vel parem dignitate ferre solitus, vehementer offendebatur. Porro in partes Gallorũ transiret, ducis quidem nomen penes Mompensierium fore, caterùm in castris Gallos sibi vbi obtemperaturos existimabat, quod neminem esse, qui se melius Aragoniæ militiæ, rationes regni, opum, locorumque omnium notitiam teneret, arbitraretur: neque stile sibi vel decorũ putabat, si Ferdinando se, seq; subiecisset, apud quem aduersæ factionis principes prosperatque Fabritius veteres ipsius hostes primum honoris & gratiæ locum occupassent. Liuianus tamen sæpius est eũ deprecatus, ne sese totq; clientes suos, ac vniuersam vrsinam familiam in summum discrimen adduceret. Quoniam aduersus summas opes tantorũ regũ, quis Ferdinando ex fœdere faueret, eã belli expeditionẽ, dijs atq; hominibus infestis, susceptum esse videretur. Sed Virginiũ vel innata elato eius animo cõtra æquam & bonũ contumacia, vel occulta vis fati, quæ sæpenumero prudentes ad insaniã vertit, contactu Gallico pecunia corruptũ, aliò rapiebãt. Itaq; Petrum

Medicem quem pecunijs nuper exhauserat, magnificis ſolatus verbis, dimittit: abeuntem orat, vt neque de ſua erga ipſum voluntate, neque de Fortuna deſperare velit. Fore etenim vt Neapolitanæ victoriæ quam ipſe cœpiſſet, fructum maturè ſentiret quando ipſe nō prius quàm Mediceam familiam armis Florentiā reduxiſſet, corpore vel animo eſſet conquietu-rus. Eo dimiſſo Carolum filium pro obſide in Galliam tranſmiſit, & per Tudertinum Sabinúmque agrū Aquilam profectus eſt. Eius aduentu timore adductus, Cantelmus populi comes, cum Aragonio præſidio vrbe exceſſit: ſimúlque Interamna in Precutinis partes Gallorum ſequuta eſt. Monteleonem quoque oppidum à Vitellianis ex itinere captum, & cum multa cæde oppidanorū crudeliter direptum, pauciſq; diebus Lancianum celeberrimū Apuliæ emporium, quod antiquitus Anxanum Frentanorum fuit, magno Aragoniorum cum terrore peruenit. Erant enim ſub ſignis Virginij equites cataphracti circiter quingenti, & totidem leuis armaturæ: ſingulas alas ducebant Iordanes filius, Paulus & Franciottus Vrſini: prætereà Liuianus, & Antonius comes itémque Baleonij eximiæ virtutis iuuenes Simonettus, Carolus & Hadrianus à proceritate corporis cognomēto Morgantes, Vitellij quoque Camillus & Paulus, nam Vitellocius

cius Tiferni remanſerat, vt in Galliam pro obſide proficiſceretur, quadringentos vtriuſq; armaturæ equites militariter potius quàm ſplendidè inſtructos adduxerant. His quoque Baylinus Vitrius qui Aprutinam præfecturam obtinebat, cum ala Gallorum ex itinere ſe adiunxerat. Ab Gratiano autem Guerra, Ioannéq; Rouoreo, & Sigiſmundo Cantelmo in Marſis & Pelignis bellum impigrè gerebatur. Belcarius Caietæ proximisq; Campaniæ oppidis copias, quæ è Gallia nauibus aduenerant, ſingulari cura recreabat, armis veſtéque ac rebus reliquis omnibus adornabat. Ipſe Mompenſerius & Perſius, Salernitanúſque & Beſennianus copijs nouo delectu auctis, ex Lucania in Hirpinos ita opportunè tranſierant, vt Ferdinandus qui Appenninum tranſgreſſus ad Fogiam vrbem in Apulia conſederat, vndiq; magnis hoſtiū exercitibus circumuectus eſſe videretur. Quibus de cauſis in ſummas eius belli difficultates adductus, quòd extrema pecuniæ inopia premebatur, ad Venetos confugit, orando, vt ſicuti totius Italiæ egregijs operibus editis conſeruatores omnium iudicio nuper extitiſſent, ita imperij Neapolitani atq; ipſius Aragoniæ domus ſalutis ac dignitatis curam ſuſciperent: Se in teſtimonium egregiæ voluntatis, ad gratiam eius accepti immortalis beneficij integra fide, cum potis foret referendam

rendam, concessurum in eorum potestatem, quas vellent Apuliæ vrbes pignoris nomine, donec ea restituta pecunia quam mutuam dedissent, recuperatæ forent: futurumq; esse, vt si ipsis maturè opem ferentibus Aragoniæ res starent, ac ejecto externo hoste firmarentur ipsæ, Aragoniiq; posteri omnes, Venetos tanquam præcipuos patronos ac tutelares domivos studiosissimè colerent. Veneti qui tum magnis opibus florebant, ac imperij fines extra principum inuidiam proferre cupiebant, adhortantibus maximè Ludouico Alexandroq; Pontifice, defendendæ aduersus Gallorum vim Ferdinandi, conseruandique eius regni negotium susceperunt, ea conditione, vt sibi maritimæ vrbes Tranium, Monopolis, Polygnanum, Mola, Hydruntum, atq; Brundusium in Apulia traderentur, essentq; Venetæ ditionis, donec Ferdinandus impensam eo bello pecuniam Senatui Veneto persoluisset. Nec multò post Mantuanus recenti rerum gestarum gloria clarus, quum neminem eo fortiores Gallos debellare posse homines crederent: eumq; præcipuè Ferdinandus flagitaret, Imperator deligitur, additurq; legatus Paulus Capellius excellenti virtute patritius. Itaq; circiter Idus Februarias, euocatis ad se Mantuam ex hybernis delectis militibus, hisq; nauibus impositis secundo Pado Rauennam deuehitur: atq; inde

inde per Vmbriam itinere facto paucis diebus Romam est profectus, putans Alexandrum pontificem in ipsius gratiam, vt ille promiserat, Sigismundum fratrem purpurei galeri dignitate protinus ornaturum, quod in ea periculosi admodum belli difficultate, & à Senatu Veneto, & à Ludouico Sfortia, magnoperè in eius honoris petitione fuerat commendatus. Verùm quum ab Alexandro, qui iam aliquot neq; animi virtute, neq; natalibus insignes, Sigismundo præterito, in eum ordinē legerat, falsis pollicitationibus impleretur, auersatus hominis ingenium Romam excessit, transgressusq; sancti Germani saltus angustias et Venafro ex itinere recepto, Capuam, atq; inde Beneuentū exercitu incolumi peruenit, vbi tum erat Federicus regis patruus, qui vrbem pontificiæ ditionis aduersus Gallos ex omnibus Samnij oppidis imminentes, præsidio impositio tuebatur. Eius aduentus labantem Aragoniarum rerum fortunam mirificè subleuauit: adduxerat enim vtriusq; armaturæ equites eximiè ornatos, circiter mille & quingentos, in queis erant septingenti partim Græci partim Epirotæ, duce Contareno. Sed in ijs minores præfecti plures erant probatæ virtutis, & ante alios Dominicus Bosigia, & Mercurius, viri in eo genere militiæ omnium posteà eius nationis longè clarissimi. Mille quoque veterani

pedites, quibus ob spectatam virtutem pace ac bello stipendio soluebantur, Crasso duce secundum Adriatici oram nauibus in Apuliam delati, ad eum peruenerant. Dum Mantuanus è Latino agro in Campaniam transiret, Galli de eius aduentu multorum literis certiores facti, diuersa gerendi belli consilia inibant. Virginius ad eum intercludendum ex Apulia in Campaniam proficisci oportere censebat, coniunctis q3 viribus cum his, qui mari aduenissent ducibus, & tormentis ex arce classeq3 detractis, dum Ferdinandus in Samnio moraretur, ad oppugnandam Neapolim propere contendendum esse disserebat. Quod cõsilium cùm ab ipso Belcario, tũ à cateris qui Caietæ erant, maximè probabatur. Mompenserius verò at q3 Persius præsentis potius commodi, quàm vniuersi belli exitus rationem sequuti, ex Hirpinis perscribebant, non videri sibi cur alibi potius quàm in Apulia bellum geri deberet. Immmere adulti veris tempus, quo portorium pecoris, ijs, qui in Apulia viribus pollerent, exigendum foret, vti ex mutuata pactione cum hostibus cõuenisset. Ex eo vectigali supra centum millia aureorum nummum pendi: propterea nihil stultius fore, quàm si ipsorum beneficio, Ferdinandus pecuniarum inops, tantum opimi portorij emolumento ditaretur. Quòd si in Apulia vndiq3 Gallorum arma coirẽt milites qui iam debita

debita sibi stipendia flagitare cœpissent in tam propinqua spe noui prouentus, non modò conquieturos esse, sed in ea alacritate omnem penitus existimationem, quæ vana potius regij nominis imagine, quàm veris viribus constaret, hostium copijs erepturos: Proinde sibi videri magno vsui fore si Vitellij fratres cum alijs suis ad Caietana præsidia ex itinere excipienda mitterentur, vt ad se per Hirpinos iter facturis tutissimus aduersus hostium insidias transitus præberetur. Virginius qui nec absentes docere poterat, monstrando qualis occasio ad summæ victoriæ profectum eo in Apuliam transitu penitus amitteretur, & Gallos homines ab eo consilio literis dimoueri non facilè posse intelligebat, vtinam, inquit, Fortuna, quæ recta monentes sæpius eludit, opinionem meã fallat: ducemq3 nostrum præposteris vtentem cõsilijs, secunda ac fauens omnino subsequatur. Nec multò pòst Vitellij trans Apenninum in Campaniam mittuntur, vt pedestribus copijs ac tormentis præsidio essent. Quibus exceptis iunctis q3 in vnum copijs, ad Mompenserium contenderunt. Cognitis hostium consilijs Ferdinandus è Samnio sicuti diximus in Apuliam transgressus, Fogiæ, quæ vrbs ex Harporum ruinis creuit, consederat, vrbesq3 mediterraneas, opportunaq3 oppida præsidijs munierat, cũ ora maritima fermè omnis Venetæ classis præsi-

dio, Aragonia in fide teneretur. Ex aduerso Virginius ad sancti Seueri oppidum agri Sipontini castra promouerat, omniumq; vtriusque partis animi in eam curam erat intenti, vt coactis ac ostentatis viribus, aduersarios ad pugnam prouocarent, ac patentibus vagando campis, hosti detrectanti certamen amissa possessionis Apuliæ confessionē exprimerent. Quoniam qui eam rem obtinuissent ex præscripta pactione exigendi vectigalis iura habituri viderentur. Inclinauerat enim iam se annus ex sæua hyeme, ac vernum tempus appetebat, vt armenta, quæ niuosis Præcutinorum Peligno-rumq; montibus deducta, in herbidis apricis Apuliæ campis hyemem absumpserant, à pastoribus reducerentur, qui non procul à Gargano monte quum transibant, portorium regijs publicanis persoluere consueuerāt. Per eos dies, cùm Ferdinandus ad tentandas Virginij vires leuem armaturam qua maximè valebat, sæpius emitteret, Franciscus Rusticus Romanus sagittariorum equitū præfectus, & Theodorus Boeotes Græcorum dux non procul à sancti Seueri oppido cum Virginij equitatu prosperè conflixerunt: occisoq; Antiquario insigni architecto, & Morgante consauciato, pluribusq; alijs interfectis, & captis, cæteros perterritos intra oppidi portam compulerunt. Quo successu Rex inuitatus, sequenti die omnes copias in conspectū

conspectum oppidi instructis ordinibus adduxit, vt prius quàm Mompenserius Vitellijq; cum Germanis in Apuliam descenderent, cum Virginio manus consereret, si temeritate hostium aut casu aliquo pugnandi facultas præberetur. Quòd si Virginius ad pugnam elici nō posset, campos circumeundo adeptæ possessionis portorij nomen apud pastores adsequeretur. Sed quum Virginius cauto innixus cōsilio munitis locis ac sinetis, quæ oppido iungebantur, se cōtineret, Ferdinandus alterum propositum tenuit: circumuectusq; oppidum, alas in pompæ morē explicando ac ignauiam hostibus exprobrando, ita vt ex propinquo militum voces exaudirētur, Fogiam victori similis est reuersus. Triduo pòst Mompenserius apud Casalem arborem, quod est oppidum Hirpinorum in radicibus Apennini positum, cum pedestribus copijs, quæ ab Caieta ad se peruenerant, castra coniunxit, depositisq; ibi maioribus tormētis, quoniam ad exigendum pecoris vectigal celeritate potius quàm vera vi opus esse putabat, expedito cum exercitu in Apuliā descendit. Ei quoque ab sancto Seuero obuiam progressi Virginius Baylimesq; Vitrius, apud Syluam planā Trotani agri cis amnem equitatu coniunguntur. Fit magna gratulatio tantis in vnum coactis auxilijs. Busecus Germanus et Anzoltus Heluetius cohortes suas producūt: explicatisq; ve-

xillis ac instructis ordinibus eas ostentant: ingressiq; in sermonem de Tarrensi pugna, contemptim de Italis, de se verò ac Gallis magnifice proloquuntur: omnibusq; de obtinenda nō modò pecunia ex ipsa possessione vectigalis, sed de summæ rei victoria spes cōfirmatur. Erant enim in castris catapractī mille centum, leuis autem armaturæ equites circiter mille & quadringenti, peditum Germanorum ac Heluetiorū sex millia. Brutiorum & Lucanorum quos Besennianus & Salernitanus adduxerant adiūctis Vasconibus, cohortes decem: quibus cum minimè congressurus esse videbatur Ferdinandus, priusquā Mantuanus cum auxilijs superueniret, quum & numero, & virtute militum inferior haberetur. Erat eius exercitus trifariam diuisus: Fabritius Columna Troiæ præsidio erat impositus. Prosper Columna Luceriam tuebatur: ipse vt diximus Fogiæ castra habebat. Gallis propter Luceriā ac Troiam iter erat contendentibus Mansredoniam, quæ Sipontus olim fuit, vt publicanos locumq; exigendi portorij præoccuparent. Ius in itinere obuij fiunt septingenti Germani pedites duce Hederlino, qui Troia egressi, vt se cum cæteris Germanis Prosperoq; coniungerent, Luceriam petebant. Eos Fabritius monēdo deterrendoq;, ne se in tanta hostium propinquitate adapertis præsertim locis sine equitatu committerēt, multùm

multùm fuerat obtestatus. Sed Hederlinus suorum virtuti confisus, omne periculum stolida temeritate contempserat. Itaq; patentibus in campis à Vitellianis, qui antecursores erant, circumueniuntur. Germani disciplinæ memores, pectora obuertunt, ac in orbem depugnant, cominusq; prælongis hastis, eminus verò sclopettis rem gerunt. Contra Vitelliani quum ordines frustra incurrendo perrumpere conati essent, multiq; equi pilarum procella sauciarentur, balistis ac sclopettis vti cœperūt, sic vt quaternæ turmæ sibijpsis in gyrum succedentes, orbem incedentium hostium sagittando perpetuo ordine circuirent, multiq; passim quū nulla sagitta confertis frustra incideret, configerentur. In tāta prælij iniquitate Germani pertinacia ac rabie quadam incitati, quòd neque alunde subsidium expectabant, neq; se in tanto emensi itineris spatio, si conseruatis ordinibus se reciperent, sagittarum vim tolerare posse iudicabant, aperto orbe circiter ducentos emiserunt, factoq; impetu in equites, eos pluribus interfectis disiecerunt. Periere eo concursu Comperi suus nobilis Gallus Aletij in Salentinis regulus, item Petrus Poctius turmæ sagittariorum præfectus, & Busius insignis eques veteranus. Sed quum Germanis nullus disciplinæ ac virtuti locus relinqueretur, absumpto præsertim omni puluere sulphureo, quòd & re-

pugnantes extra ordinem multitudine equitum opprimebantur, & densato agmine incedentes, à circumfusis sagittarijs delebantur, desperata salute ad Chilonem amnem peruenerunt. Ibi, quòd solutis ordinibus propter impeditas ripas descendere erat necesse, Hederlinus, quem multis miserabiliter confixum sagittis examinè equoq; impositum summa pietate deferebant, a suis deseritur: cateri incredibili peruicacia repugnãdo ad vnum omnes interficiuntur. Eius celebris facti laus penes Camillum Ttellium fuit, cui quum equus fuisset interfectus, & pharetras equitum eximantas esse animaduertisset, cataphractos descendere ex equis iussit, & cum ijs pedes in fluminis alueum, vbi suprema Germanorum obstinatione pugnabatur, singulari promptitudine se coiecit. Ea die sclopettarios equites, quos Camillus suopte militari ingenio nuper instituerat, tum primum in aciem & felici quidem periculo productos fuisse constat. Deletis iam magna ex parte Germanis, Liuianus cum ala subsidio Vitellijs aduolauit: aliq; deinceps, ac alij duces: ipseq; demum Mompenserius atq; Virginius superuenerunt. Iacebant passim, vti incedentes sanguis vires q; defecerant, toto eo itineris tractu ingentia corpora Germanorum: ipse q; amnis, quanquam exiguas vndas traheret, obice cadauerũ retentus, alueum cruentis aquis

tis aquis restagnantem transeuntibus ostendebat. Eius cladis fama vno simul tempore Luceriam, Troiam, Fogiamq; delata, Aragoniorum animos magnopere perturbauit, auxitq; Gallis ducibus audaciam, quam nuper cunctarum virium, opportuna coniunctione conceperant. Nec mora eo successu alacres rectà Fogiam pergunt, vt regem insultando ac prouocando ad certamen extraherent: Si fortè iuuenta vigore præseruidus ad periclitandas vires, potiore decoris quàm salutis cura duceretur. Sed Ferdinandus suorum ducum monitis obtemperare solutus, dispositis vndiq; tormentis, copias itu eduxit, vt à mœnibus portísque minimè discederet: & Græcorum tantum leuis armatura, quæ ei erat mirifica, audacter emitteretur. Nunquè ijs fermè diebus supra mille egregij equites Venetorum pecunia conducti, è Macedonia Fogiam peruenerant. Horum alacri ac speciosò admodum egressu confirmatus, defensúsque præsidio tormentorum, quæ in mœnibus erant, aliquandiu in acie stetit: atque ea mora tandiu hostes futuræ pugnæ expectatione frustratus est, vt tam ipsum minimè prælio defugisse appareret, & Galli ingruentibus tenebris, magno cum incommodo castra ponere cogerentur. Postero die Galli promotis castris, instructáque & parata ad dimicandum acie, Fogiæ mœnia præterneti

nectí, ad Deiparæ Virginis Coronatæ Fanum, quod in medijs nemoribus est positũ, cõcesserũt. Tuncq; primùm pristini erroris sui incommodum Mompensierius sensit, quòd tormentis maioribus ad Casalem arberẽ relictis, præpropera atq; inani festinatione in Apuliã transcendisset. Nam omnium opinione constabat regem turpissimè fugere, relictis impedimentis necesse fuisse, aut eum, si dignitatis iacturam quàm salutis potiorẽ duxisset, expugnata nullo negotio Fogia opprimi potuisse. Sed is animo erat ad victoriã adeò confirmato, vt quo Gallos magis despicere videretur, falconum aucupio intẽtus Fogia exiret, & per eos cãpos ipso propè in conspectu hostium, incredibili fiducia vagaretur: ita vt quũ semel omnibus de eius salute solicitis, errabundus in multã noctem redijsset, à Prospero singulisq; militum ordinibus, qui armati obuiã prodierant, tantæ temeritatis libera voce reprehenderetur. Inde Galli ad armenta cogenda traducendaq; Liuianũ cum leui armatura præmisere. Interim verò Mantuanus à Samnio frequentibus nũcijs accersitus, Asculum Apulorũ profectus est: ibiq; præsidio relicto, ad Ferdinandũ in subiectis Fogiæ campis peruenit, à quo incredibili lætitia singulariq; totius exercitus alacritate susceptus est. Enimuerò non modò auxilia summæ spei, sed & famã pugnacissimi ducis attu-

tulerat: ad cuius nomen sæpius Galli duces excitabantur qui ab eo belli initio Italos aliquãto consilijs quàm manu meliores esse persuasum habebant: videbaturq; is nullam occasionem prætermissurus, quin ex æquo manus cõsereret, quum iam Gallicæ militiæ morem non modò tenere, sed contrarijs adinuentis artibus propè cõtemnere diceretur. Coactis in vnum ducibus qui in proximis erãt præsidijs, & de totæ belli administratione aliquot mitis consilijs, statuerunt prælio supersedere, tueri circunsecta oppida, & iter per Apenninum in Campaniam atq; Neapolim aperire. Quoniam in Samnij vallibus pleraq; oppida vexilla Gallorum erexerant. Erebatq; eorum latrocinijs & locorum opportunitate, vt commeatus in Apuliam agrè conueheretur. Poteratq; ideò trahi bellũ nullo metu amittendæ existimationis, quòd vndiq; auxilia à Venetis, Alexandroq; Pontifice maturè conuentura nunciarẽtur. Mantuanus nauandæ operæ cupidus, eam prouinciam vltrò sibi desumpsit: progressusq; cũ Frãcisco Vrsino Grauinæ regulo, regionis admodum perito, & Aragoniæ domus in primis fideli, celeriter Montemuiridem, Rochettam & Carbonariã in fidem recepit. Vallatæ quoque oppidum in edito colle positum, magna vi atque ira militum expugnatæ, trucidatis q; ad vnum fermè omnibus

oppid

oppidanis direptæ, quòd Vallatēses agresti fe-
ritate in fide Gallorum perseuerantes, primo
statim aduētu ad colloquium progressos Ale-
xium Beccacutum, Aloisiumq; Alberum de-
lectorum cohortis præfectum, & Crassum cen
turionē, missilibus vulnerassent, Suardinóque
etiam ex armigeris familiaribus nobili decoro-
q; adolescenti, aduersum os lapidis ictu de-
formassent. Vallatensium calamitate permoti
populi omnes, qui Vicobisazē, Carisias, Guar-
diam sancti Angeli castrum, vrbemq; Cido-
niam incolunt præmissis oratoribus, ad Ara-
goniam fidem redierunt. Idem paulo pòst fe-
cere Pandinenses & Montecutani: totumq;
id iter vna atq; ea admodū celeri expeditione
patefactum est. Galli interea ad sanctum Se-
uerum innumerabilem pecoris multitudinem
coēgerunt. Verùm quum pecuniam ex Vectī-
gali se exactūros sperarent, Ferdinādus vni-
uersum equitatū nocte Fogia emisit: accersi-
tāq; leui armatura Mantuani, et tumultua-
rio prælio pluribus simul locis inito, magnam
pecoris partē auertit & abripuit eo cuentu. Vt
Galli gregibus in vtriusq; partis militū præ-
dam cōuersis & captis dissipatisq; pastoribus,
fugatisq; demum publicanis, omnem penitus
præoccupanda pecuniæ facultatem amiserint.
Erant, quod vix dictu credibile est, supra sex-
centa millia minoris pecoris, maioris verò cir-
citer

citer ducenta milia. Fuit eius editi facinoris
spectaculum valde deforme & miserabile,
quum eo tumultu innocentissimorum popula-
rum opes inexpectata calamitate conciderint.
Videre enim erat milites inter se latronum
more de præda decertare, armenta ipsa aspe-
ctu armatorum & concursu rapientium, me-
tu cōsternata vndique diffugere: pastores vin-
ctos trahi, tumultuosoq; contentionis genere
cuncta permisceri: & quod propè ridiculum
erat, milites desperatione maioris lucri, oues
raptim detundere, alios ingulutas excoriare,
vt lana ac pellibus potirentur. Aragoniī par-
tem pecoris Troiam abegerūt, Galli verò mul-
tò maximā ad Garganū, atq; inde in Apru-
tij fines, vt dominis, qui Andegauensis factio-
nis essent, redderetur, deduxerunt. Verum &
ea pars pecoris paulo post ab Aragoniis est di-
repta, quum fortè Gratianus & pleriq; alij
Andegauenses reguli, qui præsidio armentis
satis incautè per Pelignos ferebātur, in Can-
telmū populi comitem, Tratanumq; Sabellum
incidissent, à quibus apud Pallenam agri Sul
monensis tumultuaria pugnæ superati sunt.
Momperserius eo depulsus consilio, quòd neq;
sibi neq; hosti Vectigalis pecunia cesserat, ad
Castilem arborem iter intēdit, vt sumptis sibi
maioribus tormentis pristinam belli ratio-
nem in repetenda Neapoli sequeretur. Ex iti-
nere

nere Colleonesium oppidum post factã deditionem Germanorum & Gallorum crudelitate, trucidatis ferè omnibus oppidanis & fœminis ad libidinem abductis, deletum est. Petracallum quoq; haud ignobile castellum, eadem sæui impetus fortunã tulit: atq; inde Casalem arborem per Apennini Galles est peruentum. Ferdinandus interea apud Luceriam cum Mantuano castra coniunxit: prouisoq; commeatu medium iter tenuit, vt hostium vestigia sequeretur: nam duo omnino erant itinera, quibus Galli diuerso consilio, aut Pelignos, aut Neapolim per Samnitium fines petituri videbantur. Sed ij spe potiundi Beneuenti ad lauam deflexere. Verùm quum eam vrbẽ, & regio præsidio, & recentibus Ioannis Sforti Pisaurensium reguli auxilijs firmatã nequicquã tentassent, retro Murconẽ abscessere. Regius verò exercitus ad Poctum castellum consedit: quò etiã Ioannes Gonzaga Mantuani frater, alam equitum suo are conductã regi in auxiliũ adduxit. Sequenti die Circellũ oppidum à Gallis infeliciter est oppugnatũ: nam Camillus Vitellius, quum lentã admodum ac segnis pugna à Vasconibus iniretur, & militibus ignauiam increpitans, multis secum ex equis desilire iussis, audacius muro successisset, lapidis ictu collisa vehementer galea occubuit: vir profectò corporis ac ingenij eximijs dotibus

bus inter paucos ætatis nostræ duces numerandus: si supremos egregiæ virtutis conatus, nequaquam tunc pro externi regis amplitudine, sed pro seruituræ mox Italiæ libertate denouisset. Camillo prostrato, cohortes occupatæ metu, & ducum imperio reuocatæ, retro pedem retulere: nam tum fortè Mantuanus cum vniuerso leuis armaturæ equitatu castra improuiso adortus, intercepto vndiq; commeatu subuectoribus, & ex numero vagantium militũ multis captis & interfectis, magnam vndique trepidationem intulerat. Quo spatio temporis, oppidani qui ægerrimè aquabãtur, liberè egressi, ex subiecto amne proximis q; fontibus aquã sumpserunt, & nuncios de sua constantia ad regem protinus emiserunt. Eodem die Ferdinandus in ipso hostiũ conspectu, Frangetto tormenta admouit, vt Galli amittendi eius oppidi, quod Andegauensis nominis maximè erat studiosum periculo adducti, à Circelli oppugnatione discedere cogerentur. Erant ei oppido paulo antè præsidio impositi circiter quadringenti Vascones, qui quum muros haud multis tormentorum ictibus esset quassatus atq; disruptus, & propterea vehementer de sua salute dubitarent, admisso ad colloquium Cerbellione, sese ac oppidum præter omnium opinionem extemplo dediderunt. Cerbellio nanq;, vti supra docuimus, sub Ca-

 rolo

rolo meruerat, eorumq; noticia ac familiaritate adductus, facilè persuaserat, ne supremos oppugnationis impetus expectarent: ne dum sero oppidum præsidio ac mœnibus infirmissimũ tueri aduersus tanti exercitus vim stultè contenderent, ad vnum omnes pro aliena salute trucidarentur. Qua repentina Vasconum deditione mox effectum est, vt Galli duces, qui reductis à Circello tormentis, Frãgettanis auxilio ire maturabant, vtrumq; & Circelli capiendi, & Frangetti periculo liberandi occasionẽ amiserint. Nam dum appropinquarent, non modò oppidum ab regijs occupatum senserunt, verùm discussu radijs solaribus matutina crassiore nebula, quæ prospectum adimebat, tecta oppidi incẽdio famatia ex propinquo conflexerũt. Quoniã Ferdinandus de hostium aduentu certior factus, quum prælio decertare necesse fore existimaret, nec milites prædabũdi commessabundiq; ullo militari signo proposito, educi possent, tectis faces iniecerat Mompenserius contra oppidũ molli in tumulo constitit: & quanquã, vti consilio repente depulsis sæpe accidit, militibus eam quam modò pugnæ auidi ferocesq; attulerãt, animorũ alacritatem, resedisse cerneret, pugnæ tamẽ signũ multo tympanorũ tubarumq; concentu edidit. Intererat modica vallis inter Frangettũ et castra, in quã primò Gallis erat descen-

descendendum, mox verò haud multùm lato aditu per collis dorsum in planiciem ad oppidum pertinentẽ, vbi regiæ copiæ consederant, erat euadendũ. Is aditus vtrimq; deiectus habebat inæquales & abruptos, nec tantũ spatij viæ militaris in medio relinquebatur, vt exercitus expansa acie subire posset. Verũ Mompenserius atq; Virginius quo minus ad hostẽ extemplo contenderent, nulla eius loci iniquitate deterrebantur, quum Germanorũ Heluetiorumq; virtuti plurimum confiderent, & multis de causis reliquas spes omnes ad vnam eius prælij fortunam omnino periclitandã recidisse conspicerent. Contrà autem Persinus, Paulus Vrsinus & Liuianus, insanire vel vltimæ desperationis consilium esse differebant, milites æstu ac itineris labore fatigatos iniquissimo accessu recentibus hostilibus, qui loco opere munito se continerent, ac oppido potirẽtur, obiectare: non defuturam mox occasionem ex æquo confligendi, nisi tum Germanorum ac Heluetiorum alacritate penitus abuteretur, qui campestribus in locis, si signa conferrent, hostilem aciem casis nuper ad Lucerium fortissimis Germanorum cohortibus vehementer attenuatam, nullo negotio prostraturi viderentur. Tum verò Ferdinandus & Mantuanus vultu quidem alacres, sed intimis sensibus maximè sustensi, milites ad signa vocare,

acies idoneis locis instruere, non modò duces atque præfectos obsecrare ac obtestari, verùm singulos quoq; milites nominatim, appellando cohortari, vt pro salute omnium pro libertate dignitateq; Italiæ, pro præmijs, quæ singulis ex amplissimi regni opibus promissa essent, forti animo consistere, & strenuè manus conserere vellent. Sed ea erat insita Aragoniorum animis de externo hoste virtutis & crudelitatis opinio, vt plerique præda onusti, ardentibus ac semiustis intectis se conderent, aut turpi fuga dilaberentur: necesse q; esset regem ipsum sua manu alios laqueo suspendere, alios intentato gladio vulnerare ac interficere. Interim Prosper atq; Fabritius qui antea in postremo agmine curarent, è vetere disciplina, fossam in fronte eius planiciei transuersam tumultario opere perduxerunt: quæ tametsi latitudine erat mediocris, nec moratura hostilem impetum videbatur, ob id tamen magno vsui fuit, quod terrenum in aduersum fossæ labrum de more eiectum speculantibus Gallis amplioris munitionis speciem procul ostendebat. Iam leuis Gallorũ armatura, & ex aduerso Graecorum turmæ pugnam clamoribus cientes in subiectam vallem deuolarant: ipséque Virginius quanquam ætate ac obeso corpore valde grauis, vndique tamen armis protectus ac valudatus, ad cohortandos milites processerat, quum

quum Heluetij meritæ stipendia & donatiuum certaturi dari solitum deposcere cœperunt, quæ inopinata cunctatione, paratorum ad pugnam ducum & militũ impetus est retardatus. Iis porrò creuere animi, qui dudum aduersus summos duces incundæ pugnæ consilium improbarant. Itaq; quum semel auarè et turpiter cõsternatæ legionis animi, vel multis pecuniæ pollicitationibus ægrè pacarentur, ingentis victoriæ occasio à Gallis amissa videri potuit. Ferũt Heluetios per speciem amplioris hostium munitionis deterritos, etiam Persiui obliquis artibus, apud quos ille authoritate plurimum valebat, ad detrectandum certamen fuisse inductos: Quòd ille supra verum decus ad Seminariam atq; Ebulum insigni virtute partum, nouam ac inanẽ gloriã ex Mompenserij æmuli sui felicitate turpiter quæsiuisse diceretur. Virginius nequicquam Heluetiorũ qui summi imperij iussa cõtemnerent, ingenia detestatus, quãe è manibus eripi sibi victoriã quereretur, vti verus vates calamitosi exitus, fatales lachrymas tenere non potuit. Sequẽti die Galli victis similes Murconẽ atq; inde Andrettã signa verterũt, vt in fines Hirpinorũ & Lucanorũ proficiscerẽtur. Ibiq; amicariũ ciuitatũ studijs & fertilissima regionis copijs freti, reliquũ æstatis extraherẽt, donec ampliora præsidia pararẽtur. Andegauenses

uenses autem reguli Beſennianus, Salernitanus, & Compſanus ſiue deſperatis rebus ſiue, vt ipſi dicebant ad accerſendũ è Brutijs Obiginum, nouos q3 exercitus comparãdos in ſuas ditionis regiones diſceſſerũt. Abeũtibus Gallis, Fabritius Colũna, vti erat alacri pugnaciq3 ingenio, Inſiſtamus, inquit, abeuntiũ tergis, more militiæ maximè tuto decoróque, vt qui vltrò abeunt, vi pelli fugariq3 videantur. Nec mora rege Mantuano q3 approbantibus, tantæ vis equitum nouiſſimum agmen perſequuta eſt, vt quum Gallicus equitatus vndique inſultantes ac vrgentes agerrimè ſuſtineret, Heluetij & Germani ſcloppetarij à media acie reducti in terga agmen claudere ac laceſſentes ſummouere cogerẽtur. Ferdinãdus interea aquioribus locis exercitum ita ducebat, vt nec à veſtigijs, nec à cõſpectu hoſtiũ abſcederet, præmiſſaq3 leui armatura eos omnibus partibus ſectaretur, ſæpeq3 fiebat, vti ex eodẽ flumine aquarẽtur, lenibusq3 cõtinuè cõmiſſis certaminibus, Galli cataphracti galeati intentiq3 in pugnã in ſummis ſolis feruoribus magno cũ incõmodo diſtinerentur. Tertio die Ferdinandus in conſpectu hoſtiũ Geſualdiũ Compſani reguli oppidũ expugnauit, arcemq3 recepit, quũ forte miraculo quodã vni è cuſtodibus è ſumma arce Gallicũ vexillũ vibranti, fulconis pila, brachiũ cũ vexillo fuiſſet abrep

abreptũ. Eodem die Galli haud multũ ab tergo laceſſiti, Atellã Hirpinorũ oppidũ conceſſerant: primoq3 aduentu oppidi arce, quam Guerellues Caracciolus auunculus infamis, vt præſidij ſtipendium interuerteret, cuſtodiẽdam acceperat, abſque vllo certamine potiti ſunt. Eos Ferdinandus Andretz, Paternoq3 ex itinere receptis biduo poſt cum toto exercitu atque apparatu tormentorum eſt conſecutus. Gallis in Atellã compulſis, varia ac ducibus ad gerẽdũ bellum cõſilia agitabantur. Virginius eius tũ belli euentus ſæpius diuina mente præſentire ſolitus, niſi maturè inde mouerẽt caſtra, Atellã ipſis, quæ Capua quondam Pœnis extitiſſet, haud dubiè futurã teſtabatur. Quãdo ea vinẽ rerumq3 omniũ copia, qua adeò luceter ac auidè milites veſcerentur, omnẽ corporum ac animorũ vigorẽ prius extincturã videretur, quã è Gallia terra aut mari auxilia ſuperuenirẽt. Ex aduerſo regem hoſtẽ, qui mox totæ molis exercitus vndiq3 oppidũ eſſet circumſeſſurus Hiſpanos & Conſalui magnũ ducem è Brutijs nouaq3 ab Pontifice auxilia propediẽ expectare, nec obſidionẽ tolerantibus in tam longinqua ſpe auxiliorũ commeatũ exigui oppidi, quanquã multus eſſe videretur diu ſuſſecturũ: milites enim, externiq3, præſertim quia ex alieno penu largè prodigeq3 cõuiuarẽtur, ſero vel præſcripta demũ victus ratione, futurã

penuriam præcauere consueuisse, nec vllum ab
ijs, qui mercenarij essent, ac inter se moribus
linguaq; differrent, ergæ duces in perferendis
obsidionis incommodis, obsequium sperari, quē
modò in acie ad classici signum adeò insolen-
ter atque obstinatè dicto audientes esse nolue-
rint: Venusiam vnis castris contendi posse, vbi
ad trahendum bellum commeatum affatim
& pulueris sulphurei pilarúmque & tormen
torum apparatum essent inuenturi: In tergo
quoque esse pleraque oppida arte ac natura lo-
corum permunita, eximiæ tum fidei tum fer-
tilitatis Andegauensium regulorum, ac pate-
re expeditum iter commeantibus in Lucanos
& Brutios, nec diu moraturos regulos, quin
coactis & iunctis cum Obignino validis co-
pijs ad se reuerterentur. Si id consilij extemplo
caperent, integra adhuc spe, nec iniqua fortu-
na gesturos bellum: at si cunctarentur, & sen-
tentijs dissiderent, ipsos non multò post sese ac
legiones regi, cum ex merito implacabilis atque
acerbissimo hosti, tum ex natura familiæ cru-
deli ac sæuo sub iugum mittendas: & quod
Dij auerterent, sub fide mactandas præbituros. At Mompenserius probare quidem consi-
lium prouidentiæ militaris plenum, sed mili-
tem stipendia merita flagitantem, consterna-
tum adhuc alienatumq; ab ducibus circundu
cere, quotidianisq; minutis præljs obiectare,

multo

multo periculosius videri: Germanos robur es-
se totius exercitus, gentem ex leuibus sæpe of-
fensionibus turbida consilia agitare solitam:
æquiore eos animo stipendiorum dilationē per-
laturos, si in oppido omni cibariorū genere af-
fluenti gratuitò alerentur. Quòd si in itinere
ab innumerabili hostium equitatu, aliquo ad fi-
cerentur incommodo, & in congressibus cum
consanguineis suis, qui apud Regē militarent,
colloquerentur, facilè futurum esse, vt belli ta-
dio, & regijs pollicitationibus repentina defe-
ctione ad hostem transirent, quarum rerum
occasio munito oppido se tenētibus omnino tol-
leretur. Neque se dubitare, quin prius quàm
omnem absumerent commeatum, certi nuntij
de aduentu classis atque auxiliorum in castra
perferrentur. Alienum nanque esse à iudicio
fortissimorū virorum, si putarent Carolum re-
gem cunctosq; Galliæ principes, omnem pe-
nitus rerum humanarum memoriam amisisse:
adeò vt subita mentis commotione, vel inaudi
ta segnitie atque socordia oppressos, ciuiū, fra-
trum, consanguineorum, amicorum, commili-
tonúmque suorum salutem neglectam ac perdi-
tā velint. An nō audistis, inquit, quanto ar-
dore, quantoq; apparatu Galli duces ab Nar-
bona Hispaniæ fines irruperint, Sulsularumq;
munitissimo in Pyrenæis propugnaculo vi ca-
pto Catelanorū nobilitate trucidata, quantum

bellum hostium nostrorũ fœderatis intulerint? Maiore profectò cura incolumitatem nostram respicient, qui & in Italia hostibus Aragonijs Hispanorum auxilia detraherent, finitimam nationem animis viribusq; potentẽ, vltrò armis lacessere minimè dubitarunt. Virginius postquam ex Gallorum omniũ sententia Atella commorandum esse vidit, & ipse cum Italico equitatu in Brutios mitteretur, suadere conatus est, quòd ij qui Atellæ remanerent, ipsius discessu ampliore copia commeatus potituri essent. Andegauenses quoq; inquit, reguli, me cohortante & bellum iustis viribus administrante, alacriùs copias cogent atq; euocato ex vltimis Brutiorum finibus Obignino, ad Atellam obsidione liberandam maiore studio reuertentur. Sed Galli communi sorte fortunã quacunq; ab Dijs pararetur, subeundã esse succlamarunt. Quoniã suspiciosi homines Virginium durioribus, quæ imminerent belli difficultatibus sese ac suos explicare potius cupere, quam salubri consilio futuris malis remedia parare existimabãt. Interim Ferdinandus iuxta oppidum Callatras, editũ montẽ, qui à septẽtrione Atellam & subiectos despectat capos, munitis castris occupauit. Atella quidẽ in æqua planicie posita est: sed cũ mille fermè passus ab oppido receſseris, perpetui montes in altitudinem sex stadiorum molliter assurgunt, non omnino ardui

ardui, verũ agricolarum industria impediti atq; difficiles, qui passim in ipso ascensu æquiora loca per gradus aratris proscindantur: cætera verò quum frequentibus vinetis tum fructiferis arboribus pulcherrimo artis atque naturæ ordine ita vestiantur, & ab tribues fermè luteribus oppidũ in orbem cingant, & in mediũ relicto comporũ spatio, ingentis theatri speciem spectantium oculis repræsentent. A læua vrbs Meliscta conspicitur: à dextra vbi Compsana est via, densissimæ occurrunt syluæ: ab occasu æstiuo, amnis decurrit paruus qui mediã planiciẽ irrigat, latoq; circuitu Atellam præterlapsus, coarctatusq; angustiore alueo frumẽtarias agit molas, atq; inde effusus in Ausidum amnem euoluitur. Ab ortu Ripacandida oppidum Venusinæ vię impositũ est, qua ex parte liberè Galli frumentari pabulariq; poterant, quòd Ripacandida eorũ præsidio tenebatur, omnesq; finitimi populi Andegauensiũ rebus maximè studebant: ab alijs verò partibus propter Luis armaturæ equitũ multitudinẽ, nisi magnis cũ præsidijs summoq; periculo exire ac longius euagari no licebat. Græci enim insidiosi expeditiq; homines è summis collibus se se sensim demittebãt, et quo minus ab hoste cõspicerẽtur, equos loris pertrahebãt, arboribusq; & vinetis cõdebãtur: qui verò Galli pabulatores oppido exibãt, improuisi ex omnibus locis

euola

euolabant: atq; omni re superiores, cum Gallis dispersis atq; perterritis in ea planicie prælia bantur: eoq; audaciæ successu quotidiani certaminis erant euecti, vt non modò Gallorum equitum arcus, Italorum q; balistas contemne rent, sed cataphractorũ integras turmas obliquis ac inflexis protecti clypeis, adoriri, & cominus equos admittere auderẽt. Fiebat enim equorum pernicitate equitandiq; peritia, vt sæpe Galli cataphracti, quũ insolentius appropinquantes reprimere magna vi contenderẽt, ab inermibus circumuenti celeriter opprimerentur. Tormẽta quoq; maiora editioribus locis opportunè collocata, & ad conspectum exeuntium agminum emissa, nihil tutũ in ea planicie relinquebant. Dum hæc initio obsidionis fiũt, Consalaues cũ centũ cataphractis, quingentis verò Hispanis scutatis equitibus, et duobus millibus Hispanorum peditum in castra peruenit. Is superiore hyeme in Magna Græcia pluribus oppidis atque vrbibus Gallos expulerat, Scyllaceum, Sybarim, Crotonem, Semenariam, Neocastrum, Terranouam q; vi aut voluntate receperat. Inde initio statim veris consentiã progressus, Gallis acie pulsis, eam vrbem ceperat: domitisq; agrestibus, qui Cratis amnis valles incolunt, ad Laynum oppidum, Andegauensium partium copias, interfecto Americo Sanseuerino earum duce, repente adortus oppreſſerat: omissoq; Obignino & reliquis regulis, ab Ferdinando Alexandroq; Pontifice euocatus, Atellam iustis itineribus contenderat, iudicans in Brutijs hostiũ reliquias facilè posse debellari, si hostes vbi maiore belli mole regem vrgerent, per quàm maturè vincerentur. Igitur primo aduentu locorum situm stationesq; hostium speculatus, non longè à frumentarijs molis consedit: ac mox vti erat in prouidendis perficiendisq; rebus ingenij maximè præstantis & celeritatis eximiæ professus est, se non prius milites cibum capere permissurum, quàm præsidiũ quod ad molas erat expugnarent. Nec mora Hispanis bipartitò ad munitiones signa ferẽtibus, strenueq; irrumpentibus, præsidiũ Gallorũ deijcitur: multisq; cùm in ipso certamine tum in fuga trucidatis, machinarũ molares lapides, rotæq; ligneæ perfringuntur. Ea res Gallorum animos magnopere conterruit, quòd ab nouo hoste primo statim eius aduentu in oculis ipsorum penè prius confecta fuerat, quàm ab oppido prouideri succurrig; potuerit. Triduo pòst equitatum quem Alexander Pontifex mittebat, Petrus Gonzaga, & Nicolaus Gambara alarum duces in castra perduxerunt: Superuenit quoq; Philippus Roscius Venetæ militiæ equitũ præfectus: qui in trãsitu Sorani saltus à Gratiano Guerra impedimentis & magna parte equitum

tum exutus fuerat: nouaq; ab Neapoli Italorũ cohortes quotidie mittebantur. Regij, aduentu auxiliorum spe ac viribus aucti, maiore studio atque fiducia, Gallorũ pabulationes, frumentationesq; obseruabãt, ac euectos procul ab oppido, quũ proximis euastatis agris longius necessariò procederent, ex omnibus locis adoriebantur, magnisq; incõmodis afficiebãt. Nã sæpe pulso fusoq; præsidio, & multis sarcinarijs sumentis cũ toto calonum grege simul interceptis, nõ quotidiana modò, sed singulariũ propè horarũ exercitatione in castra reuertebantur. Quibus detrimentis Galli duces, quantũ ratione prouideri poterat, pabulatoribus magna addendo præsidia, explorando loca & idonea tempora, quũ hostes corpora curarent, captando, diligenter occurrebant. Sed ijs innixi consilijs, quũ iam necessariarum rerũ inopiam sentirent, & Gallorum Germanorumq; corpora in magna recentium obsoniorũ vinique penuria, immoderatis æstibus conficerẽtur, tertiam equitum partem Venusina via emittere statuerunt. Itaq; Nonis Sextilibus, delecto ad fallendos hostes meridiano tẽpore, quo maximè, vti in sauis Apuliæ feruoribus accidit, iumẽta atq; homines ab omni militia munere quiescebant, Pauli duo, Visinus atq; Vitellius subsignis agmen educunt. Conspiciuntur Galli vndiq; è summis iugis, & totis castris ad arma conclamatur. Alexius qui in statione erat, frenatosq; equos sub tuguriolis umbraculis atq; tẽtorijs cõtinebat, cũ leui armatura Italica primus procurrit. Cõturbantes Græcos conscendere equos iussis, extẽplo subsequitur. Ipse Muntius arma statim induit, & cũ reliqua expeditorũ equitũ multitudine ad hostes contendit. Cõseritur ingenti tumultu magnisq; clamoribus prælium. Pauli densato agmine incedunt, circumuentiq; ab omni parte neminẽ acie excedere permittẽdo, fortiter depugnãt, ita vt tãtæ multitudinis impetus egregiè à cataphractis sustineretur. Sed dũ Græci a fronte, a tergo, latereq; omni acrius ac insolẽtius lacessunt, atq; agmẽ totũ demorãtur, fortè Perusinus eques cataphractus, natura ferox & quietis impatiens, appellatis proximis equitibus tribus, & insultãtiũ arrogantiã vnà supprimeret, intẽta hasta in medios hostes incurrit, Græcumq; equitẽ eo impetu transfigit. Idẽ ceteri feliciter audent, totumq; proximũ hostiũ globũ propellunt. Sed illi ex fuga maiore demũ audacia in hostes reuertũtur. At dum Perusinus ceteriq; agrè se explicant, & recurrentes à suis recipiuntur, laxatur agmen mirumq; dictu. Græci equites in medios cataphractos se celeriter insinuant: momentoq; tẽporis cuneata acie totũ eorum agmen aperiunt, atq; perturbãt. Tũ verò in maxima nube elenati pulueris atrox

prælium

prælium committitur, cohortante atque vrgente acriter Mantuano, Gallorum vexilla sternuntur, & supra trecenti vtriusq; armaturæ equites interficiuntur aut capiuntur. Vrsinus autem atque Vitellius cum confertissima delectorum turma sese ab circumfusis Græcis eripiunt: beneficioq; Liuiani & Iordanis Virginij filij, qui subsidio cum duabus cataphractorum turmis adcurrerãt, impetumque persequentium retardarant, seruantur: reliqui verò omnes in oppidum ex fuga pauidi compelluntur. Ea die Græcorum Italorúmque leuis equitatus maximam virtutis opinionem apud omnes vindicauit, qui tot cataphractis oppositus, nullo peditum aut grauis armaturæ subsidio, tantum facinus singulari felicitate peregisset. Non multo pòst Ripamcandidam pedestres copiæ cum tormentis ductæ: repulsaq; primo in certamine Consalui cohortes. Erant ij ex vltima Hispania Callaici Oceano proximi, quibus eo tẽpore in vniuersum scuta erant ingentia breuesq; tragulæ: alijs parui vmbones ferrei cum hastilibus prælongis, ab hoc inepto armorum genere cunctis ridiculi, sed qui ab audacia & corporis agilitate minimè cõtemnendi viderentur. Callaicis à muro fœdè repulsis Crassius cum veteranis Italis successit, & secundum eos Cantabri, ac reliqua demum Italorum Germanorúmque cohortes: pauciss horis

horis oppidum pari propè virtute ac pertinacia defensum atq; expugnatum est. Ripa candida hostibus adempta, Ferdinandus è superioribus locis in aduersam planiciem transtulit castra, & ad intercludendum iter Venusina via consedit, duasq; res hostibus maximè aduersas, ea castrorum mutatione est consecutus: nam occupato & planè obstructo aditu, qui antea commeantibus liber erat: & recipiendi commeatus ab Andegauensibus populi, & Venusiam euadendi, spes omnis hostibus erepta videbatur. promotisq; in oppidi conspectum castris, hostis grauiore in dies obsidione premebantur. Iamq; ad eas rerum difficultates Galli peruenerant, vt quum molis paulo antè vt hostium perfractis furina deficeret singuli panes singulis Rezalibus denarijs venirent: & gregarij milites fabis coctoq; tritico vescerentur. Aliud quoq; incommodum iam penè subactis accesserat, quod nisi summo cum periculo magnisque adductis præsidijs aquabantur: quum ex eodem amniculo vtriusque exercitus iumenta potarent: fieriq; non posset quin ad accessum tantæ multitudinis mulionum & militum incredibili contentione omnibus horis in ipso flumine certaretur. Galli in parte fluminis propinquiore dolia vinaria lapidibus plena medio in vado collocarant, adiectoq; aggere profluentem exceperant, vt pleniore

niore alueo et tutiore loco aquærentur. Ibi quaterna vexilla Heluetiorum & Germanorum perpetua in statione excubabant: aquatoribusque quum hostis vrgeret, ex propinquo celeriter auxilium ferebant. Fortè inclinante in vesperam Sole pugna solito tumultuosior adaquam, crescentibus vtrinque auxilijs, erat accensa: eoq; res summo contentionis ardore processerat, vt neutra pars sese inde explicare atque recipere sine magno incommodo singularique infamia posse videretur, quòd regijs qui audaciter flumen transierāt difficilis in aquoribus locis receptus dabatur, & Galli, si locum pulsi reliquissent summo cum dedecore cuncta exercitus iumenta paulo pòst siti interitura existimarent. Aderat spectator pugnæ Ferdinandus, qui quum Germanos pro numero admodum fortiter rem gerere animaduerteret, Annibalq; Pandonius Camilli filius ante oculos esset interfectus, & Octauianus Columna insignis adolescens ex equo deturbatus, in summo vitæ periculo versaretur, quin subsidio suis ire contenderet, minimè dubitauit: delatusq; in pugnam cum lectissimis familiarium equitum, Germanorum ordines perrupit, duabusque primis cohortibus cataphractorum repentino turbine dissipatis, reliquos in fugam coniecit, qui quum ad oppidum se reciperent, Ioanne Spinello nobili iuuene obliquum iter regijs monstran-

monstrante à tergo circumueniuntur, ac passim vndiq; irruente, & consectante equitatu trucidantur. Tantus verò terror eo tumultu hostibus illatus est, vt Galli qui in oppidi porta stationem agebat, nulla Germanorum in fuga pereuntium misericordia adducti, præ timore obseratis valuis complures excluderent & eos ante portam crudeliter interfici paterentur. Periere eo prælio amplius trecenti Heluetij, Germaniq; & fermè totidem capti, vexilla duo relata, aliquotq; aurei ac plures argentei torques, & operosa ex argento emblemata, quibus plumeas crista in pileis inducbant, occisis captiuis q; detracta. Repertus quoque est Germanus signifer amputata dextra manu, & læua fœdo vulnere discissa vexillum mordicus retinens, ita vt in vestigio inuictæ virtutis expirasse videretur. Post id factum Germani manipulatim ad regem transire cœperunt: quos protinus intercessione eorum, qui apud se militabant, in supplementum cohortium duplicatis stipendijs adscribebat. Meleager quoque Foroliuiensis equitum præfectus multis antea à Gallis affectus contumelijs, ad Mantuanum transiuit: adeóque tum aduersis prælijs, tum crebris transfugijs, vti in suprema rerum desperatione contingit, Gallorum copiæ erant extenuatæ, vt iam Galli atq; Heluetij in coronis passim, & absentis Caroli re-

gis, & præsentium ducum nomen maledictis aperte lacerarent: quòd hi malignis prauisq; dissensionibus, tot fortissimos milites toties victores, è summa spe victoriæ, in eas calamitates morte ipsa luctuosiores adduxissent. Ille verò nefaria segnitie atque infami negligentia, tot millia benemeritorum de se militum, contra fidem datam omni ope destituta, in vltimis Italiæ finibus ab infensissimo rege trucidanda reliquisset. Has militum querimonias acerboresq; sermones Persiuus excipiens, vt pote qui res maximè afflictas ad inuidiam aliorum ducum vertere cupiebat, bono, inquit, animo estote mei commilitones: Nam postquam Fortuna suo more mutabilis, & nusquam fida consilijs nostris illudens, nos omnes huc compulit, dabo operam, vt me sequestro, conditiones ab hostibus, nec Gallico nomine nec superioribus victorijs nostris indignas referatis. Quod si illi crudelitas sanguinem nostrum exhaurire quàm moderata potiri victoria maluerint: efficiam profectò, vt vos qui mecum hos ipsos sæpius sine vestro vulnere cæcidistis, si à Dijs omnino deseremur, implacabili hosti victoriam longè omnium luctuosissimam relinquatis. Quibus dictis, pauca ad duces in prætorio prolocutus maximo militum assensu ad amnem contendit: & præcone transmisso, regem ad colloquium euocauit: Nam & pridie quæstor

stor Gallus apud regios milites captiuus quum fide data ad cogendam pecuniam qua redimeretur vltro citroq; commearet, de compositione loqui cœperat. Itaque concursu multorum facto, & rege alacriter prodeunte, Persiuus ab vlteriore fluminis ripa, in hunc modum loquutus est. Aequum videtur, inquit, Ferdinande, vt ego ante omnes Gallos, qui duabus illatis cladibus, res tuas afflixerim, hodie gratissimum tibi de optima spe futuræ pacis nuncium feram, vt hoc meo insigni erga te officio, veteres iniuriæ penitus expientur. Trium dierum inducias postulo, vt commodè deliberando de compositione agi possit. Conditiones verò tales erunt, vt nos aliquanto maiore virtute cepisse hoc regnum, quàm reliquisse videamur: Et tu toties acie victus, egregium victoris titulum feras. Qui verò speratam victoriam nulla dubij euentus æquitate præsiniunt summa & immoderata cupientes, sæpe aduersam, non semper æqui Martis vim experiuntur. Proinde si amici socijq; tui ferocius loquentes, animum à pace alienum ostenderint, impudenter feceris, quum alieno arbitrio in ipsa summæ rei tuæ causa periculosum consilium sumes. Potior enim est moderata sine vulnere victoria, quàm eadem si decertes & vincas summè optima cruentáque. Consilium meum propterea ne spreueris, quod

non voluntate atque indicio, sed vltima expressum necessitate videatur. Nam publicus hostis salubria tutaq; consilia aduersarijs aliquando tulit. Sed de pace bellóve quaecunque mens tua fuerit, quod dederis alacriter accipiemus: nam inuictos Gallorum animos, & ad vtranque fortunam egregiè paratos inuenies. Ferdinandus ad ea respondit: diuina fieri iustitia, vt qui primi bellum iniquè & arroganter intulerint, supplices pacem petant: Sed porrò quòd totius iniuriæ obliuisci malit, quàm non omnino clementiæ ac humanitatis meminisse, planè pacatum pronumq; animum ad complectendam pacem ostensurum: quanquam ea natura sua lenitas neque vtilis neq; decora quibusdam videri posset, vel ob id quòd ipse non ignarus militiæ, & profligatas Gallorum vires, & spes omnes penitus accisas praclarè conspiciat, ita vt bellum funesto hostium exitu prope diem se finiturum speret. Caterum generosi propositi summam esse, vt eos qui etiã crudelius victoriam exercuerint, incolumes velit: modò conditiones accipiant, quas ex sententia ducum suorum, qui essent viri summa æquitatis paulo pòst daturus esset. Diremptocolloquio sequenti die Liuianus, Bertanus Manglos, Petrus Cresius, Busecus, & Anzoltus, cum summis de pace mandatis ad regem mittuntur: breuique disceptatione res his legibus

gibus vigesimoseptimo obsidionis die componuntur. Mompenserius atque Virginius, nisi iusta obsessis auxilia intra trigesimum diem alicunde summittãtur, cum omnibus copijs in Gallias se profecturos promittunt. Tormenta anea, equosq; omnes regia nota inscriptos relinquent: omnes regni arces restituent, praeter Tarentinam, Venusinam, & Caietanam, quibus discedens Carolus custodes praefecisset, tesseraq; accepta fidei in Galliam detulisset: Captiui vtrinque sine pretio redderentur, ac Obiguino Gratianoq; & omnibus regulis Andegauensibus, qui in partibus Gallorum essent, eius fœderis beneficio vti liceret. Rex interim commeatus ac naues quibus transportarentur, expediret, vt intra statutum tempus in Gallium enauigare possent. Vt haec porrò firmata q; sint, singularum nationum obsides dantur. Pro Gallis Persius, Baylinus q; Vitrius, & Aloisius Arsius: Pro Italis Paulus duo, Visinus atque Vitellius: Pro Germanis Brocardus: Pro Heluetijs autem Hesicius, primarum cohortium praefecti. Traianus verò Papacauda Neapolitanus, & Leoninus Tyburs Virginij medicus, vt rerum exitum Carolo regi certius demonstrent, & initæ ad Atellam pactionis tabulas deferant, in Galliam abire permittuntur. Ex aduerso autem, Ioannes Borgia Cardinalis pro pontifice, Consaluus pro

Ferdinando Hispaniarum rege, Paulus Capellius pro Veneto Senatu, Franciscus autem Casatus pro Ludouico Sforcia, regem cuncta quæ ille promisisset Gallis integra fide præstaturum receperunt. Rebus in hunc modum compositis, Persicus equum illum ab incredibili præstantia supra cæteros omnes maximè celebratum, Ferdinando restituit, cuius lapsu regem in pugna ad Semenariam penè oppressum & captam à Gallis fuisse memoraumus. Postero die Ferdinandus mouit castra, & ex itinere Arrianum recepit: Sanseuerinum interfectis defensoribus expugnauit. Inde Salernum profectus urbem & arcem, septimo die in deditionem accepit. Interea Gallorum copiæ Castellum quod ad mare dicitur, iuxta veteres Stabias peruenere: pars eorum in Baianũ sinum delata est. Quibus in locis, quòd tum ad mare grauis erat autumnus, & Gallorum Heluetiorumque corpora æstibus ac siti maximè obnoxia, quum vino & cuis omnuꝫ generis pomis dissoluto quodam vitæ genere, immoderatius indulgerẽt, tanta vis morbi eos inuasit, vt infinitis prope funeribus ea litora complerentur. Mompenserius ante alios, quum seruari & abduci inuitante Mantuano, cuius sororem in matrimonium habebat, recusasset, ne exercitum turpiter deseruisse videretur, Puteolis interiit. Similiter Vitrius Baylinus,

& Anzo

& Anzoltus ventris profluuio perierunt. Fuere ex Gallis qui vina veneno infecta ab Aragonijs sibi vendita dicerent: quorum etiam opera nauale apparatum, interpositis quotidianis difficultatibus, vt nemo in Galliam rediret, retardatum esse querebantur. Sed eius sceleris suspicionem celeriter extinxit insignium virorum interitus: quum ijsdem fere diebus exercitus Aragonius pestilenti propè valitudine tentatus, Contarenum & Crassum & Bartholomæum Georgium Venetæ classis præfectum amisisset, & ipsi Mantuanus, & Paulus Capellius, & plerique alij viri fortes seuis impliciti morbis summum vitæ periculum adijssent. Reliqui Galli, atque Heluetij nauibus impositi quum quibusdam folles tubiq; spiritales ad exhauriendam sentinam, & quibusdam armamenta deficerent, iactati etiam aduersis tempestatibus, partim naufragium fecere, partim Genuæ omnibusq; prouincia portubus, quòd nauigationis tædia ferre non poterant, contabefactis corporibus, interierunt. Germani verò magna ex parte consanguineorum suorum beneficio non modo seruati sunt, sed regijs stipendijs addicti. Reliqua tot nationum inutilis multitudo nauibus minimè recepta miserabili errore rerum omnium egena, per omnem Italiam conuersa ac illudentis fortunæ spectaculum præbuit. Vrsinorum quoque

copiæ, quum pacatum eis iter, & in Romanum agrum redirent, regio diplomate, Ferdinandus præstitisset, in Pelignis Alexandri pontificis iussu, ab Guidone Vrbinatium regulo, armis & equis exutæ sunt, captiq; Liuianus & Iordanes. Sed Liuianus fide data, quum liberius custodiretur, per fenestram noctu euasit. Iordanes verò Neapolim missus est vbi Virginius pater contra iusiurandum, quòd se in Galliam profecturum speraret, in Out arce seruabatur. Enimuerò Pontifex Alexander, quo nemo principum ea tempestate atrocior fuit, Ferdinandum datam fidem seruare cupientem, monendo ac sæua denuntiando induxerat, vt Virginium custodiæ traderet, quòd ille aduersum Aragonios prioris sacramenti militaris religionem violasset, atque insanabili pertinacia perpetuum bellum molituros esse videretur. Borgia quoque Cardinalis Paulum Vitellium iussu Pontificis sibi tradi postulauit. Sed Mantuanus, cuius fidei Vitellius salutem suam antea commendarat, omnes vrgentis pontificis minas contempsit, ne summæ virtutis virum ad supplicium cruento generi hominum traderet: atque ita nequicquam insidiante pontifice, incolumis Mantuam est perductus. Agitabat enim vir ille immoderatus, & personæ quam gereret penitus oblitus, quibusnam modis ingentes

gentes opes filijs pararet, quod nisi multo cum scelere, multorumq; insontium regulorum nece fieri non poterat: propterea virtusq; factionis insignes viros, qui viribus authoritateq; pollebant, ne consilijs suis alicũde obuiam iretur, vti postea perfecit, pellere ac interficere statuebat. Interea dum Federicus Caietam parat oppugnare, Ferdinãdus multis militiæ laboribus confectus, in villa apud Veseuum montem, dysenteria laborare cæpit. Erat habitu corporis ad perferendam omnem aduersæ rei contumeliam valdè firmo, sed cùm intemperantius nouæ nuptæ, quæ Ferdinãdi aui filia erat, complexibus indulsisset, & iam fermè pestilens esset autumnus, vim morbi sustinere non potuit. Neminem regum maioribus omnis generis hominum, aut certè verioribus lachrymis tumulatum ferunt, quòd ille tantæ animi corporisq; virtute præditus, in medio ætatis flore ipsoq; partæ victoriæ, ac recepti regni limine, cum maximè primum laboris fructum capere deberet, iniqua fatorum lege fuisset extinctus. Celebrato funere Federicus patruus rex salutatur, aliquantò Andegauensibus gratior quã Aragonijs, quũ ex præclaræ regis iuuenis liberalitate, in quem certatim omnes studia oraque conuerterant, incredibilia sperarent: contrà verò Federicum lenem potius, æquum, & moderatum regem, quàm

gra

gratum & liberalem fore arbitrarẽtur: quòd ex priuata vita tale prorsus ingenij specimen ostendisset, vt in summo etiam imperij fastigio neque inimicis valde infensus, neque amicis & clientibus valde indulgens, atq; beneficus futurus esse crederetur. Eorum enim mos est, qui obsequijs & certis bello & pace facinoribus editis principum gratiam quarunt, vt eos & iustos & temperatos esse nolint: propensum verò erga nominis sui studiosos, & veterum fuctionũ memorem citoq; exorabilem, parati ad omne vitæ discrimen singulari beneuolentia prosequantur. Mortuo Ferdinando Besennianus & Compsanus, qui paucis ante diebus ad Argoniam fidem redierant, Salernitanum lenitate naturæ noui regis inductũ, impetrata venia in partes pertraxerunt. Sed is cum solenni die festo multa omnium alacritate Federicus regali diademate ornaretur, euocatus ad celebrandam pompam Neapolim venire recusauit, & vti erat suspicioſus, & Gallicis studijs inueteratus, bellum renouare cœpit. Qua hominis amentia permotus Federicus, in Lucaniam exercitum duxit: expugnatóque Diano celebri oppido, omnib. eum ditionis locis expulit. Ad extremum cum vt in Galliam abire permitteretur, impetrasset ad fallendas insidias, quas sibi regios tetendisse putabat, Senogalliam auijs itinerib. profugit: quo

quo se Ioãnes Rouereus Sora pulsus receperat, atq; ibi aliquanto post, qui tantũ bellum Aragonijs ad exitium Italiæ concitarat, & calamitosus, & exul interijt. Exinde Caieta terra mariq; obsessa verius quàm oppugnata: nam Melchior Triuisanus, qui pace ad Nouariam facta Grimano in classis præfectura successerat, adiunctis Aragoniorum triremibus latè maria tubabatur, ne Gallicæ naues, vti antea prosperè tentarant, Caietanis commeatus importarent. Federicus autem à terra belli impigrè gerebat. & quanquam ea vrbs mõte ac summa arte munita, difficile ac periculosam habebat oppugnationem, & Obertus Rossettus præsidij præfectus virtutis & cõtumaciæ singularis, egregiè se defenderet, tamẽ nullis incommodis deterrebatur, quo minus eam vrbem in potestatem redigeret. Sed quũ diutior in dies & grauior obsidio obsessis pariter ac obsidentibus esset, & plerique viri fortes, & in ijs Raynaldus Feramusca, tormentis ictis perüssent, Eberardus Obigninus obsidioni finem imposuit. Is enim Atellani fœderis beneficio vsus, cum è Brutijs oppidorum facta deditione, vt in Galliam abiret, Neapolim venisset, vti erat summæ apud Gallos authoritatis, Oberto persuasit, vt fortunæ ex professo Gallis infestæ reluctari desineret, ne vana & mox nocitura pertinacia, se reliquósque milites

sum

summis vitæ periculis implicaret. Obertus non minus extremis rerum difficultatibus quàm eius longè clarissimi viri exemplo, monitisq; compulsus, Caietam reliquit, & Gratianus Guerra ex Aprutio sub id tempus, quique Tarenti, & Venusiæ in præsidijs erant, ad extremum tædio rerum bellóque domiti, regni finibus excesserunt. Hunc exitum habuit terribilis paulò ante Gallorum aduentus: qui sicuti ab initio disiunctis, inermibus, atque imperitis hominibus maximum negotium fecit: ita successu belli, quum deprehensæ artes, & collatæ in vnum sunt vires talis apparuit, vt eam gentem nostris tantùm dissensionibus validos impetus habuisse cõstet. Vel ob id quod non multo pòst Italia pristini atq; insani pertæsa erroris dum sera propè concordia consentit, quod libertati omnium imminebat discrimen, reparata militia positisq; odijs, haud longo labore depulerit. Sed eo grauior Gallorum aduentus omnibus est visus, quoniã post turbatam quietẽ, etiam inauditum prioribus seculis morbum nobis importauit, ei hercle persimilem, qui Tiberio imperante sub Mentagræ nomine vehemẽter Romæ grassatus est. Is veluti occultiore vi syderum cælo demissus, dira ac admirabili contagione sexum omnẽ ac ætatem inuadebat. Venereis maximè cõtactibus & multo accubitu vulgabatur: à pudẽdis idcirco

circo primum virus erumpebat, sæua serpigine cuncta passim abrodens: Inde cætera membra, atq; ipsa præsertim ora vlceribus ac pustulis fœdabantur. Irrequieti porrò cruciatus singulis artubus intolerabiles, exteriora pariter ac interiora corporis vastabant: Neq; tædio miserabilis vitæ confectis, & frustra mortem inuocantibus, quisquam mortalium ab arte medica felix remedium tulit. Aliqui tamen ex argento viuo axungia permisto, triduana inunctione conualuerunt, sed vt enormia morbi vestigia relinquerentur. Alij laborioso exercitationis genere, & parca exquisitaq; victus ratione, quum sæuas manus medicorum alieno periculo remedia quærentium effugerent, certiora subsidia repererunt. Fuere qui crederent id malum ab nouo orbe ad occidentem reperto, initium duxisse, & ab Iudæis sub id tempus tota Hispania pulsis, in Italiam cæteras q; regiones vario eorum errore delatum, sub id tempus quo Carolus passim victor Italiam percurrit. Sed vbi & quando cœperit, diligentiores vestigabunt, & verius nomen imponent, consensu certè multarum gentium Gallici cognomen tulit, ita vt ea natio inquietæ & vehemens, qua infestis armis felicitati Italiæ sæpius inuidit, & hoc quoq; pestilenti vulnere insticto, sempiternã nobis odij sui memoriam reliquisse videatur. Gallorum

copijs

copijs ad Neapolim Garijs casibus terra mariq; deletis, quanquam Italia omnis grauissimo ingẽtis belli periculo leuata videbatur, nequaquã tamen bellum esse desierat. Nanque pontifex Alexander veteribus suis innixus consilijs, Vrsinorum opes euertere, ipsiusq; Virginij maximè oppida occupare maturabat: & Florentini Pisas cum Veneto tum Sforziana milite summaq; ciuium pertinacia defensas, incredibili omnium ordinum studio, totisq; collatis in ararium ciuitatis opibus repetebant. Carolus quoq; regni pariter atque exercitus amissi dolore permotus, renouandi belli consilia agitare nunciabatur. Is enim Fusium Aquitanum regulum cum valido equitatu, Vasconumq; cohortibus, & tribus Heluetiorũ millibus Aymaroleberio duce clarissimo, ad Pyreneos præmiserat: qui quum Perpenniano plurimum imminerent, & aliquandiu ad fallenda Hispanorum præsidia Tolosatium fines circuissent, improuisi diuersis itineribus ad oppugnandas Salsas conuolarunt. Salsæ hodie vocantur, quæ antiquitus Salsulæ fuerunt, ad stagnũ salsæ aquæ, verius quàm dulcis, Narbonensi Viæ impositæ, vbi extrema Pyrenæorum iuga Balearici maris fluctibus alluuntur. Propugnaculũ id potius diceres aduersus Gallos quàm oppidum: nam pauci admodum, præter eos qui meritorias tabernas exercent, locum

locum grauitate aëris infamem incolunt. Eò valida manus Hispanorum equitum & peditum processerant, quotidianisq; excursionibus finitimos Gallorum pagos prædabantur. Salsis tum præerat Bernardus Francesius vir eximiæ virtutis atq; constantiæ. Is Henricum Albadelistæ regulum, copiarum quæ Perpenniani erant, ducem de aduentu Gallorũ certiorem facere, monere, vt aduersus eorũ vim atq; celeritatẽ præsidia parata haberet: Salsas cum muro tum munitione infirmas esse, tamen se militum virtuti confisum, quin tridui oppugnationem sustinere queat minimè dubitare. At Henricus qui angustias aditus inter stagnum & imas montium radices ad Salsas pertinentes, vel parua manu tueri, & Gallos transitu prohibere poterat, Fusium transire permisit, sperans circiter quatuor decim cohortes, quæ proximis in oppidis conscriptæ fuerant, ad se biduo peruenturas, foreq; vt vno tempore à læua per montes ductis pedestribus copijs, à dextra verò per militarem viam, quæ inter stagnum extremamq; maris marginem, Narbonam ducit, immisso equitatu, a tergo obsessurum hostes: interceptoq; commeatu eos penè sine vulnere deleturum. Verùm pedites citeriores Hispaniæ edicto regio in speciem tantũ conscripti, quum se non modò ad bellum, sed ad ipsum ineunda pugna

 discrimen

discrimen duci conspicerent, una edita voce se progressuros negarunt, nisi stipendium amplissimis paulo antè verbis promissum, præsenti pecunia solueretur. Qua fœda inopinataque tot cohortium consternatione, Henricus tota ferè perficiendi suscepti consilij deiectus, necessariò sese continuit. Perscripsitq; regi vt paucandis cohortibus pecuniam in stipendium, vel paucorum dierum siebmittere maturaret. Ferdinandus enim ad Gerondam cum Elisabella uxore consederat, euentum Gallici motus expectans: vtpote qui maximè cautus & pecuniæ temax, speciem ingentis coacti exercitus ad deterrendos hostes præbere, quàm bellum gerere mallet, quum id sine ingenti pecunia administrari non posse intelligeret: & Gallos cùm hyemis tum locorum difficultate & tanti apparatus adductos, extemplo retroressuros arbitraretur. Itaque Fusius biduj spacium nactus, à stagno ad præruptj montis radices perpetuam munitionem perduxit: iterq; maritimum peranguste eius viæ, presidio impositio celeriter occupauit: & castris vnaque permunitis prolato tormentorum apparatu, oppidum oppugnare adortus est. Murus erat perantiquus et debilis, & qua parte vetustate erat collapsus, ea terreni aggeres multa materia cõsepti, & in mediocrem altitudinẽ educti oppidũ vallabant. Sed ea vis

ea vis erat ingentium colubrinarum, vt non modò aggerẽ, sed cõiunctas etiã muro domos, & mirum dictu nonnunquã aduersæ partis oppidi murũ pilæ ferreæ, cum multa obuiorum hominũ strage penetrarent. In ea rerum acerbitate, Hispani, tametsi neque multis, vel idoneis tormẽtis vterentur, neq; perfracti aggeres muriue sine certa cæde reparari possent, neq; vllũ ab Henrico subsidium expectarent, si tamẽ inuictis animis aliquandiu restiterunt. Cæterũ tertio die, quũ vulneribus laboreq; & cõtinuis vigilijs confecti essent, peruadente in oppidũ per ruinas hoste, ad vnũ fermè omnes memorabili sæuitia trucidati sunt. Periere circiter ducenti nobiles ex vlteriori Hispania equites: & in ijs illustres eorũ duces, Petrus Solerius à Corduba, & Didacus Azauedius Archiepiscopi Toletani frater. Bernardus ipse multis acceptis vulneribus vius in potestatẽ hostium deuenit. At Henricus captis iam Salsis, nequicquã promoto equitatu, in conspectum hostium deuenit, proximaq; Catalanorũ cohortes pudore excitæ castra cõplerunt. Verùm Fusius quanquã multo tubarum cantu ad pugnã ab Hispanis prouocaretur, suis munitionibus quas tormẽtis in hostẽ versis instruxerat se tenebat: missis q; præconibus se prælia cõgressurũ profitebatur, si ad se oppugnandũ propius munitiones accessissent:

quando non eo cõsilio Hispaniæ fines intrasset, vt ad nutum hostium dimicaret, sed vt Salsas in conspectu Hispanorũ, qui nihil dedecoris admissuri viderentur oppugnaret & caperet. Iis feliciter expugnatis, satis abunde expiatas videri iniurias, quas ipsi paulo antè Galliæ populis omni præsidio nudatis intulissent. Quod si dolore interfectorũ affinium, & commilitonum permouerentur, eorumq; eadem vlcisci vellent, debere ipsos innatam virtutem aliquo nobili edito facinore pertclitari: neque id ab hoste petere, quod ne insulsissima quidem gentes, vel ab imperitis hostibus postularent. Hybernæ tum pluuiæ campos molliuerant, fœdoq; cœno cuncta tenente itinera, propter difficultimas subuectiones, Galli pariter atque Hispani cõmeatus angustijs premebantur. Quibus de rebus, quum Henricus neque hostem elicere neq; bellum durissimo anni tempore, pecuniaq; inopia consternatis cohortibus, prosperè se gesturum prouideret, cũ hoste quatuor mensium inducias pepigit. Fusio nequaquam detrectante, quum Hispanorũ audaciam, Salsis expugnatis, casoq; præsidio, satis abundè repressam esse arbitraretur. Interea quum Carolus Amboisia hyemaret, ac eius victoriæ nuncio maximè lætaretur, regia aula exulibus & legatis, omnisq; generis hominibus belli & nouarum rerum cupidis plena erat.

erat. Florentini ante alios regiam fidem implorabant: Venetorúmque & Ludouici Sfortiæ communium hostium opibus Pisanos aduersum se defendi, & bellum summa eorum iniquitate geri querebantur, Iulianus quoque Rouereus, Paulusq; Fregosius Cardinales, & Hiblettus Fliscus, cùm ducibus Gallis veteribusq; amicis suis inuadendæ Liguriæ consilia agitabant. Carolus item Vrsinus Virginij patris fratrisque Iordanis, & Pauli Vrsini salutem, cùm regi tum purpuratis assiduè commendabat: Quòd omnes pactionis datæq; fidei violata religione, in cathenis Neapoli seruarentur, ipseq; pontifex Alexander cunctis Vrsinæ familiæ oppidis immineret. Vitellocius etiam, quanquam Paulum fratrem beneficio Mantuani è manibus infesti pontificis & vitæ periculo ereptum sciret: de eius tamen libertate sollicitus, Carolum obnixè deprecabatur, ne Tifernates omnesq; Vitelliæ domus fortunas, se absente, altero præsertim fratre capto, altero in partibus Gallorum interfecto, ab nemine defensis, sæui pontificis caterorúmque inimicorum iniurijs diutius expositas esse vellet. Fore etenim, si clientium salutem non omnino negligeret, vt Gallici nominis hostes non diu ea victoria lætarentur, quam multi potius perfidia fallacissimis q; artibus, quam vera virtute sibi

peperissent. Nec Traianus Papacauda, quem ab Atella in Galliam missum fuisse docuimus, tot exulum opem implorantium querelis deerat, quin & regem & proceres multiplici oratione ad renouandum bellum hortaretur. Superesse plures regulos, & in primis Salernitanum ipsum, qui Gallica in fide non modo perseueraret, sed bellum vimq; omnem Aragonij exercitus egregiè sustineret, felici certè constantia, nisi à Gallis pro quibus vitam ac fortunas denouisset, omnino desereretur: extinctum esse Ferdinandum, cui generosi planèq; regij, & militares spiritus inerant: ac in regno successisse Federicum, qui insitam animo eius timiditatem inani prudentiæ nomine contegere ab ineunte ætate consueuisset. Sed ante alios Aurelianus Cisalpini imperij auctor, & Triuultius Ludouico Sforti maximè infensus nō modò regem, sed & ingentes duces & proceres, omnibus quibus poterant artibus, ad repetendam Italiam concitabant. His iustis clientium suorū querelis ductus Carolus, Florentinorum legatos, qui apud se erant, cohortes sagittariorum Vasconū cōscribere & naues Massiliæ conducere permittit: Carolum Vrsinum & Vitellocium consolatur, eis veteris stipendia persoluit, multaq; pecunia ambos replet, vt in Italiam ad tuendas res suas proficiscantur. Triuultium cum aliis ducibus equitum Alpes transgredi, & in Astensi agro hyemare iubet, vt primo quoq; tempore, maioribus è Gallia transmissis copijs Liguriæ bellum inferretur. Quibus cognitis rebus, Ludouicus, Venetiq; & Alexāder pontifex, vt Gallorum & Florentinorū consilijs obuiam iretur, Maximilianum Cæsarem in Italiam euocare statuerunt. Erat magna eius viri bellicæ virtutis fama, & publicō priuatoq; odio Gallorum hostis esse videbatur. Florentini quoq; Cæsaris nomen horrebant, quod infensum sibi atq; terribile superioribus seculis extitisset, & is tum iure suo Augustæ maiestatis Pisas sua ditionis esse prædicaret, pecuniamq; ingentem tributi nomine repeteret, quā Florentini veteres Cæsarum stipēdiarij à multis annis pendere neglexissent: Sperabant enim ipso Cæsaris aduentu, Florētinos veluti impares ei bello quod tantis auspicijs gereretur, à Pisanorum oppugnandorum consilio Gallorumq; societate discessuros: ne si pertinacius Pisanos bello persequi perseuerarent, aliquo fortè aduerso prælio contusis viribus, vicinas vrbes amitterent: & quod summæ rerum graue momentum secum trahere posse videbatur, nouus non planè confirmata respublica ciuitatis status periculum adiret, Medicea præsertim factionis vigentibus studijs. In hæc quanquam fœderati omnes consentirent, quisq; tamen dissimulan-

ter priuatis commodis studebat. Ludouicus enim ex aliqua tandem turbatarum rerum compositione, ijs de causis quas supra memorauimus, Pisas in ditionem sibi concessuras, & Gallico metu se liberatũ iri existimabat. Contrà Veneti quòd magnis opibus & specioso quidem prætextu Pisanorum libertatem tueretur, & ciuium propensione & defatigatione hostium eam urbem imperio se adiecturos confidebant. Ipse verò Cæsar & tenuitate Germanici regni, & profusione sua liberalitate pecuniarum maxime inops, si Italiæ fines ingrederetur, adeundis liberis urbibus, appellandisq; regulis, præter ipsa stipendia magnum auri pondus se coacturum sperabat: rebaturq; sibi oblatam iri Augusti imperij coronam, qua mox ex ipso rerum prosperè gestarum successu, ad urbem Romam euocatus à pontifice more maiorum ornaretur. Itaq; Ludouicus cum uxore insigniq; comitatu per Larium lacum & Volturenam Gallem Burmium extremum Italiæ oppidum ad Abdua fontes profectus, cũ Maximiliano, qui Malsiũ pagũ usq; processerat corã trãsegit. Ut accepta pecunia conscriptisq; militibus in Italiam ijsdẽ tramitibus discedere maturaret. Interea dum à Cæsare copiæ parantur, à Venetis maiora indies præsidia terra mariq; Pisas mittebantur. Triremes decem ab Siculo freto Italiæ oram circumuectæ, cum multo commeatu Arni ostia subierũt. Iustinianusq; Maurocenus patritius cum octingentis partim Græcis partim Epirotis equitibus, per Lucensium fines Pisas peruenit: ea equitum ala uel equorum genere, uel hominum cultu uirtuteq; nihil ornatius fuit. Erant in ea centurijs præfecti Ioannes Paleologus, Nicolaus Annonius, Ioannes Zaphinus, Theodorus Frusinius, & Demetrius Bizantius, quem ab militari indole Magaducem appellabant, uiri eo tempore illustres: sed qui postea aliis bellis eximia cum laude floruerunt. Per eos dies Lucius Maluetius, quo nemo tum uigilantior aut acrior fuit, intempesta nocte Pontesacum adortus, scalis magno silentio admotis, cæsisq; uigilibus oppidum irrupit: captoq; Ludouico Martiano Rannucij fratre cum amplius ducentis armatis equitibus, cætera uerò turba peditum atque oppidanorum à Germanis fædè trucidata prius quàm à Florentinis ducibus sentiretur, Cæsenam reuersus est. Nec multo post eadem felicitate peruagatus Pisciensem agrum, abactaq; multa pecoris atque hominum præda, Bolgianum uicum concrematis foribus expugnauit atq; diripuit. Exinde sancti Reguli uicus, & Larium oppidum a Pisanis frustra tentata triduoq; post Græci equites qui in Volaterrano agro Villamagnæ ui-

cum diripuerant, & opimam prædam Pisas reducebant, in itinere à Martianis equitibus exuti præda fugatique sunt. Quo prælio non pauci ex Græcis confixi sagittis, aut in fossas stringue militari via adiacentes vi cataphractorum præcipitati, perierunt. Ex Florentinis autem aliquot occisorum capita hastis præfixa, Græcine omnino victi viderentur, ad Venetum legatum detulere. Per eos quoque dies Pisanorum manus Vaiannæ castellum cepit, & Lucius Buttum oppidum conuectis eò tormentis, dedentéque se ad victoris arbitrium Florentino præsidio, celeriter expugnauit: commissa quoq; sunt inter Cascinam & Eræpontem aliquot prælia quum pabulatoribus vtrinq; præsidio iretur, modo ijs modo illis aduersa secundáque, in queis Nicolaus Annonius graui balistaria sagitta à tergo transfixus interijt: & Pyrrhus Martianus Rannucij frater Græcorum insidijs est interceptus. Erat id belli genus, vt neutri cuncta vires in vnum cogerẽt, aut iusta acie prælia rentur: sed dispersi in præsidijs oppidorum, intentique in omnes casus, hostium motus notarent: & quantum occultis itineribus, vel repẽtinis & nocturnis excursionibus fieri posset, aduersarijs detrimenta inferrent, pabulationes impedirent, & dolis atque insidijs, magis quã vera virtute niterẽtur. Sed Pisani in

in ea militum exercitatione, Græcorum equitum numero freti, propter eorum vigilantiam & celeritatem, sæpius superiores euadebant. Ii enim tantam vim pecoris omnis generis, & babalorum è maritimis locis, quæ ad Volaterranorum fines vergunt, longinquis excursionibus abegerant, vt superioris anni incommoda toties ab hoste perpessa, ampliore armentorum copia sarcirentur. Sed ea die Græcorum equitum virtus plurimum enituit, qua Rannucius cum valida parte exercitus maioribusque tormentis tribus ad oppugnãdam Vaiannam ab Eræponte descendit. Pisani enim qui Lauennæ erant, animaduerso suorum periculo, quum ad ferendam opem properarent, & castello virtute Rannucij celeriter expugnato, serò appropinquassent, Græci equites cæstra adorti memorabile certamen ediderũt. Ibi lato ac patenti campo videre fuit leuis armaturæ equites cataphractis insultare, eos circumire, audacter intentis hastis adoriri, ac si paulum turma laxarentur, miro celerique impetu intercurrere, cuncta perrumpere, clauis ferreis, & incuruis grauioribus gladijs incredibilia vulnera inferre, agilitatéque corporum & equorum hostium ictus atque impetum ludificari, & ipsos denique inermes (mirum dictu) vndique armis protectos equites passim capere atque prosternere. Nicolaus

laues Martianus Rannucij patruelis alæ præfectus fortißimè dimicans, & cum eo circiter viginti cataphracti equites interficiuntur: equi insignes perpictis bardis contecti, triginta sex capiuntur: multóque maior clades fuisset accepta, nisi Rannucius qui ab initio eius certaminis in expugnatione castelli fuerat occupatus, subsidio laborantibus confertißimas turmas adduxisset: & Græcos, cæsis qui pertinacius prædæ inhærebant, effuse refugere coegisset. Nec multis post diebus Venetæ copiæ Laurentianum vicum, & sancti Reguli oppidum expugnarunt. A Florentinis verò ducibus Solliana oppidulum improsperè tentatum: nam Petrus Caponius legatus Florentinus quum in administrandis scalis cohortandisq; militibus intrepidè periculoso in loco versaretur, è muro minoris tormenti glande ictus interijt, vir inter patritios, cùm vetustate familiæ, tum eo præsertim celebri facto valde insignis, quòd pro dignitate patriæ aduersus purpuratorum Caroli regis superbiam, iniqui fœderis libellum libera voce edita conscerpsisset. Per eos dies Veneti rebus ad Atellam feliciter confectis, quum Pisanum bellum intentiore demum curæ administrandum esse censuissent, Annibalem Bentiuolum cum trecentis strictis armaturæ equitibus, & cohortibus veteranis duabus stipendio conductum,

Pisas

Pisas miserunt. Et Lucensium alpium iuga superanti, Cyriacus cum expedito peditatu ad Bargam vicum obuius fuit, vt fauces Apennini quibus munitionem addiderat, euocatis agrestibus tueretur. Sed Annibal præsidio inconditæ multitudinis deiecto, iter expeditum facilè sibi patefecit, & in Pisanum agrum descendit. Eius aduentu vehementer permotus Lucius Maluetius, Pisis egreditur, & cum Sfortianis copijs iter in Galliam Cisalpinam intendens Apeninum transcendit, quòd Bentiuolis, aduersus quos ipse paucis ante annis Bononiæ cum vniuersa Maluetiorum familia coniurasset, salutem suam minimè committendam existimabat. Eà res Ludouici animum vehementer pupugit, quòd nemo adeo absurdus sensibus erat, qui non Bentiuolum propterea Pisas missum iudicaret, vt Maluetius cum Sfortianis inde pelleretur: & Pisæ demum omni alio eiecto præsidio, in potestatem Venetorum concederent. Hæc fuere initia eius execrabilis insanæq; dissensionis inter Ludouicum & Venetos, quæ non multò post, quum vtrosq; longè maximis bellorum cladibus inuectis, penitus obruisset, vniuersam pene Italiam fractis opibus labantem, in externarum gentium seruitutem adduxit. Interea Maximilianus Rheticis alpibus, & Lario lacu in Italiam descendit, adeo tenui comitatu,

vt

Vt frequẽtiam populorum officij causa obuiam prodeuntium deuitaret: Vrbes Comum & Mediolanum ingrederetur, qua in eius honorem portas templáque & domos singulari studio exornarãt. Caterùm obliquis tramitibus iter facientem, delecta cohortes decem & quingenti Germani galeati equites sequebantur. Equitibus decora erant arma singulis commensuratæ artibus, ac intercisis ad elegantiã singulis emicantia: ab hastarũ cuspidibus quod erat probatæ virtutis argumentum, vulpina caudæ dependebant. Equis verò eorũ omnibus cauda penitus abscissa, nobis quidem videndo, sed veteri probatóque Germanorum & Belgarum more quòd ob id equi certa contractioris alimenti ratione pinguiores, & spinæ robore fortiores euadere existimantur. Ludouicus & Bernardinus Caruaial Cardinalis Alexandri Pontificis Legatus Mediolano profecti Comensi via apud Medam pagum Cæsari assuerunt. His de genere ac numero auxiliorum, de itinere ac ratione gerendi belli consilia inita: attributus Cæsari Calatinus cum Sfortinis equitibus vtriusque armaturæ septingentis: quibus coactis copijs acceptaque pecunia Genuam peruenit. Adurnij fratres Venetem summo cum honore, ac insigni maximè liberalitate susceperex: parata verò classe atque expectata idonea ad nauigandum tempestate postridie Nonas Octobres, qua die Rex Ferdinandus ad Vesenum excessit è vrbe nauem conscendit, & legendo oram, Pisas est deuectus. Tum verò Pisani incredibili gaudio exultare, omnibus regionibus effundi, latis acclamationibus, multisq; tormentorum bombis studium atque alacritatem significare: Maximiliani inuicti Cæsaris, omnium liberatoris nomen ingeminare, mirari augustam faciem, in qua tantum maiestatis, tantúmque bellici vigoris, ac benignæ probitatis inesse prædicarent. Cæsar à decurionibus vrbis, legatisq; Venetis in Mediceam domum deducitur, scutúmque marmoreum cum liliorum aureorum insigni, quod in honore Caroli regis, Pisani medio in ponte collocarant, multitudinis concursu in Cæsaris gratiam confringitur, & in Arnũ præcipitatur. Postero die conueniunt omnium principum legationes: Liburnum propter maris opportunitatem terra mariq; oppugnandum decernitur, ne vllus Gallicis classibus receptus in Italia relinquatur. Pisani magno agrestiũ fabrorumque coacto numero, paludem Liburnina via maximè impeditam & insuperabilem, veteribus refectis pontibus consternunt. Tormenta aliquot enea, inspiciente nec probante Cæsare, ad aptiorem formã constata renouãtur: & cuncta denique quæres posceret mira celeritate ac diligentia comparantur. Cæsar in cõspectum Liburni portus, qui Veneta classe

obsid

obsidebatur, trireme deuectus, ex alto, oppidi situm, portus litorisq; spatia despectauit: inde Pisas reuersus ad Liburnum oppugnandum copias duxit. Florentini in oppidum duas delectorum militum cohortes: itemque tormenta omnis generis abundè contulerant: Bettinum Ricasolum legatum supra togæ opinionem virum fortem ac strenuum, præsidio præfecerāt. Is ante Octogoniam turrem Lunensi è marmore decoro artificio parua in insula ædificatam, qua latè maria, portum, litoraque tuetur, circumducto aggere cōmuniuerat, refertāmque tormentis, Florentinis ciuibus custodiendam attribuerat: arcis atque oppidi mœnia in longo belli metu refecta, cōstitutis passim idoneis in propugnaculis maioribus tormentis instruxerat: domosque aduersus omnē inopiæ metum, vino, frumento, pecoreque repleuerat. Erant ad dextram tres aliæ, marmoreæ aliquanto minores lateritiæ turres, quæ mari pariter alluuntur. Eæ primum tormentis verberari cœptæ consilio, & à Cæsarianis militibus, & ab hostibus pariter ridendo, quum longo interuallo emissa canonibus pila contumacibus muris frustra inciderent: nec patefactæ etiam vel dirutæ turres, vllum omnino momētum ad expugnandum oppidum habituræ viderentur: Veneti nāque & Sfortiani nequaquam bonis artibus bellum gerebāt. Quentam de obt

de obtinendo Liburno si caperetur, magna contentione in consilio certatum fuerat, quum Ludouicus oppidum portumque sibi tradi vsque ad belli exitum postularet: Venetis id sibi custodiendum iure deberi prædicantibus quòd eorum classe mariæ tenerentur. Dixerant aliqui mediam sententiam, vt. s. Cæsaris æquissimi ducis arbitrio permitteretur, cuius auspicio bellum gererent. Ea ex ore Ludouici mitti videbantur: qui quum Venetos Pisarum imperio potiri ægerrimè ferret, nimiam eorum potentiam reformidans, etiam maritimum oppidum ad inuadendas Pisas opportunum, eorum præsidio occupari nolebat. Veneti verò tametsi occultè ipsorum cupiditatis præsentem inuidiam vitare cuperent, eoq; haud ægrè descenderent, vt Cæsari traderetur, conditionem periculosi consilij renuebant, quum Cæsarem ex inopia augustalis ærarij, & plerunque ex inconsulta liberalitate alienæ pecuniæ auidum, à Florentinis auro corrumpi posse, vt oppidum sibi emptionis iure de manu traderetur, magnoperè dubitarent. Sed dum turres haud obscuro quodam ludo tormentis verberantur, turmæ nauales quæ in terram descenderant, eruptione præsidij ac oppidanorum ad triremes cum cæde ac trepidatione sunt compulsæ. Postera die Gallica classis in conspectum se dedit, nauisque vna cognomento Norman-

na ante alias prægrandis & militariter exornata secundum nacta ventum, despectis Venetis triremibus & ingenti naue Ligustica, plenis velis in portum se intulit, & octingentos Vascones mercede conductos exposuit, commeatuque omnis generis oppidanos repleuit. In ea naue fuere Carolus Vrsinus & Vitelloccius, qui regia onusti pecunia transuersis itineribus, Perusiam ad cogendos milites contenderunt. Interim obortæ sunt fœdæ tempestates, adeóque sæuus Aphricus pluuia commixtus inualuit, vt Germani pedites, qui tabernacula secum ferre minimè consueuerunt, duritie frigoris subacti Pisas refugerent: aliorúmque militum tentoria passim sternerentur: quo etiam ventorum turbine quòd portui Liburnio ventus Aphricus maximè est aduersus, triremes vehementer sunt conflictatæ vnáque in litus eiecta atque perfracta naufragium fecit: & eo quidem miserabilius, quòd enatantibus socijs naualibus, aut vulnere aut fluctibus, effuso ad prædam hoste, erat pereundum. Adurnia quoque oneraria admodum insignis, quum abruptis rudentibus quibus anchoræ distinebantur vim tempestatis sustinere non posset, interijt. Quibus detrimentis veluti aduerso omine permotus Cæsar sæpe dictitans se, Dijs atque hominibus inferisis, bellum non esse gesturum, copias reduxit

reduxit: à valida tamen Germanorum manu quæ longius prædatum ierat, Burgarum oppidum vi captum, ac occiso Henrico maritimæ regionis regulo, cunctisque ferè incolis crudeliter interfectis, incensum atque deletum. Nec multo post Cæsar diuersis itineribus præmisso milite Apenninum Pontremulanis iugis trangressus, Ticinum vbi tum erat Ludouicus peruenit: atque inde per Larium lacum media hyeme, niuosis admodum alpibus, in Germaniam est reuersus, non vno in loco iratè atque minaciter iurans se non senatoris habitu, vt tum sociorum auxilijs confisus incautè fecisset, sed armati Cæsaris more totis imperij viribus instructum, in Italiam aliquando rediturum. Maximiliano Pisis excedente, Germani omnes Sfortianique milites pariter in Cisalpinam Galliam abierunt: actum demum Pisa in Venetorum potestate sunt constituta. Num quum Pisani aduersus vim Florentinorum longè infirmissimas ciuitatis opes esse conspicerent, ac se planè reliquo omni auxilio destitutos intuerentur, arcem veterem quæ ad mare spectat, & Stampacis propugnaculum ad paruæ arcis effigiem citra flumen exporrectum, omniáque belli iura Venetis vltrò concesserant: Cascinámque & Verruculanam speculam Venetis præsidijs commiserant, vt liberaliter sidenterque cuncta con-

cendo, Venetorum voluntates redimerent, ac maiore eorum studio, ampliorib⁹q⁹ præsidijs in tuenda libertate uterentur: aut si Dijs omnino infestis de Repub. foret desperandum, mitioribus certè atque potentioribus dominis seruirent, postquam extrema supplicia potius pati, quàm Florentinorum imperium rursus perferre, publicè decreuissent. Dum hæc in Aetruria geruntur, Alexander pontifex, ut urbis proceres deleret, quos Romanorum pontificum compedes appellabat, ut q̃ maior inde filijs potentia strueretur, ad oppugnanda Virginij oppida copias misit. Iere cum Francisco Borgia filio principe Candiano, Guido Feltrius, Fabritius Columna, Antonellus q̃ Sabellus: primo q̃ aduentu oppida circa Cassiam uiam, Insula Galeria, Campanianum atque Scrofanum facilè occupauerunt: quæ uerò ad Sabatinum lacum pertinent Trebonianum, Anguillaria & Braccianum ditionis caput ueterano Virginij milite tenebantur. Eo enim Liuianus ex fuga se contulerat, ut afflictis familiæ rebus, extremam operam nauaret. Is milites armis, equis, ueste q̃ spoliatos exceperat singulis equos indomitos ex armentis attribuerat, liberalitateque Bartholomeæ uirilis animi fœmina, quæ Virginij soror erat, recreauerat, & instruxerat, quum ea maritales zonas mundum q̃ omnem muliebrem, ac uestes nuptiales, ut ex

ijs saga militibus fierent, alacriter protulisset. Mira quoque Liuiani celeritate Braccianum ualido aggere communitum, tormenta uetera coaptata, agrestes q̃ eius tractus fermè omnes euocati armatique: missilis plurimus ignis in ollis testaceis fabrefactus. Item q̃ trabes onustæ lapidibus in summa pinnarum corona, ad obruendos hostes collocatæ. Nanque Liuiano neque ardens studium in gerendis rebus, neq̃ militaris industria unquam defuerunt. Interim Trebonianum in ora lacus ab hoste conuectis eò tormentis oppugnari cœptum. Liuianus præpositis oppido peritis centurionibus, id egregiè tueri, ab aduersa ripa recentes milites lembis transmittere spe maioris celeris q̃ subsidij, ubi periculum posceret, oppidanos implere, hostium q̃ impetum nauigationis beneficio retardare atque frustrari. Quibus rebus quum nulla ui terrestris exercitus occurri posset, Duces a pontifice postulabant, ut ab urbe myoparonem plaustris ad se deuehi curet: sperare se eo fretos nauigio celeriter & Trebonianum et Braciano esse potituros. Pontifex myoparonẽ sumptum è Tyberi, cohortis uigilum præfecto, Troilo q̃ Sabello impigro iuueni cuehendum tradit. Id autem ad Liuianum, Vrsinæ factionis hominum studio ac diligentia celeriter defertur: qua re cognita uehementer perturbatur, quum ualido nauigij genere res suas profligaD 3 tas

tas iri videat. Caeterum à præsenti animo audax, sed euentu felix consilium capit: cum delecta nanque suorum manu tectus intempesta noctis tenebris, aduentantibus obuiam progreditur, cæteris oppidum tueri, & sui maximè præsentis speciem præbere iussis. Vix dum pontificij myoparonem ad sextum ab vrbe lapidem conuexerant: quum Liuianus inexpectatus superuenit, magnoq; impetu facto, sublatoq; ab omnibus clamore hostes adoritur. Cohors et turma præfecti vigilum assueta triumuiris capitalibus insumem præstare operam, terga protinus vertunt. Troilus strenuè dimicans, vulnerato, Liuiani manu, quo vehebatur equo, in fugam conijcitur, eo pulso cæteri profligantur, Liuianus desertum ab hostibus nauigium incendit, ac omnibus suis incolumibus, negotioq; fortiter ac feliciter cõfecto Braccianum reuertitur. Ea re pontificijs in castris nunciata, secus ac Liuianus putarat, omnium animos plurimum incitauit: quum plerunque fiat vt ex dolore contumeliæ, vel ignaui milites ad virtutem accendantur. Itaque frequentibus tormentorum ictibus Treboniani mœnia perrumpuntur. Pontificios subit miles: Vrsini multitudine oppressi cedunt, oppidum capitur atque diripitur. Treboniano capto tormenta ad Braccianum traducuntur. Ibi maiore vi plures dies est repugnatum: nam & ipse

ipse Liuianus aderat, & cohortatur & propugnator egregius, & viri fortissimi qui factioni Vrsinæ Virginioq; duci antea se deuouerãt, et loca periculi plena sibi egregia virtute tuenda desumpserant. Sæpe pontificij è propugnaculis ruinisq; procidentium murorum deterbati, sæpe eruptione certatum: repulsis fugatisque hostibus singulari eorum cum ignominia tormenta occupata, clauisq; confixa: ita vt pontificij duces Vrsinus sæpe e muro irridentibus eorumq; conatus contemptui atq; ludibrio haberi viderentur: idq; maiore ipsorum fiducia fiebat, quoniam à Tifernatibus, Perusinis, Tudertibusq; ac cæteris Vrsinæ familiæ clientibus, auxilia propediem sibi ventura sperabant. Carolumq; Vrsinum et Vitelloccium conductis in vnum copijs, ad se maturare cognouerant. Vitelloccius enim postquam è Liburno Tifernum venit, quantum equitum ac peditum cogi potuit, celeriter armauit: & phalangem eduxit ex oppidanis delectisq; agrestibus & colonis, militari disciplina institutum. Ipse enim & Camillus Paulusq; fratres vni huic rei maximè studuerant, vt aduersus finitimorum iniurias, Romanorumq; pontificum vim omni tempore sibi metuendam certa atq; domestica præsidia compararet, quum pedestri præcipuè opera bella confici pararique victorias cùm recenti maximè Gallorum exemplo, tum antiquo-

rum more, prorsus intelligerent. Erant homines intonsi simplices ipso agresti habitu, aspectuq; propemodum contemnendi, sed certa animis contumacia, corporisq; duritie & fide admodum constanti: multoq; ducum amore & parendi obsequio, optimorum militum nomine digni: eos Germanica militia more gladijs hastisq; instruxerant. Signa sequi tympanorum certis pulsibus scienter obtemperare, conuertere dirigereq; aciem, in cocleam decurrere, & deniq; multa arte hostem ferire exacteq; ordines seruare docuerant. Quodq; magno vsui semper fuit omnibus eorum manipulis miscuerant viros militares superioribus bellis exercitatos ac ingenio maximè valentes: qui multitudinem regerent, & subitis casibus atq; periculis se primos offerrent: præter hos pleriq; veterani equites aderant, Perusia, Tuderto: Narnia, atq; vrbe Roma euocati: plures ab Atella redierant: multi etiam partium studio, & propter veteres clientela necessitudines, vt semiopressis opem ferrent, in castra ferebantur. Validam quoq; cataphractorum turmam Ambrosius Landrianus Ioannis Rouorei equitum præfectus adduxerat. Coniunctis in Orthano agro omnibus copijs, Vitelloccius & Carolus Surianum proficiscuntur. Id Sabini agri oppidum inter Cassiam viam atq; Flaminiam arduo in monte positum est, vbi tum erant Bapti-

sta Card

sta Cardinalis & Iulius Vrsini fratres, qui metu pontificis vrbe profugerant. Ibi castra ea nocte habita, milites q; oppidi copijs abundè recreati. Sequenti die vix dum exorto sole, dum de itinere profectione q; deliberat, pluribus nunc ijs affertur pontificios duces de ipsorū aduentu certiores factos, Bracciani oppugnationem reliquisse sub Ciminio mōte per Capenates iter habere atque aduentare eo consilio, vt locis à Bracciano maximè remotis æquiore conditione consligant. Vix dum eorum aduentu certius cognito, vel explorato, Vrsini pontificios anteursores densis nemoribus egressos conspiciunt, & ab ijs quoq; pari prospectu atq; eodem tempore Vrsinorum castra videntur. Vitelloccius & Carolus alacriter aciem instruunt, ac expeditam equitum alam in hostes emittunt: concurritur impeditis in locis. Pontificij repentino hostium incursu perturbati, dum ad suos se recipere cupiunt, vt hostes adesse renuncient, in fugam versi, ad tormenta vsq; compelluntur. Erant in prima agminis fronte Antonellus atque Fabritius cum Romano equitatu. Is cum suorum fuga, tum hostium insolentia permoti, vti erant duces eius ætatis longè omnium manu promptissimi, extemplo concitatis equis prorupere: alijs q; subinde subsequentibus turmis, Vrsinorum equitatum multis vulneratis atq; prostratis in fugā coniecere. Erat eo loco syluæ

admodum rara. sed frequentibus dumetis impedita, quam pontificiæ copiæ iam euaserant: ab ea planities ad effigiem oblongæ conuallis vtrinq; septa nemoribus, ad Vrsinorum integros ordines extendebatur. Ibi lato spatio magna vi est decertatum: tantoq; hostium impetu Vrsinorũ primæ turmæ sunt repulsæ ac profligatæ. Vt plerique debellatũ esse iudicantes præ timore latè profugerint, Florabraccijq; ante alios Baleoni, equitum insignis præfectus ad Stipicianum vsq; suæ ditionis oppidum ingenti cursu se proripuerit. In ea perturbatione turmarum Rossetus Tifernas singularis animi vir phalangiq; præfectus, quum extra ordinem equo aduectus procurrisset, & cũ eo Franciottus Vrsinus, qui postea Cardinalis fuit, circumuenti captiq; sunt. Sed quo minus pontificij perturbatis insisterent, & in delendo hoste præsenti fortuna vterentur, locus qui à lena procerioribus virgultis densus aditum impediebat, plurimũ retardauit, ac simul Vrbinas & Candianus longius prouectos reuocauerei qui nisi productis ante aciem tormentis, promotoq; Germanorũ peditatu, quem in postremo agmine reliquerant, cum pedestribus hostium copijs confligere nolebant. Ea res manifestam eorum victoriam interpellauit: nam Vitelloccius suos confirmãdi atq; adhortandi spatium nactus, æquo in loco phalangẽ constituit eamq;

eamq; ab latere dextro totius reliqui equitatus subsidio firmauit. At dũ Vitelloccius cruentum gladium tenens, multoq; hostiũ & ipsius equi in ceruice saucij cruore perfusus, eductæ cassidis buccula ad Tifernates suos cõcionatur, & Carolus reductos conglobatosq; equites ad demendam ignominiã accendit, pontificij promouent tormenta, quorum pila altius forte collibrantibus magistris emissa, sine detrimento hostilem aciem præteruolant: tum verò cũ tota mole copiarum incumbunt. Landrianus densata suorum ala prouentes egregiè sustinet: Tifernates quoq; pedites singulari cõstantia Germanorum impressionem excipiunt, præliumq; magnis clamoribus cõmittitur. Germani iniquo congressi loco longioribus Tifernatum lanceis, qua Germanicas cubito superabant, facilè confodiuntur, atq; in conspectu equitatus ad vnum omnes temporis puncto trucidantur. Ea re conspecta equites timore conflernati, fuga se mandant. Dux ipse hostium Guido Feltrius in depressum callem ex fuga præcipitatus, dũ ruina super collapsi equi opprimeretur, Baptista Tophio nobili Vrsino equiti se dedit: & ab eo abscisis ephippij loris vita periculo eximitur. Ioannes Petrus etiam Gonzaga ab hoste circumuentus deditionem facit. Vexilla & tormenta cunctaque exercitus impedimenta capiuntur. Mutius Columna acerrimus iuuenis in inguine sagitta vehementer vulneratus

euasit. In ea fuga Bernardinum Lunatum Ticinẽsem Cardinalem, qui in castris legatus erat, adeò vehemẽter incitasse equum ferunt, vt ex pauore concepto atque ea insolita iactatione paulò post obierit. Vrsini duces ea victoria læti curandis corporibus & diuidẽdæ prædæ, biduum quietis militi concesserunt. Tertio die promota signa tunctisq; cum Liuiano copijs qui in castra ab Bracciano victoriam ducibus gratulatũ adcurrerat oppida paulo antè amissa, præter Anguillariã & Trebonianum sunt recepta. Paulò post quum Vitelloccius victoriæ moderandum, nec pontifici vlterius insultandũ esse iudicaret, & pontifex suscepti temere belli pudore adductus, mitioris animi signa præbuisset, pax est confecta auspicijs Federici Sanseuerini Cardinalis qui Vrsinã familiam eo tempore singulari patrocinio tuebatur. Septuaginta millia aureorũ nummũm ab Vrsinis impensæ nomine pontifici persoluta sunt: cuius summæ maiorem partem Guido Feltrius vt carcere educeretur appendit: cautumq; est vt Vrsini, qui Neapoli in custodia erant, sine pretio dimitterentur: curarétque pontifex vt Paulus Vitellius à Mantuano libertatem impetraret. Sed quum ad septimũ Calendas Februarias ad Surianum esset pugnatum septimo antè die Virginius in Oui arce, sento mœroreq; cõfectus, vitæ excesserat: Vir

Vir ætatis suæ summis honoribus militiæ gestis longè clarissimus: nam supra peritiæ militaris opinionẽ, quod nequaquam inane nostro seculo censetur, multo etiam splendore liberalis vitæ cultuq; familiæ, ac ipsa demum apud factiosos confirmata Romani nominis authoritate, vel æmulos Columnas proceres anteibat: quibus virtutum dotibus supra paternas opes, quæ erant amplissimæ, feliciter accumulatis, felix profectò videri potuit, nisi perinicua, aut certè fatali peruicacia ab æquo & bono importunè abductus, in ipso vindicandæ contumeliæ conatu, in arcta custodia miserrimè concidisset. Luxerunt eum non secus ac optimum parentem, exactaq; disciplinæ magistrum pernobiles alumni cum ipsi gentiles Vrsini, tum Comites Vitellij, Anguillarij, & Baleones, qui ex eius domo tanquã illustri schola prodeuntes, præclari demum bello duces euasere. Nec multo post Iordanes filius & Paulus Vrsinus à rege dimissi sunt, quòd odio ac inuidiæ vnius Virginij morte satis factum esse videretur, concessumque filio patris cadauer: quod apud Cere vetus totius familiæ concursu, & magna clientum veteranorumque militum frequentia, celebratis exequijs, tumulatum est.

FINIS QVARTI LIBRI.

PRIM

PRIMAE huius Decadis postremi sex libri clade Vrbis perierunt, quos tamen author ex schedijs exemplaribus sua fretus memoria (modò vita suppetat) restitui posse non desperat. Errera nanq; Cordubensis, & Antonius Gamboa Cantaber cohortium præfecti, quum in templo diuæ Mariæ ad Mineruam excruciatis ædituis, omnes latebras explorassent, ferratam arcam inuenerunt, in quam author elaborati argenti pondo centum & historiarū codices cōdiderat. Sed Gamboa argento contentus libros tanquam inutilē prædam abiecit. Errera verò non insulso ingenio partem eorū collegit, eos scilicet qui in membranis scripti erant, & purpureo contecti corio, papyraceos autem contempsit, eo euentu vt dissipati in fœdos vsus omnino perierint. Collectos autem ad authorem in arcem detulit. Vt præmium acciperet: idq; munus pontifex authoris lachrymis exoratus, sacerdotio rependit, quod Errera, Hispano sacerdote defuncto, apud patrios Lares magnopere expetebat.

HOR

HORVM SEX LIBRORVM, QVI CLADE VRBIS PERIERVNT, AVTHOR Epitomata apposuit, vt legentes interruptæ historiæ desiderium leniùs ferant, supplereq; volentes, ab his rerum seriem perdiscant.

***

QVINTO itaq; libro, narratur bellum inter Columnios & Vrsinos Romanos proceres ortum. Pugnatur ad Monticellum Crustumini agri ab vtraque factione: Vincentibus Columnijs, Carolus Vrsinus capitur, mòxque ciuili humanitate pace facta dimittitur, quòd Alexandri pontificis astutæ consilia in vtriusque factionis perniciem versa deprehendissent. Interim Carolus rex Galliæ, quum è ludo parua sphæra in cubiculum alienum fessus se reciperet, apoplexia correptus moritur, eiq; succedit Ludouicus Aurelianus, vir apprimè bellicosus. Florentini factionibus inter se fluctuantes, Hieronymum Sauonarolam cucullatum, de pontificis potestate male sentientem, & humanis rebus sese ambitiosius,

sius, quàm sacratum virum deceret, immiscentem, sed indignum Christianæ doctrinæ nomine, adeò atroci supplicio in foro combusserunt. Veneti qui antea hortatu Ludouici Sfortiæ Pisanos aduersus Florentinorum vim defendendos susceperant, quòd magis ac magis præsidia augerent, & Pisani eorum nouo imperio lætarentur, cum magna inuidia, in suspicionem occupandæ eius vrbis venerunt. Quibus de causis Ludouicus Sfortia, ne Veneti immodica affectantes imperia, ea opportunissima Etrusco in mari vrbe potirentur, ab eorum amicitia discedit, Florentinisq; adhærens transmissis auxilijs Venetorum duces cum magnis copijs Apenninum transcendere maturantes, vt summis iugis arceantur, operam dat. Nam Paulus Vitellius Florentinorum dux, post illata Pisanis Venetisque præsidijs aliquot detrimenta è Pisano agro reuocatus, ad tutandas Casentinatis saltus summitates, ad pagum diui Stephani peruenerat, multisq; prælijs factis, Guidonem Feltrium, Liuianum, Asforemq; Baleonum Venetos duces singulari virtute profligarat, atque deiecerat, vsque adeo graui cum dolore ab ea irrita spe Veneti Senatus, vt is implacabile odium aduersus Sfortiam conceperit, & cum nouo Galliæ rege, Alexandróque pontifice, ad conturbandum totius Italiæ statum

tum coniurarit, diuisis inter se totius ferè Italiæ vrbibus. Ex ea diuisione Mediolani principatus non obscuro iure hæreditatis Ludouico quærebatur. Is Cremonam Venetis eius belli socijs in præmium societatis & fœderis concedebat. Cæsari Borgiæ Alexandri pontificis filio, qui se à sacra purpura abdicarat, interfectóque Candiano fratre magnum imperium affectabat, Togatæ Galliæ & Vmbriæ reguli concedebantur, ascitúsque in id fœdus Ferdinandus Hispaniæ rex cum Gallo clam Apuliæ regnum fuerat partitus. Quibus consilijs ingens mox bellum exortum est. Nam Florentini recuperandæ Pisanæ vrbis auiditate, in id fœdus consensere, ea conditione, vt Gallorum auxilijs freti, Pisanos subigerent.

SExto libro narrantur res gestæ eius anni qui secularem ab Alexandro conditum anteceßit. Ludouicus Sfortia cognito rerum suarum periculo, quod aduersum se tot principes coniurassent, litem de imperio Mediolanensi per conditiones annui tributi cum Gallo componere, deprecariquo iniuriam à Venetis conatus, postquam omnia frustra tentarentur, ad Baiazetem Turcarum imperatorem confugit, per legatos quorsum hæ coniurationes tenderent, demonstrat, atque auxilium petit. Barbarus occasionem inelligit,

ligit, & terra mariq; in Venetos arma parat. Veneti ingentem classem Grimano præfecto Ionio in mari Turcarum classi opponunt. Sed Grimanus malè explicatæ classe, & trierarchis nequaquam præsenti animo pugnam ineuntibus, ad Protum insulam inter Sporadas, turpem in fugam conijcitur, quum exploratæ victoriæ penè esset in manibus, nisi trierarchi cessauissent, Albano Armerio, & Andrea Lauredano, qui vni omnium impigrè pugnam inierant, miserabili incendio absumptis. Quum in ingentem nauem Barracchi Smirnei prædonis, cum duabus utrinque celocibus vehementer inuecti, post iectas harpagonum ferreas manus Barbari desperata salute, vltro repentinum incendium excitassent, quo victi victoresque concremati sunt. Post rem malè gestam, Grimanus ad Sphragiæ insulæ portum, cui Sapientiæ nomen est, se contulit. Dauthes autem Turcicæ præfectus classis, desortis & amissis aliquot triremibus, in Naupactium sinum abscessit, Naupactumque segniter defendente Veneto, in potestatem redegit. Nec multò post Grimanus propter rem malè gestam reuocatus Venetias, in compedibus causam dixit, damnatusque est, & relegatus in Ossarum Absyrtidem insulam, inuidioso nimisque seuero Senatus iudicio, quòd nihil Dominus cardinalis pro sene patre deprecantis, sacratisq; manibus subleuantis paternos compedes, conspectus, & purpura, aut preces valuisset: Quando etiam oberta in Senatu miseri cordia, multis honestæ lachrymæ manarent, vel ob id præsertim quòd in trierarchos quosdam nobiles minus imperio parentes, no animaduertendo, pro priuata eius clementia, publicæ seueritatis pœnam subijsset. Exitu quoq; eius ætatis Scanderbassa Illyrici præfectus, cum duodecim millibus equitum, per Aquileiensem agrum in Euganeos, altissimis fluminibus superatis, populabundus penetrauit, captóque magno hominum numero, quòd nemo armatus obsisteret, & trucidatis immaniter senibus, in Tiliauenti amnis ripa, unde venerat, graui ex incendijs, & cæde luctu in his regionibus relicto, reuersus est, postquam se seram Ludouico Sforziæ opem attulisse didicit.

SEptimus liber, eiusdem anni per autumnum res gestas refert. Narratur bellum ortum inter Heluetios & Germanos Rheno propinquos. Hi Vallis Agnelinæ incolas, qui inter Rhetos, Grisoni hodie vocantur, incursione facta ferro atque igne populati fuerant, quibus opem implorantibus, Heluetij vetusto fœdere coniuncti non defuerunt, conflixerque cum Germanis ad Suarzualdum, qui

locus combusti nemoris nomen sonat. Eo prælio Aynauolebanus Heluetiorum dux peritissimus, ordines partiendo promouendoq; itæ hostium aciem perfregit, vt celebri victoria sit potitus. Sed quū ante alios pulsum loco hostem acrius vrgeret, iam planè victor, plūbea pila caput ictus occubuit. Sub id quoque tempus Paulus Vitellius Florētini dux exercitus tormentis admotis magno apparatu, sed infelici conatu Pisas oppugnauit. Quum enim Stampacis propugnaculū, quod in meridiem vertitur, deiectis atq; interfectis defensoribus occupasset, atque inde in vrbem irrupturus esse videretur, Pisani ab interiore area in eam partē ingens tormentū, quod Bubalus ab incredibili violentia vocabatur, obuerterunt. Tanta verò pilarum eius vis extitit, vt omnia munimenta à Vitellio obiecta disiceret, neminemq; propugnatorem introrsus consistere sine certa pernicie pateretur. Itaq; propugnatoribus Stampace denudato, Vitellianī pedem retulerunt, sic vt spe ferè captæ vrbis Paulus deiiceretur, & autumnus grauis exercitum inuecto pestilenti morbo mirum in modū vastaret. At Vitellij post tantas res paulo antè prosperè gestas, quòd nauissimo conatui Fortuna non arrisisset, inuidia inuasit, præbuit ijs causam accusationi Ranuccio Martiano perpetuo hosti suo atque obtrectatori, vt apud Flor

Florentinos facilè suspicaces, non vi, sed dolo cessisse, nec potiri Pisis voluisse crederetur, quòd Ludouici Sfortiæ literis obtemperare potius, quàm Reipub. commodo, extremum capiendæ vrbis periculum facere voluisset. Itaq; ea oneratus calumnia, nihil tale timens Cascina in oppido à legatis Florentinis capitur, Vitelloccio fratre per tumultum labente. Perductus autē Florentiā exquisitissimis tormentis subditur, nec quicquā quo nominis fama maculari posset, ab insonte atq; fortissimo viro elici potuit quū tantùm se à fortuna sua miserè deseri, & ingratè plecti quereretur. Sed Ranuccianæ factionis obtrectatori quem iure damnare non poterāt, impotētibus suffragijs, ne iniuriæ vltor euaderet, capitali supplicio damnarūt. Per eosdē dies Galli in Italiam trāscendūt, ac Obignino et Triuultio ducibus, Aratiū & Annoniū Sfortiani imperij arces expugnāt, atq; inde ad Alexandriam deferūtur, magnaq; vi tormentorū murū quatiunt. Sfortianis copijs præerat Galeacius Sanseuerinus. Is vti posteā dicebat, falsis Calatini germani fratris literis, quasi id iuberet Sfortia, præsidio excedere, & Mediolanum reuerti iussus, magnam partē exercitus intercluſam Pado, Gallis diripiendam præbuit, turpiterq; aufugiens, vrbem hosti occupandam reliquit. At Sfortia ad profligati exercitus, amissaq;

Alexandriæ nuncium percussus, quum fortè Simon Horrigonus Insuber homo facinorosus, Antonium Landrianum ærarij præfectum trucidasset, ab eaq; cæde expediendæ pecuniæ facultas conturbata videretur animum despondit, Comumque profectus cum Ascanio cardinale fratre & liberis, in Germaniam ad Maximilianum Cæsarem confugit. Nec multò post ex eius victoriæ lætissimo nuncio, Ludouicus rex Mediolanum venit. cui cunctæ Sfortiani imperij vrbes cum Genua deditionem fecerunt. Cremona autem ex conditione fœderis Veneto cessit. Arcem verò Mediolanensem longè omnium munitissimam atque pulcherrimam, Bernardinus Curtius insigni auaritia atque perfidia vir, qui Sfortiæ alumnus fuerat, Gallis prodidit. Per id tempus Cæsar Borgia, Helvetijs mercede conductis, adiunctóque sibi Gallico equitatu, cui Alegria præerat, Catharinam Sfortiam Forocornelij & Forolivij vrbibus expulit, dedentemque se demum, captiuam Romam duxit. Quum verò Faventiæ, Arimino, atque Pisauro imperij auidus immineret, Sfortia post quintum exilij mensem, quòd tædio Gallorum ab Insubribus accerseretur, cum manu Helvetiorum Mediolanum est reuersus. Verùm intra paucos dies post Nouariam tormentis receptam, nouus Gallorum exercitus duce Trivulzio cum Veteribus

ribus Ligniny & Triuultij copijs coniunctus, eum magnopere conterruit, ob id maximè quòd magnus Heluetiorum numerus Gallicis in castris militaret, miscerétque facilè sermones cum consanguineis suis, qui apud se stipendia merebant. Ludouicum quoque Vuldreium virum Sequanum, qui trecentos galeatos equites adduxerat, à Gallis ei notis dubitabus, solicitari ad defectionem didicerat. In eo graui metu Sfortia certa tributi pactione cum Ligninio, vt se periculo eriperet, transigere conatus est, sed eius consilia Fortuna iam pridem infesta penitus elusit. Sfortiam in Galliam perductum, Ludouicus rex nullam humanitatis & clementiæ laudem quærens in præduram carcerem sine scribendi solatio conjecit. Eandem fortunam tulit Ascanius cardinalis in Placentino agro, dum effugeret à Conrado Lando Venetis equitibus proditus. Hunc posteà Venetijs diu custoditum, deposcenti regi Senatus tradidit, vt in Gallia seruaretur.

OCTAVVS liber Baiazetis Turcarum Imperatoris in Græciam aduentum continet. Is anno seculari cum centum quinquaginta armatorum millibus ab Isthmo Peloponnesum ingressus, trinis castris ad Metonem positis, turrem portæ imminentem maioribus tormentis est demolitus, murumque tribus in

locis aperuit. Sed post varia certamina utrinque acerrimè depugnata, Ianizari pedites à sanctæ Maurę porta in urbem perruperunt, quum fortè miserabili casu Metonenses conspectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obsessis afferebãt, ut appulsos exciperent, ad mare desertis stationibus descendissent. Itaque Barbari potiti lato aditu, editáque magna cæde, Græcos simul & Venetos milites obtruncant, cohortemque dudum expositam, & à portu intrantem concidunt. In ea strage Antonius Fabritius, & Bardellæ præsidij præfecti trucidantur, Andreáq; Falconi Metonensium Episcopo, qui in sacra veste horribundus prodierat, mitratum caput barbari gladio detruncatur: neque cuiquam armato vel inermi Turcæ miles pepercit nisi quem aut ætas, aut decora forma conseruauit. Captiui longis nexi restibus supra mille perducti ad prætorium in conspectu Imperatoris trucidati sunt. Custodiæ tamen iniectis catenis trahuntur Gabriel prætor, & Balastrus quæstor cum Aurelio scriba, atque item Sebastianus è monte Silice, qui veteri præsidio præfuerat. Inde Baiazetes Coronæos Metonensium casu perterritos in deditionem accepit. Crissæum quoque à Cherseoglebassa Baiazetis genero, tormentis est expugnatum. Tentauit & frustra Nauplium Helibassa: & Pylus

Pylus olim Nestoris sedes, hodie Nauarrinum Iunco portui impositum, metu exterrito arcis custode, Barbaris est deditus. Quibus rebus gestis Baiazetes terra & mari planè victor, quod Venetæ classis nusquam congredi ausa certamen detrectasset, Bizantium est reuersus. Nec multo post à Consaluo, cui propter singularem virtutem consensus militum Magni cognomen dedit, coniuncto sibi Pisaurio Venetæ classis præfecto, Cephalenia post longos difficilesque labores expugnata est, quum Turcæ fermè omnes in vestigio stationis cum Gisdare præfecto non multi cecidissent. Pisaurius quoque, quum multa Turcis detrimenta agilitate triremium suarum intulisset, sanctæ Maurę oppidum, ad Leucadem Neritho in insula, fortiter expugnauit, Turcarum equitibus per vada reciprocantis Euripi ab Aetolico litore obsessis, opem ferre frustra conantibus. Sed nequaquam pari fortuna Gallicæ classis, quæ subsidio missa in Græciam peruenerat, mari rem gessit. Nam Rauastennius præfectus ad Lesbum insulam delatus, Mitylenásque tormentis oppugnare adortus, Turcæ se impigrè defendente, ita incæpto absceßit, ut sauiente tempestate, classis eius disiecta sit, ipseque post multa pericula ac naufragia ad Tarentum euaserit. Galliæ atque Hispaniæ reges ex composito Federicum Aragonium

adoriuntur, Magnus Consaluus tecto consilio, simulatáque amicitia Brutijs & Apulis imminet. Nam Vrsius Gallorum dux, adiuncto sibi Cæsare Borgia per Campaniam delatus, Capuam vrbem oppugnat, atque inter conditiones dedentium se ducum hostiliter irrumpit: direptisq; Campanis & Aragonijs militibus male mulctatis, Fabricius Columna & Ranuccius Martianus capiuntur. Hunc vulneratum Vitelloccius, vt Pauli fratris manibus parentaret, veneno plaga indito tollendũ curauit. Illum Iordanes Vrsinus è manibus Gallorum liberaliter præbito auro redemit. Federicus exutus copijs & consilij inops, quum antea à Consaluo opem frustra implorasset, relicto regno deditisq; arcibus, ad Ludouicum regem verum hostem nauigare quàm ad Hispanum consanguineum à quo se iniquissimè atque ingratissimè proditum querebatur, confugere maluit. Itaque Consaluus sine vulnere Brutios, & Apulos in ditionem Ferdinandi regis redegit: eoque euentu Alfonsum Federici filium Tarenti obsedit, vt quum adolescens certa libertatis cõditione inexpugnabilem vrbem dederet, contra iusiurandi religionem caperetur, vt vnicus Neapolitani regni hæres in Hispania seruaretur. Nec diu post Hispani & Galli ex propinquis præsidijs de finium diuisione disputantes, ad arma acerrimumq; bellum desc

descenderunt: Quo exorto, Gallis paratioribus, Consaluus in Barlum compellitur. Eo obsesso noua auxilia, cum ab Hispanis, tum è Germania per Hadriaticum Consaluo superuenerunt. Quibus fretus cum hoste ad Gerionem in Apulia prosperè confluxit, interfecto in acie Nemursio duce. Pari etiam fortuna in Brutijs Vgo Cardonius Obigninum Gallorum ducem ad Semenariam debellauit, quum ab eo paulo ante apud Gioiam Brutij agri, acie fuisset profligatus geminataq; eo modo Hispanorum victoria, Gallis vix retenta Caieta, Neapolitano regno depulsis sunt. Sub id tempus Cæsar Borgia, qui quatuor Varanios proceres antiquissimæ stirpis Camertes necarat, vt eorum imperio & opibus potiretur, Guidonem Feltrium Vrbino, Pandulphum Malatestam Arimino depulerat, Astoremque Manfredum expugnata Fauentia sub fide deditum strangularat: Sanguinarias manus Vrsina factionis atque familiæ proceribus admouit. Primo Vitelloccium ab insigni virtute inuisum, & Liberottum Firmanum, moxq; Paulum Vrsinum Latini cardinalis filium, & Franciscum Vrsinum Grauinæ regulum in Vmbria tetro supplicio sustulit: eodemque die ab Alexandro pontifice ad constitutum tempus: Baptista Vrsinus cardinalis in mole Hadriani cantaridum veneno sublatus est. Sed Italicæ nobilitatis

tis stirpes excindenti, affectantiq; regnum Italiæ, non diu Fortuna arrisit: quum cœnaret enim Vaticana in villa inuitatus à patre pontifice venenum bibit, quod cōiuuis quibusdam senatoribus ditissimis paratum erat, fallente lagenas incautè à poculis ministro. Sed Alexandro vim veneni non ferente, ipse Cæsar paterno funeri miseriæq; suæ interfuit. Nam Iulius Alexandro suffectus, eum exutum exercitu, in arce sub custodia tenuit, quo admissis tesseris arx Ostiensis redderetur. Fide demum à Consaluo accepta, Neapolim nauigauit, vbi dum compararet copias, & nouas res molturus videretur, captus est, & in Hispania custodiendus ad Setabam transmissus. Alexandro mortuo atque item Pio tertio, qui paucissimis diebus regnauit, nec adhuc per comitia Iulio creato, nouus Gallorum exercitus Romam intrauit, Tramulio, & Francisco Gonzaga Mantuano principe ducibus. Ii Appia atque Latina via bipartitò regnum ingressi, nulla memorabili re gesta, totam ferè hyemem in Aquinate, & Fregellano agro consumpserūt: mirificè eis resistēte Consaluo, qui Lyrim amnem ponte transgredi ausos, fortissimè repulit: castráque demum eorum adortus, quum noctu superioribus vadis copias omnes traduxisset, in sædam fugam per Formianum litus cum multa cade coniecit. Quo aduerso rerum succ

cessu, Galli duces animis fracti Caietam dediderunt, ea conditione, vt sua classe vecti, inermes in Galliam redirent.

LIBRO nono Iulius pontifex, Ioannem Bentiuolum ab inueterata tyrannide, cætuq; audacium filiorum præpotentem Bononiæ expellit, ope Gallorum aditus, qui ad portas exercitum admouerant. Bentiuolus septuagenarius senex, animum despondens, quum ferociam imminentis Pontificis magnopere timeret, ad castra Gallorum confugit, nullo in suprema rerum difficultate, aut virtutis, aut industriæ conatu edito: sic vt postea apud Mediolanum in exilio perierit. Domus eius incomparabilis structuræ, quam media in vrbe ædificarat, vt abominandi dominatus memoria tolleretur, concursu populi à fundamētis euersa est. Sub id tempus Philippus Maximiliani Cæsaris filius Belgarum princeps, in Hispaniam nauigauit, vt Isabellæ socrus dotale regnum adiret. Receptus est ab Hispania proceribus vsque adeò studiosè, vt Ferdinandum regem socerum desererent, cui tanquam seni & parum liberali facilè omnes florentem ætate & splendore vitæ nouum regem anteponebant. Ferdinandus suorum leuitatem perfidiæ proximam detestatus, Neapolim nauigauit. Nec multo post Philippus ab intemperie noui cæli, cui Belgicæ epulæ minimè congruebant,

bant, obortaq; febre surreptus est. Eius mortem luridus cometes portendit, qui per aliquot dies ad occiduam plagam arserat. Exinde Ferdinandus Neapoli rebus compositis, & Magno Consaluo propter affectati regni suspitionem abducto, ad sua regna rediens, collocutus est cum Ludouico Galliæ rege apud Sauonam, de inuadendisque Venetis consilium ab utroque initum est. Tum enim Ludouicus Genuenses armis subegerat, quum pulsa nobilitate statum popularem induxissent, resistereque ausi è culminibus montium deiecti, victiq; ad Gallicum imperium impetratæ venia redijssent. Paulus Nouius vir plebeius qui ad summum honorem fauore plebis erepserat, inauspicati principatus pœnas capite persoluit. Secutum est demum bellum, quod Germani authore Cæsare cum Venetis gesserunt, partim à Carnicis Alpibus, partim ad Tridentinas iuuces. Hinc ad Petram castellum Pitilianus & Triualtius cum Gallicis copijs, Hispanorumque cohortibus, Germanos facile repressserunt. Ad Caburium verò oppidum alteram Germanorum manum per nimios Carnorum iuga, Liuianus ita cæcidit, vt ab eo cruento prælio, aliquot oppida Germanicæ ditionis, & in his Tergestum vrbem vi expugnata, Veneto imperio adiecerit. Quæ affectus iniuria Cæsar, concitante Iulio pontifice cum

cum cæteris Europæ regibus coniurauit aduersus Venetos: eáque coniuratione Italia suprema propè adijt cladem. Veneti enim immoderata affecti cupiditate, peramplum, ob idq; inuidiosum ex aliorum ruina imperium considerant: fremente pontifice quòd Ariminum atque Fauentia vrbes pontificio imperio erepta, ex æquo & bono sapiens repetita, minimè redderentur. Non ferebat Gallus Cremonam ditioni suæ detractam, & Hispanus rex nequaquam sibi integrè partum Neapolitanum regnum existimabat, quum maritimæ Apulorum vrbes oppignoratæ iam pridem ab Aragonijs, Sypontus, Tranium Monopolis, Brundusium & Hydruntum, Venetis præsidijs tenerentur. Coiuere legati principum ad vrbem Cameracum in Belgis, decretúmque est communibus viribus in Venetos bellum, tanto silentio, vt quum eius suscepti consilij suspitiones emanarent: Venetijs nequaquam maturè crederetur. Eo modo Ludouicus in Italiam cum ingentibus copijs transgressus, ad Abduam Venetos castra conferre, atque aciem tentare ausos cum magna cæde profligat, capto Liuiano. Secundum eam victoriam intra pauciſſimos dies, non modò sua quæ repetebat, Bergomum, Cremonam, Cremam & Brixiam sine vulnere recepit, sed eodem terrore Veronam, Vicentiam, atque Patauium, Cæsari

sari capienda præbuit, quòd deleto exercitu cum paucis Pitilianus, desperatis rebus ad Mestrium extremum continentis oppidum refugisset: Pari quoque cursu Iulius non Ariminum modò atque Fauentiam, sed Ceruiam & Rauennam recepit, vltróque Senatus Venetus Apuliæ vrbes, Hispano regi dedendas curauit: sic vt tanta modo Veneti imperij fortuna Italis hominibus planè miserabilis, externis verò ridenda videretur, quando vni omnium Turcæ pacis paulo antè confectæ memores, non modo fidem seruarint, verùm auxilia in id bellum amicè studioséque obtulerint. Sed barbaro regi, quòd fidem pacémque egregiè tueretur gratias egit, quum huiusmodi auxilijs nequaquam è Republica vtendum esse censuisset. Nauarrus ex gregario milite, commendatione virtutis dux factus, quum antea auspicijs Ximenis archiepiscopi Toletani classem sua pecunia adornantis, Oranum Mauritaniæ emporium, in magno portu occupasset, Buziam demum in Numidia vrbem Mahometanorum gymnasio claram cepit atque diripuit emensoq; inde Africæ litore Tripolim inter duas Syrtes, terra mariq; admotis copijs expugnauit. Sed reuectus ad Mænicem insulam, quum Girapolim adoriretur, insigne accepit detrimẽtum. Ingruentibus enim Barbaris, Hispani milites per loca aquæ indi-

ga-

ga, torrente Sole sitim perpessi, ordines seruare nequierunt, versiq; in fugam, dum ad nauigia quæ in alto erant, deficientibus scaphis enatare properarent, ab hoste cædebantur. In eo tumultu Garzias Toletanus illustris iuuenis fortiter repugnans est interfectus.

DECIMO libro, Andreas Grittus Venetus legatus Patauium, segniter tuentibus eam vrbem Cæsarianis, recepit, Leonardo Dressano non diu tuente arcem. Is quòd esset Vicentinus ciuis, in baratrum teterrimi carceris Venetijs est deiectus. Quatuor verò è Patritijs Patauinis, qui stultè perfidioséque Venetis se auersos ostenderant, in foro Veneto latronum more strangulati sunt. Maximilianus Cæsar, suorum incuria amissam vrbem vt reciperet coacto validissimo exercitu è Germania descendit, ad quem Gallorum & Hispanorum Pontificiorumq; militum auxilia accesserunt. Sed latè prostratis muris oppugnatio eum habuit euentum, vt Pitilianus constantissimus dux, vrbem insigni cum laude defenderit, irritóque incœpto Cæsar in Germaniam redierit. Post seruatum egregiè Patauium, Veneti contra Alfonsum Ferrariæ principem, aduerso Pado, classem viginti triremium miserunt. Eam Ferrarienses post varia accepta incommoda, authore Hippolyto Atestino cardinale, tormentis sub aggere constitu-

tutis ita perfregerunt & demerserunt: vt Vix Angelus Triuisanus classis præfectus effugerit. Senatus Venetus graui salubrique suscepto consilio, veniam pacemque à Iulio pontifice per legatos supplex petijt, facileque impetrauit, quum ille generoso spiritu publicum Italiæ corruentis decus, discrimenque prospiceret. Magno siquidem ei pudori erat, sacrorum principis personam sustinenti, subiectũ non parcere, quando ipse feruidiore ira concitatus, nobilissimæ Reipublicæ excidium parasse diceretur. Id factum nouarum cladium initium fuit. Nam Iulius Venetos defendens, Alfonso Ferrariensi bellum intulit. Hunc Ludouicus Rex, quum tuendum susciperet, Pontificis hostis effectus est. Cuius controuersia is extitit finis, vt Gallus per Triuultium ducem, profligato pontificio exercitu, cui Feltrius præerat, Bononiam reductis Bentiuolis, Pontifici eriperet. Ea vis Pontificio nomini illata, deprecante iniuriam Iulio, atque opem implorante, vniuersos prope Europæ Reges, aduersus Gallos ita concitauit, vt Africanæ legiones à Ferdinando rege, quæ pontifici opem ferrent, in Italiam mitterentur: Heluetijq; pontificem contra Gallos tuendum susciperent. Gallus suis subnixus viribus, sacra anathematis tela contemnens, vt omnem Pontificiæ authoritatem conuelleret, Concilium Pisis indixit

dixit, concedentibus primo Florentinis, & mox Gallica præsidia respuentibus, sic vt sacerdotes à Iulio transfuga Pisis exacti, Mediolanum confugerent, atque ibi Concilium celebrarent. Interim Gasto Foisseius sorore Ludouici regis genitus, copijs præficitur. Is semel atque iterum Heluetios infesta populatione in agrum Insubrum descendentes repressit. Bononiensibus raptato per lutulenta itinera valido exercitu, opem tulit, quum Hispanorum & Pontificiorum mœnia quatientium vim ægrè sustineret Alegria Gallici præsidij præfectus. Eius aduentu non planè maturè cognito, Nauarrus atque Cardonius tormenta retraxerunt, & se per Aemiliam viam receperunt, ne ante portas bellicosæ ciuitatis cum Gallis prælio congredi cogerentur. Gasto liberata Bononia, incredibili celeritate aduersus Venetos traiecto Pado conuolauit, qui Brixiam proditione receperant, arce adhuc Gallico præsidio retenta, ad quam expugnandam, quum Paulus Baleonus à Senatu mitteretur, in itinere Gastoni fit obuius ad turrem Magnanimi, quæ est prope Athesim statimq; improuisa strinque exorta est pugna, qua Baleonus viribus impar, profligato exercitu suo, quum Athesim tranasset exfuga vix seruatus est. Ea bene regesta, Gasto vbi Brixiam peruenit, per arcem ingenti cæde edita, vrbem

recuperauit, capto Gritto. De Aloisio autem aduocato, qui defectionis author fuerat supplicium in foro ipso spectante desumptum est. Directa miserabilem in modum, & cadaueribus repleta Brixia Gasto Vnde Venerat, rediens, superato rursus Pado, pugnæ auidus, ad oppugnandam Rhauennam delatus est, ratus vti euenit, Cardonium atque Nauarrum obsessa vrbi ad non dubiam conserendæ pugnæ occasionem, opem allaturos. Sed oppugnantem triduo fortissimè sustinuerunt M. Antonius Columna, & Petrus Castrius. In ea oppugnatione Gasto Spinæum tormentorum magistrum, & Cetellionem è Colinæa familia, ducem clarissimum tormētis ictos amisit. Quum verò hostes aduentare cognosceret, castra mouit, transgressus à Vitim amnem quæ hodie Aqua dussa appellatur, cum hoste conflixit. Eo prælio longè omnium cruentissimo, tormentis vtrinque acies prosternentibus, res gesta est, sed maiore Hispanorum incommodo, quum Alfonsius Ateſtinus qui primam aciem ductabat, capto opportuno circuitu, tormenta sua, in latera hostium direxisset, non paucis etiam è numero suorum interfectis. Verùm Gasto ingenti potitus victoria, quum recipiente se per aggerem Hispanorum legionem intemperanter persequeretur, immoderata virtutis iuuenis à globo hostium circumuentus

tus, atque interfectus est. Galli prope pari affecti clade, campo atque hostium castris potiti sunt, atque inde Rhauennates se dedentes, contra fidem, violatis etiam templis, magna clade affecerunt. Eo prælio captus est Ioannes Medices Cardinalis Pontificis legatus, & cum eo Nauarrus. Supra verò quadraginta maiorum minorúmque ducum cadauera, repertæ sunt. Secundum autem famam prælij Rhauennatis, Heluetij à Iulio infracti animi Pontifice in auxilium excit, per Tridentinas alpes intra pauciſſimos dies in Veronensem agrum descenderunt, repulsóque ab Athesi Gallorum exercitu, cui Palicia præerat, retrocedentes, nec congredi ausos Gallos, Ticino in vrbe obsederunt. Nec multò pòst quum Baleonus cum iusto exercitu tormentorúmque apparatu Heluetijs se coniunxisset, Galli Ticino eiecti, compulsique in fugam vltra Alpes redierunt, atque ita Iulius liberatæ à Gallis Italiæ titulum prætulit egregiéque vltus est Florentinos, qui authore Soderino ipsorum dictatore, concilio sedem dedissent, reduxitque in patriam Ioannem Medicem Cardinalem, qui magno casu è Gallorum manibus elapsus, cum reliquijs Hispanorum in Etruriam peruenerat. Sed Iulius septuagenarius senex vel felix ea victoria, lethiferum concepit mor-

bum: Romæq; fato functus est. Successit autem ei Ioannes Medices, in comitio iuniorum suffragijs subleuatus: qui Leo mutato de more eius nominis Decimus appellatus est.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XI.

LEONE Decimo pontificatum ineunte, quum is ad tertium Idus Aprilis thiarã sacri imperij, more maiorum accepisset, & dies quo ad Rhauennam captus fuerat, circumagente se anno, infaustus tanti spectaculi celebritate ex atro in candidum verteretur, ex Rusi legati literis cognitum est, Ferdinandum regem occultas cum Ludouico induciasse pepigisse. Ea re Britanniæ regem grauissimè commoueri, quòd se deceptum à socero quereretur, cuius hortatu Dorsetium cum valida classe, ad inuadendam Aquitaniæ oram transmisisset. Enimuerò Ferdinandus cunctas belli rationes fœderúmque iura, vel cum pudenda mutatæ fidei labe, & graui sociorum iniuria, ad

commodum suum referre erat solitus. Nam postquam Ioannem Cantabriæ regno expulsum, Gallicisque armis id repetere conantem Albanij virtute repulerat, noui regni gentem Albretis antiquis regibus deditam inducias spatio confirmandam existimabat, ratus vtique opportuni eius regni accessionem multo potiorem vtiliorémque defensione Cisalpinæ Galliæ, cuius auiditate Ludouicus inde pulsus vsque adeò ardere videretur, vt Ioannem ex antiqua Gallorum amicitia, recentique eius societate regno electum, atque ob id apud se exulem, tota spe recuperandi regni dejicere non puderet. Ex horum enim longè maximorum nostræ tempestatis regum ingenijs, & tum liquidò, & multum anteà præclarè compertum est nihil omnino sanctum & inuiolabile, vel inrite conceptis sanctisque fœderibus reperiri, quod in proferendis imperijs augendisque opibus, apud eos nihil ad illustris famæ decus interesset, dolóne & nusquam sine fallacijs, an fide integra veráque virtute niterentur. Itaque Ferdinando, quòd de inducijs occultè transactum erat, egregiè dissimulante, & Gallis arma parantibus, Moronus Maximiliani Sfortiæ legatus à Leone supplex maturam opem implorat: Placentiam, Parmámque vrbes, si Sfortia deseratur, ad Gallos redituras docet. Venetos porrò aduentanti Gallo

ti Gallo minimè defuturos demonstrat, quòd per summam iniuriam Brixia excluſi, ex nouo fœdere Cremonam repetant, & Veronam quoque Gallicis freti auxilijs se recuperaturos sperent. Proinde maturè cauendum esse, ne consilia Iulij fortissimi pontificis non sine diuino numine ad Italiæ libertatem explicata, tótque partis victorijs egregiè confirmata, cum dira rerum omnium conturbatione subuertantur. Ipsum autem sociorum omnium esse vnum, qui imminentibus malis occurrere possit, & præclaro facto res omnium seruare incolumes, postquam Hispanus à fœdere iam planè discesserit, si pecuniam ex sacro ærario Sfortiæ suppeditet, vt persolutis stipendijs Heluetij ingentibus animis ad tuendam Sfortiæ causam parati, in vetere studio & fide contineantur. Hæc disserenti Morono, vehemens adiutor aderat Sedunensis Cardinalis, qui ex professo Gallorum hostis, suæ gentis principes Sfortianæ causæ, quæ pontificiam dignitatem includeret, ius & nomen constantissimè defensuros pollicebatur. Eos enim vbi pontificem, & nouo nomine, & paterno spiritu generosum, nihil animo labare, sed pontificij Italicique nominis decus augusto constantique decreto tueri velle audierint, extemplo inuictis armis ostensuros, quo studio, qua fide, qua denique virtute, hastatus

miles Heluetius pro socijs semel in tutelam receptis, aduersus sacrosanctæ maiestatis violatores pugnare sit solitus. At Leo de commutata Ferdinandi regis voluntate certior factus, præsentique adductus periculo, quòd iam Galli ad Cottias alpes peruenissent: tametsi vti accidit nouo principatu, nondum rerum publicarum cogitationes explicasset: graui tamen expeditóque iudicio, ijsdem quibus Iulius fortiter glorioséque ire instituerat consiliorum vestigijs sibi consistendum existimauit: eo quidem temperamento, vt aperte neminem offenderet, & pacificatoris nomen sacrosancto omnium parente dignissimum tuerentur. Sfortiæ nanq; salutem omnino negligere populiq; Heluetij amicitiam tanquam vtilem decoramq; Romano pontifici, nisi impensè & grauiter æstimare non poterat, postquam Iulius Maximiliano Sfortiæ legitimis ideoq; felicibus armis restituto, paternam ei ditionem ex decreto senatus adiudicasset: & populus Heluetius fide, virtute, & recenti victoria inclytus speciosó decoroq; titulo defensor pontificiæ libertatis esset appellatus. Itaq; Morono in stipendium pecunia numeratur, quam ille magnis itineribus Placentiam cõtendens, Heluetijs cohortibus diuidat, egregium Leonis studium ostentet: detáq; operam, vt Cardonius, qui tum ad Trebiam amnem habebat castra, superato Pado

Pado, cum Heluetijs se coniungat. Sed his ad famã propensi amiciq; Pontificis abundè exhilaratis, & quod summæ rerum intererat, præsentis pecuniæ conspectu opportunè confirmatis, nihil plus à Cardonio de inducijs ab rege suo pariter & à Gallis diligenter edocto impetrari potuit, quam vt promouendo castra, Padum traiecturi speciem præberet, & Romana via præter Clastidium atque Derthonam, Hispani leuis armaturæ equites, ad continendos in fide socios Gallorũ metu nutantes, excurrere iuberentur. Verum ea simulati auxilij ostentatio vel multis impetratæ precibus, magno detrimento socijs cessit: Nam quum Piscario cum peditatu præeuntes equites subsequenti, Vicoirrenses tanquam rapacis ac impotentis gentis timore adducti, portas clausissent, nec postulanti commeatum nisi corbibus è muro demissum præberent, vsque adeò grauis toto agmine indignantium militum fremitus est exortus, vt cohortes sub signis arma caperent, vlturæ contumeliæ quòd ab agresti inhospitali q; populo minimè receptæ, sub diuo tendere cogerentur. Itaq; facto impetu prolatisq; tormetis muro portaq; succedũt: refractoq; pote ligneo & deiectis ex muri corona defensionẽ parantibus, nihil vetante Piscario in oppidum irrupunt: crudeliq; cæde edita, per se opulentũ, et ex terrore

rore Gallici belli eò confugientium diuitijs refertum hostiliter diripiunt: insigni cum infamia Piscarij ducis, qui aduersus miserè atque improuidè obsistētes socios dignitatem suam, vel iniquo maximeq; sæuo facinore edito, vt milites ditaret, tueri cōtendebat. Interea Ludouicus ex inducijs ab Hispania omni belli metu liberatus, et valida classe in Oceano aduersus Britannos Armorici litoris vrbes defendens, duos summæ authoritatis atque petitiæ duces, qui Alpes transcendant, Tramulium atque Triuultium deligit, euocat Robertum Sedanium in Eburonibus principem cum nigra Germanorum legione, atq; item Aloisium Beomuntium è Cantabriæ finibus accersit, cum his Vasconum cohortibus quæ paulo antè Palicia duce ad Pompelonem cum Hispanis bellum gesserant. His quoque admiscet è Gallia aliquot peditum vexilla delectæ iuuentutis, quòd tum honestissimus quisq;, qui non esset ad equum rescriptus, alacritate insigni pedibus militare decorum putaret. Hos omnes magno tormentorum apparatu instructos in Italiam maturare, communicatisq; cū Veneto Senatu consilijs, Sfortiam solis Heluetiorum auxilijs confisum adoriri iubet. Veneti enim ab Hispanis contra fœdus intercepta Brixia indignè pro hostibus habiti, cum Gallo in amicitiam redierāt, his legibus renouato fœdere,

vt con

fecto cōmunibus armis Sfortiano bello, Cremona potirentur, & reliquas demum suæ ditionis vrbes Gallorum adiuti copijs recuperarent. Quibus obsignatis tabulis, Liuianus diuturno atq; durissimo carcere eductus, in Italiam venerat & à Senatu in honore militaris imperij Pitilianō suffectos, nouas copias veteribus addendo, iustum atque optimè instructum exercitū comparārat. Idem quoq; ex fœdere concessæ libertatis beneficium Grittes tulit, quem superiore anno Brixiæ captum diximus. Huic coniunctum est vt Tramulio atque Triuultio comes iret, & pro legato expediendis consilijs castra Gallica sequeretur. Eodem quoque tempore Ludouitus intentus, in eam curam, vt Genuensem arcem quam Laternam vocant, obsidione liberaret per Renatum Sabaudiæ bastardum cum Adurnijs fratribus egit, vt coacta per Apennini vicos Ligurum manu, nouas res Genuæ aduersus Fregosios molirentur. Præerat tum Liguriæ Ianus Fregosius studio atque opibus Iulij pontificis in ciuitate principatum consecutus. Is paulo antè Hieronymum Fliscum summo loco natum, Gallicus studentē rebus, quum exiret è curia, per propinquos suos sanguinarios homines singulari crudelitate trucidarat. Quæ cæde exacerbati fratres eius, Othobonus et Sinibaldus, ita vrbe excesserant, vt paratis ad

vind

vindictam animis, cum Adurnijs Fregosiorũ hostibus consilia atq; arma consociarent. Ab eo atroci facto Ianus populari inuidia vsque adeo defl.agrauit, vt iam planè auersa magna Senatus parte, vim imperij agerrimè retineret, quod Adurnij Gallica instructi pecunia per Pulciferæ valles aduentarent, & Præianes Gallicæ classis præfectus Ligustico mari vagaretur, obsessisq; in arce Gallis per minora nauigia ad fallendã magnarum nauium custodiam idonea commeatum sæpe submitteret, eo grauiore Genuensium incommodo, quòd mercaturæ negotiationes intercluſa nauigatione sustulisset, totusq; curuatæ molis portus Laternæ arcis tormentis expositus, ab eo periculo inutilis atque infestus redderetur. Quarum difficultate circumuentus Ianus, quòd neq; pecuniam imperare, neque imperatam à factiosis dubijsq; ciuibus exigere auderet, animũ despondit. Adurnij nanq; opinione celerius in suburbana tecta ad diui petri Arenam peruenerant: commissoq; peracri prælio in ascensu collis qui Laternæ arci immineret, vrbemque despicit, Fregosias cohortes in fugã verterant, necq; in eo tumultu quisquã è populo turbulentis seditionibus assueto defuit, quin secundis acclamationibus victores excipereti et Flisci pariter à diuersa porta armatis clientibus vrbem introirent, à quibus Zacha

Zacharias Iani frater vnus è percussoribus Hieronymi, trucidatus & pedibus raptatus per vrbem, patratæ cædis pœnas dedit. Ianus autem in eo occupatæ vrbis aduerso fremitu, conscensa nauicula ad suam classem profugit. Nec multo pòst Antoniottus Adurnius saluis Galli regis auspicijs, & Laternæ arcis custodibus omni genere commeatus abunde recreatis, à Senatu populoq; ciuitatis atque Liguriæ princeps est appellatus. Dum hæc in Liguria geruntur, Helvetij de Gallorum apparatu transituq; Alpium certiores facti, concilio indicto, dictisq; sententijs, admirabili pagorum omnium consensu, Sportiam omnino defendendum censent, viri longè omnium promptissimi, gerendo bello duces deliguntur, & ante alios Altosaxus antiqua sua nobilitate clarus, & tum præcipua de exactis Italia Gallis laude illustris, qui sublatis vexillis confestim in Italiam contendant. Itaq; passim scribuntur milites, nullo proposito stipendio, nullaq; præsenti pecunia, quod nunquam antea acciderat, nomina dantes, tanta quidem alacritate, vt mirum videri posset noua odia, veteribus fidelis amicitia fœderibus inducta, tantum valuisse. Fert enim homines probeq; constantes, & sua simplicitate generosi, a quo animo ferre non poterant, quòd Ludouicus varias ipsorum forti opera multoq; sanguine victo

victorias consecutus, illiberali demum ingratoq; ingenio, vt minores bello sumptus faceret, Germanos vagæ incertæq; militiæ mercenarios & ignotos, ipsis prætulisset, qui & vicini essent, & Galliam omni tempore aduersus externã vim promptissimè defendissent. Primi omnium Vraniæ, Suithiæ, Vnderualdiæq; prætores, quos Hamanos vocãt, vti Italiæ proximi, Alpes trãsierunt peculiari etiam rerum suarum metu concitati: superioribus enim bellis ereptæ Gallis Bellizona, & Lugano demum occupato, in Italiam imperij ditionem extenderant, quam omnino tueri oportere, cum magni prouentus, tum publicæ existimationis causa iudicabant. Hos continenti agmine reliquæ cohortes è Glarona, Zuchio, Lucerna, Cesusio, et demum ex interuallo Tigurinorum & Bernensiũ summæ authoritatis atq; potentiæ, Pagorum vexilla sequebantur. In postremo agmine, in quo erant quinq; millia delectorum peditum, fuit Altosiuxus, per dispositos in itinere commeatus quantum fieri viæ compendio posset, per Grisonos festinare iussus: Ad hos enim Lepontiæ alpes pertinent, quæ Spluga & Septa nomine hodie vocantur, & è Curia Rhetorũ vrbe per Clauennam ad Larium lacum perducunt. Sub idem tempus Sfortia aduersis nutantis Liguriæ rumoribus, & Sacramori Vicecomitis inexpect

expectata defectione perculsus cum primis Heluetiorum cohortibus Nouariam contenderat: & opportuna in vrbe tutus ab insidijs, aduentantes legiones expectaret. Sacramorus circumualland æ arci præerat, vir principe ortus familia, sed maiorum suorum virtutis & gloriæ penitus oblitus, vtpote qui fortuna suæ minimè contentus, ad antiquum inclytæ domus decus, nequaquam bonis artibus aspiraret: Alebat enim circa se audaces veteranos ab egestate atq; superbia cædibus assuetos & maleficijs infames, & in his aliquot primæ nobilitatis adolescentes dissolutæ vitæ perditos & effrænes, qui a parentũ imperio gratiaque dilapsi, licentiæ militaris libertatem quærebant. His omnibus in turmas cohortesq; descriptis, Sacramori fratrumq; domus, penuarijs copijs inconditè & liberaliter expositis, ita patebat, vt quum extra modum prodigo, neque patrimonij prouentus neq; stipendia sufficerent, vecordia præceps ad retinendum instituti luxus nomen, nonnunquam in pecuniosos fœneratores, & opifices noctu grassaretur, atque inde infame noui Catilinæ nomen apud Insubres referret: nec insulsè quidem, quum multo ære alieno oppressus, ne decoqueret, sibi omnino coniurandum arbitraretur. Quibus de causis, quod se multis inuisum, & principi suspectũ nosset, cum Triuultio transe-

git vt alæ equitum præfectus regia stipendia mereret, quæ erant maximè opulenta atque perpetua. Interim daret sedulò operam, vt obsessorum inediæ occurreret: & si fieri posset, Sfortiæ per insidias interficeretur. Vt cum insigni munere, quo tota belli controuersia finiretur, ad regem transiret. Ab hac pactione, nocturnæ stationes ad Galli munitionē ita sensim laxatæ sunt, vt Galli ex composito exeuntes, singulis noctibus paratum, & gratuitò traditum omnis generis commeatum in aream referrent. Sed ea dissimulatio non occultæ plena perfidiæ diu tegi nō potuit quin emanaret, prodentibus fortè batulis, qui quaterni multo labore succollantes integram vim vegetem, ad Gallum obsessæ arcis intempesta nocte comportassent. Hac re deprehensa Sacramoroq; detecto atq; eo vim parante, Maximilianus per se pauidus, monentibus amicis vt sibi caueret, desperatis Hispanorum auxilijs, Mediolano excedens (vt diximus) Nouariam contendit. Meminerat enim se non multum antea, quum è festo matronarum conuiuio noctu sine funalibus in curiam rediret, occursu incognitæ armatorum cateruæ insolenter atque acriter omnibus telis petitum fuisse, quo tumultu Galeacius Sfortia Pisaurensis principis frater ipsius lateri comes hærens glande trajectus interijsset, nonnullis pro

proculdubio eam vim atrocis facti nequaquā fortuito sed parato dolo illatam, ad Sacramori satellites referentibus. Constabat enim Sacramori domum, quæ vna ex Vicecomitibus Magni Matthæi posterorumq; eius Mediolani principum, quanquam ex notho proauo veram stirpem respiceret, Sfortianis tanquā insitijs nouis q; principibus imperiū semper inuidisse, quòd post Philippum Fato functum ex Blancæ spuria connubio fieri armis, illud intercepisse viderentur. Tum verò Sacramorus quòd nullius iam loci, Sfortia profecto, tendendis insidijs relinqueretur, nihil sibi mora attulit, quin impotentis animi perfidiā nudaret. Iam enim Galli duces à Taurino ad oppugnandā Nouariā conuolabant, & Liulanus transuersis itineribus per Tartari amnis paludes perducto exercitu, ad occupandā Cremonam iter intenderat. Primū omniū aduocata concione cōmutatæ voluntatis causas exponit, noui consilij necessitatē demonstrat, opimiora stipendia, & præmia ex liberalitate opulentissimi regis singulis pollicetur, patefactaq; munitione, aliquot euocat Gallos: explicatis q; regijs vexillis, ingenti armatorū stipatus agmine, per mediā vrbē in forū percurrit: occupat extemplo curiam, plebiq; diripiendam præbet, nec vlli tamē ciuium ab armatis vis infertur. Eximde populum tantæ rei nouitate & certo

metu à Gallis & Venetis imminente perterritum, patritijs improuiso timore præpeditis, hortatur, vt ad veterem Galliæ regis fidem redeat: Sfortiani dominatus obliuiscì velit: qui multis ab iniqua proscriptione exilium, fugam, egestatem, compedes & fœda necis laqueos attulerit: quando Ludouicus ad nõ iubiam clementiã semper victor, ab immensis q3 opibus regũ maximus, rapaci sæuoq3 tyranno semper egenti, & iam planè ab omnibus deserto præferendus videatur. Per hunc modum Mediolanenses, vt plerunq3 accidit ex timore in nouam spem proclinatis, arma tenenti facilè parent: nouum Ludouico regi sacramentum dicunt: restitutoq3 Senatu, Sfortiana insignia publicis locis deradũt. Nec multo pòst Sacramorus pacata vrbe accitus in castra, quòd Heluetij numero aucti præter opinionẽ feroces animos præferrent, & prælio certaturi viderentur, supra octingẽtos galeatos equites educens ad Ticinum amnem contendit. Eodem tempore quo hæc Mediolani gesta sunt, à Gallis ducibus ad Agapitanã portã magno tormentorum apparatu Nouariæ mœnia quassabantur, tam graui ciuium metu, quàm insigni Heluetiorum alacritate. Hij enim egregio consensu intrepidis q3 animis, quanquã prostrato adapertoq3 penitus muro, ita vim tanti instructi exercitus, & Gallorum minas despicieb

spiciebant, vt nullum introrsus aggerẽ more militiæ, nullaq3 prorsus ad sustinẽdum inuadentis hostis impetum munimenta se erecturos profiterentur, frustra obsecrante Siluio Sabello, vt transuersam saltem fossam Italorum militum ciuiumq3 labore iuxta ruinas perduci sinerent. Idem quoq3 cæteri Sfortiani proceres non ignari militiæ postulabant, & ante alios Ioannes Gonzaga, Alexander Bentiuolus & Camillus Montanus Prætorij præfectus, quòd fortibus aquè & peritis ducibus maximè decorum foret, de temerarijs hostibus minore quàm fieri posset labore atque incommodo victoriam retulisse. Sed his obtestationibus superba fronte reiectis, Iordinus Vnderualdius præstantis elatiq3 animi Tribunus, ad eos conuersus, desinite viri, inquit fide & dignitate vestra illustres, vobis timere, & tantopere soliciti esse de belli euẽtu: Nam his armis, forti dextra alabardam quassans, & hastatorum coronam ostendens, cùm publicam omnium salutẽ tum maximè principis decus & dignitatẽ nostrã proculdubio strenuè atq3 feliciter defendemus: modò Gallis sua inani iactantia ferocibus, tantum animi tantumq3 bellici ardoris insit, vt propius accedere intraq3 per patentẽ murum audeant. Experientur enim qua disciplina constantia, quo robore animorum, qua deniq3 vi corporum, Heluetiæ

utia legiones hostes secum congredi ausos excipere vicissiq́ solita sint. Tum verò ad mouendam irridendámque Gallorum audaciam, qui promota acie se irrupturos quum signum daretur neminiq́ parsuros iactabãt, quòd nemo vnquam tanta hostium contemptione factum antea meminisset, lectorum linea transuersis suspensa perticis, contra hiatus prostrati muri prætenderũt, vt commeantes in vrbe milites in stationeque dispositi, nec ab hoste conspici, nec ideo certis minorum tormentorum ictibus peti possent. Emiserũtque subinde tubicinem pacati oratoris tuta insignia præferentem ad hostium duces, qui mandata ferrent. Petebant Heluetij non absurdè per iocum, vt iam tandem Galli libratores ab emittendis tormentis temperarent, vt tantis sulphurei pulueris pilarúmque vanis sumptibus parceretur: postquam non vno in loco latè prostrata mœnia æquatum solo aditum irrupturis præberent: nec vlla intus munitiones, quæ vel quadratis ordinibus intrantes morarentur institutæ paratæq́ essent. Proinde securi aduersus omnes insidias, quibus Heluetij confisi vera virtute minimè niterentur si Galli Germaniq́ viri essent, arma atque animos expedirent, vt æquissima conditione cum paucis cohortibus congrederentur, antequam maiora suæ gentis auxilia, quæ iam non procul abessent abessent, importuno ipsis tempore superuenirẽt. Ad eã Triuultius grauiter respondit, Heluetios, qui in rem suam nusquam proteruè aut stolidi esse consuessent, rectè consultéque facturos, si pro sfortia exuto vrbibus & ab amicis fœderatisq́ deserto, pugnare atque insanire desinerent aduersus maximum præsertim inuictumq́ regem, cuius modò tot principes acerbissimè conturati, neque opes neque vires infregerint. Debere eos si saperent, & liberis ac vxoribus optimè consultum vellent, quo pro sua peculiari erga gentẽ amicitia atq́ beneuolentia vehementer optaret, recentis, & vetustæ Gallorum necessitudinis meminisse: opportuneq́ prospicere, an aliunde quã è Gallia, pace & bello, stata atque vberrima stipendia inter niuosas Alpes rerum propè omnium egenis essent prouentura. Quorsum, inquit, eorum qui obstinatè stulteq́ ferociunt consilia euadent: si trahere atque alere bellum velimus, quũ affluente commeatu atque pecunia, quæ duo præcipuè vobis desunt, reduentibus ad sidem populis abundemus? Neq́ enim eos vsq́ adeò vecordes & vitæ prodigos esse crediderim, vt nos Gallatis munitos castris, tot tormentis instructos validissimisq́ Germanorũ & Cantabrorum auxilijs & peramplo fretos equitatu, adoriri & in vestigio efferæ temeritatis pœnas dare malint, quam cum triplici

G 4 stip

stipendio, & certis opulentisq; muneribus, ad uxores domum redire: quæ omnia abundè ex sile regia statim consequentur, si Sforziam uti antea ex merito patrem eius inuisum terris, caloq; damnatum tradiderunt, continuò in manus tradant, aut certè dedita urbe nudatum præsidio fortunæ suæ iactandum relinquant. Hæc tubicen renunciare iussus, pecuniaq; donatus, ad suos in urbem rediit. Caterùm his responsis ad duces relatis, & mox per singulas cohortes emanãtibus tantum abfuit, ut quisquam è primoribus atque signiferis permoueretur, ut præ insita confirmataq; audacibus animis ferocia, six ab eruptione temperarent, quanquam nonnulli Gallico, ut creditur, capti auro sententijs labarent, & certa oblatæ pacis præmia dubio & difficillimo bello, cautis & satagentibus anteponenda differerent. In eã enim curam sedulo Triuultius incumbebat, ut peruicaciũ feritas per partes occultæ largitione molliretur. Id autẽ eo facilius commodiusq; iam à pluribus tentari cœperat, quòd Vertius insignis è Glarona ueteranus, uti erat ab astuto Venatiq; ingenio maximè cafer, deprauandis militibus industriã suam uenditasset. Interea Maximiliano ingenti cura anxio pauentiq; ad omnes rumores, Heluetiorũ auxilia citatis agminibus aduẽtare, Altosaxũ uerò Comensi uia ad antiquũ Culeritæ cohor

cohortis uicũ peruenisse nunciatur. Eodẽ quoq; tẽpore Tramulius atq; Triuultius de hostium itinere per exploratores cognoscũt. Aduocatur itaque consiliũ: astrictisq; sententijs deliberando disputatur, mouere ne retro castra expediat longiusq; ab urbe loco tuto considere, an cũ expedita exercitus parte nouos hostes patentibus in campis adoriri, sine tormentis, sine equite, dissolutoq; agmine properantes, quandoquidẽ circũfuso equitatu, productisq; falconibus per agiles currus cohortibusq; leuis armaturæ Vasconũ sagittis rem gerentibus, aut proteri aut magno certè illato detrimento ad Ticinũ retrudi possint, priusquam eis è Nouaria, uel ab Altosaxo, qui in Ticini transitu adhuc hæreat, in tẽpore succurratur: nec interea manẽte eadem castrorũ forma, & Germani suo peculistri Gallo incluſis, reliquisq; copijs maiorũ tormẽtorũ corona præseptis, quicquã de hostũ eruptione timeri possit. Hoc maximè probabat Robertus Sedanius, suspenso nec abnuente Tramulio, uti erat pugnaci ingenio, & ad omnem uel dubiæ pugnæ aleã parato. Sed Triuultius peruicacis & feruidæ gẽtis recentẽ uim reformidans, omne prælij discrimen uitandum esse testabatur, uti alienũ aut certè non necessariũ ad speratæ victoriæ prouentum, qui planè sine ullo incõmodo à cautis minimeq; præproperis sperari deberet. Indomita, inquit, uires, quæ

vel graui impetu sine multo sanguine detrimentoq; perrumpi ne queunt, plerunque mora vtili, & tuta cunctatione diffringũtur. Quod hercle magno vsui nobis eueniet, si hinc ad Riottam vicum procul ab vrbe Viginti stadijs castra referamus. Neq; enim eius sententiæ cesserim, nisi imprudens senex sim, qui diuidendas copias putet, ne vtriq; parti tanquã infirmæ & inualidæ ad resistendũ conandumq; vires desint, & nobis cũ triplici hoste, si ita sors ferat, vno tempore fuerit dimicandũ. Erat vera hæc, planeq; secura quæ Triuultius assentiẽtibus cæteris afferebat, nisi Fortuna (vt plerunq; accidit) sanis infesta consilijs, cũcta quæ ille optima ratione prouiderat, inopinato veluti correpta turbine præuertisset. Nihil enim à tãto duce, qui Italicarũ rerũ vsu regionisq; peritia, ac ætatis honore Gallos anteiret, temere confirmari videbatur, vel ob id præsertim, quod in latifundijs suis peculiarijq; etiam sibi noto in prædio ad Moram amnẽ ponenda castra iudicabat: quamobrem subticẽte Sedanio, vel à strenuis & pugnæ cupidis in Triuultij sententiã ibatur. Itaque nullo strepitu edito rebus omnibus ad profectionẽ instructis, ab oppugnatione recedunt, & ad Riottam castrametantur. Eo modo Heluetij neminine hostium qui contra iret, in itinere conspecto, Nouariã peruenerunt, magnaq; gratulatione & lætitia

omnium

omnium, quũ donati vino largiter ientassent, vix vnius horæ spatio ad quietem desumpto, noui duces in consilũ descenderunt. Nã priores vt qui antea moueri retro castra reduciq; iorementa conspexissent, iam hostes ad Riottam constitisse didicerant: edoctiq; ab incolis de natura loci situq; camporum, & de vado, ripa, & flexibus decurrentis amnis priusquam hostes ab vrbe longius recederent, confestim audendum, fortibusq; animis inuadenda castra iudicabant, vel exigua nanque mora hostem emitti è manibus rebantur, quòd nõ postea, vt æqua conditione confligerent, occasionem essent reperturi. Nã aliæ quoque Gallorum cohortes, aliæq; turmæ equitũ adducente Stuardo Albaniæ regulo, alpes transisse cognouerant, quæ copiæ magno incommodo ipsis aduersæ forent, hostibus verò peropportunæ, atq; adeo tanquã vtilissima ratione bellum trahentibus expectandæ conserẽtur. Tum verò exurgens Crassius Tigurini pagi minister, Sir eximiæ authoritatis, nolite, obsecro, inuicti fratres (inquit) differendo committere, vt consilium ingentibus animis susceptum, importuna Altosaxi atque auxiliorum expectatione corrumpatur. Id enim vna maximè celeritate tutum & euentu felix euadet. Nec quicquam aliud nobis rectè & nauiter decernentibus, quàm maturè facto opus est, ne tantæ occasioni, quæ in

hanc

hanc ſpem rei bene gerendæ nobis offertur, & leui temporis momento præuerti poteſt, nequaquam impigrè deſimus: ſatis nanque erunt, vel paucæ cohortes inuictæ virtutis ad opprimendos hoſtes, dum nihil nos ante auſuros, quàm ſe coniungat Altoſaxus, exiſtimant. Proinde vtamur illorum errore, & incautè ſuperbis opinionéque deceptis inexpectato impetu improuiſum terrorem ad non dubiam cædem, & fugam inferamus. Vicimus profectò, ſi victoria egregio conſilio concepta atque explorata, intrepidis animis & fortibus dextris quæratur. Tum verò cuncti ad vnum duces atque ſigniferi, nullam omnino moram ſibi aſſerunt, quin peroranti Craſſio ſtatim accedant: de ratione ineunda pugnæ grauiter decernũt: Edicitúrque militibus vt cibo & quiete corpora curent: & poſt ſecundam vigiliam ad vexilla coeant: quid fieri velint ante auroram duces imperaturos. At Maximilianus qui anxio fatiſcentiq; animo ſuprema volutabat: tũ primũ ſeſe erigere confirmare q; præclarũ erga ſe gẽtis ſtudium tantumq; animorũ ardorẽ admirari, cõplecti ſingulos cẽturiones, hiſq; prolixè teſtari quibus imperium, fortunam, ſalutẽmque deberet, gratias ingentes relaturum. Sed dum intentis omnium animis in euentum futuræ pugnæ arma pararentur, & Sol iam in occaſum inclinaret, mirum dictu,

& quod memoriæ prodendum videtur, Gallorum canes relictis caſtris magno continenti q; agmine, Nouariam intrarunt, admiſti q; Heluetijs qui in ſtatione erant, eorum crura lambere, caudas adulanter quatere, demiſſiſq; blandè auribus ſingulis applaudere cæperunt, tanquam Heluetij iam ipſorum eſſent domini, aut certè futuri vt mox apparuit. Primus omnium Iacobus Mottinus è Torfano nequaquam agreſti ingenio vir, & Italicæ gnarus linguæ, tanquam auguralis diſciplinæ, vti ab euentu credi par eſt, non imperitus, omine accepto ad Maximilianum contendit, eiq; victoriam de Gallis eſt pollicitus, quòd à maioribus gentis eſſet obſeruatum in auſpicijs præliorum, proculdubio eorum fore victoriam ad quos hoſtium canes tanquam ex infelicibus caſtris ad tuta fortunatáque hoſpitia peruenisſent. Igitur Heluetij duces ſimulando aliud quàm quod parabatur, tympana tota nocte pulſari & circumferri per vrbem iubent: vt ſpeculatoribus, ſi qui adeſſent, exeundi ſpeciem præberent: ideóque hoſtes quos tota die in armis fuiſſe conſtabat, etiam nocte eadem inſtructos in equis diſtinerent. Cæterum imperatur omnibus, vt cibo & ſomno corpora firmẽt, & lucem opperiantur: vt quiſque virtutem ſuam pulcherrima decoris contentione in præclara luce oſtenderet: nec ignauos porrò impune

nè terga vertere aut deserere ordines ausuros. Hæ siquidem Heluetiorum, seuerissimæ sunt leges, vt sub oculis spectantis exercitus, qui præ metu turpia atque indigna viro forti tentauerint, à proximis commilitonibus statim obtruncentur. Ita maior metus minorem vincit: & metu fœdæ mortis, decora mors non timetur. At paulo ante quàm diluceſceret, duces ex omnibus copijs (erant ea ad nouem millia peditum) mille spectatæ virtutis deligunt, qui octo falconibus præsint, & Maximilianum equitesque eius, qui admodum erant pauci, sed primæ nobilitatis comitentur. Reliqui in duas sese acies pandunt: & diuerso itinere nequaquam strepentibus tympanis silentio, prorsus agmine ad hostes feruntur. At Trivultius, qui tametsi inueterata prudentia dux habebatur, paucos tamen sessosq; pedites antequam adueniret Altosaxus egressuros aduersus firmissimas copias, aut quicquam de fortuna prælij tentaturos non putabat, vbi hostium aciem in conspectu esse cognouit Tramullium cæteroſque duces excitat, signa canere, tormenta in aduersos collocari, & cuncta pro necessitate periculi, quæ vsu & disciplina didicerat, administrari iubet. Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, vt Galli equites vix ad frænandos equos & galeas induendas tempus habue-

habuerint: vtpote qui magna parte diei & noctis, intenti ad imperia in armis constitissent: & sero demum, quod Nouaria pacata omnia nunciarentur, in tabernacula ad quietem se recepissent. Satis tamen opportuno tempore leuis armatura equestris vti expeditior, extenso ad lauam longissimo cornu, venientibus mille Heluetijs occurrit, qui vt hostium tormenta declinarent, quòd his iam peterentur sinuoso circuitu ad Moram fluuium contendebant: vt inde ponte superato, terga hostilia & tabernacula adoriretur. Erat enim is amniculus quanquam suo decursu lenis, si vado transiretur, quod mediam æquaret coxam, pediti calceato & iam pugnanti, valde incommodus. Hunc Ludouicus Sforti a ab emissario Sesithus amnis ad vbertatem agri, indito suo cognomine, in ea prata deduxerat. Itaque Heluetij ad pontem patenti via procedentes tormentis hostium ex transuerso peti, ingruenteq; per alueum & vtranque ripam procella equitum, vehementer premi cœperunt. Tum verò Mottinus præsenti animo consilium mutat, & Maximilianum, qui insultantibus Epirotis magno in discrimine versabatur, pugna excedere & continuò in vrbem reuerti iubet: vt belli caput acerbitati fortunæ expositum speratæ victoriæ conseruaret. Eum verò generose renitentem, & vt se communis sortis casum subire

subire pateretur, constanti animo deprecantem, duo centuriones cum totidem manipulis fræno arreptum, & detractis castide cristis, inditáque vili chlamide vt paludamentum tegeretur, ex acie subducunt, conglobatóque equitum agmine in vrbem redire cogunt, vt inde periculo vacuus, ipsorum virtutis spectator, maturæ victoriæ nuncium expectaret. Itaque Mottinus ea solicitudine liberatus, nutantem suorum aciem quæ iam tres falcones amiserat, saucijs in medium receptis componit, & vi facta magnóque impetu proiectos Epirotas propellit, interfectóque ibi Alexio Bosigio nobili Græco Epirotarum alæ præfecto late profligat. Eodem quoque impetu defertur ad hostium castra, casisq; lixis & stationis militibus perturbatis, impedimenta capit. Paulo ante autem quàm hæc à Mottino fierent, aliud agmen capto per adultæ segetis campos longiore itinere, paruóque ob id à tormentis accepto detrimento, in latus hostium impetum fecit. Consliterat eo loco Gallica acies tripartita: hinc Tramulius, Robertus illinc cornibus præerant, Triuultius medium agmen tuebatur, proximáque inter equitum acies Germanorum phalanx intra modicam fossam se receperat, quod vallum noui ac admirabilis artificij ad præliorum casus, quo se includeret à Sedanio institutum, in eo hostium improuiso super

superuentu desigi atque erigi nequiisset. In hanc itaq; Heluetij, circumducta ad dextram acie, concitatis animis se conuerterunt, quòd victoriam sibi facilem tum fore intelligerent, quum hostilis exercitus præcipuum robur facto cuneo perrupissent. Id Galli duces è proximo conspicati, tormenta statim in confertos direxi, & lata strage ordines perrumpi, mox in latus fatiscentis agminis equites cataphractos vehementi impetu procurrere iubent. In eo tumultu Bernensium tribunus in aduersum os pila verberatus, & Antius Amam Zuchius pugnantes cadunt, nihil tamen horum milites, vel ducum morte, vel periculo suo vel commilitonum horribili clade perterriti, sese collectis viribus in globum è disciplina componunt: equites magna vi propellunt: & statim vti antea decreuerant, superata fossa Germanos adoriuntur. Ibi continuò cruentum & atrox prælium subortum est: nullæ tamen strinque voces, sed horrendus armorum fragor & summissi cadentium gemitus audiebantur. Germani, vt commilitones superiore anno ad Ticinum cæsos vlciscerentur, & vt belli gloriã arte quatuordecim annos apud Syluam nigram in Rauracorum finibus amissam, nouo decore redimerent, ardentissimè præliabantur. Heluetij verò vt veteres & proprios hostes è Germania profugos, in contumeliam Ce-

saris pro Gallo mercede pugnantes, aliquando delerent paribus animis & viribus decertabant. Interea dum collato pede cum Germanis res gereretur, Triuultio atq; Tramulio impedimenta capta, trucidatosq; castrorum custodes, atque omnia in tergo tumultu & cædibus compleri nunciatum est. Cuius rei fama adeò Gallorum animos turbauit, vt eò magna pars equitum, dum quisq; solicitus suis sarcinis impedimentis q; prospiceret, ad recuperandam prædam sine imperio conuolarint. Parte quoque altera eodem penè temporis momento, tertia Heluetiorum acies à fronte sese ostendit. Quæ dum tormenta à Gallis in oppositam syluam frustra emitterentur, quòd inter arbores ad fallendum hostem inutiles ministros, qui armatorum speciem facerent, astutè reliquisset, per obliquum sensim irrepserat, inclinatis humi corporibus, & attractis per cuspides maioribus hastis, vt præteruolantes globos euitarent. Tanta fuit contemptio incidentium pilarum, & tantus incumbentium impetus, vt Galli & Cantabri pedites, cadente Aloisio Beamontio ipsorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurum & Salassorum celeriter cæsa fusaq; sint, & capta insuper tormenta victores in fugientium terga conuerterint. Quod vbi conspexere cæteri equites, tormenta scilicet ab hostibus occupata, in quibus Galli semper plus fiducia

fiducia, quàm in dextris atque virtute omnibus bellis posuissent, deletos tam propè Germanos, tentoria capta, atq; hostes sternere omnia, & campo latè potiri, inter pudorem & metum terga verterunt. Duces perculsis omnibus, ipsi satis vt in trepida re impauidi, turbatos ordines conuertentes se, ad dissonos clamores sociorum instruere conari: consistere & pugnare cogere: adhortari præfectos atque signiferos vt metum ponerent, & paucos agreſtes fessos, inermes, & iam vulneribus debilitatos tantisper sustinerent: dum leuis armatura circumfunditur. Germani prælij pondus sustinent, & pugna omnibus locis reparatur. Sed nihil his vocibus cohortantium atque imperantium ducum permoti equites, sese in turpissimam fugam dederunt. Quoniam Heluetij, quanquam dux eorum Mottinus tormento discerptus cōcidisset, potiti castris cruenti atque feroces iam sinistrum latus equitum inuaserant. A dextra verò & in tergis maior acies infestis cuspidibus territos & confusos acerrimè perurgebat. Perierunt in reparanda acie Monfalco Albaniana ala præfectus, & Coriolanus Triuultius summæ spei adolescens. At Germani qui plus dimidia parte cæsa, amissis q; duobus vexillis, & Florantio duce grauiter vulnerato, aliquandiu constantissimè depugnarant, vbi se ab equitatu deseri, re-

liquum peditatum vndique deletum, & tormenta capta conſpexere, quòd fuga turpis & minimè tuta videretur, erectis ſuo more ceruicibus, dedentes ſeſe, à victore hoſte clementiam queſiuerunt. In eo graui tumultu Sedanius impotenti dolore percitus, vt Florantio et Gemeſio filijs in tanto vitæ diſcrimine circumuentis, extremam opem ferret, adacto cataphractorum vehementi cuneo ad mediam hoſtium aciem penetrauit, filiosq; iacentes inter cadauera & multis fœdatos vulneribus, ita erexit & ſuſtulit, vt ſemianimes ſarcinæ modò ceruicibus equorum aſportati, cum ſumma paternæ pietatis & bellicæ virtutis laude, ad paratra iam futuris bellis decora ſeruarentur. Ita Heluetij triplici agmine dimicantes, ſeſquihoræ ſpatio & memorabile prælium & grauiſſimum bellum confecerunt. Nec tamen vel tanta hoſtium ſtrage edita, ad prædam diſcurſum eſt, quanquam pretioſa ſupellex ducum, & cuncta opulenti exercitus impedimenta multorum animos alliceret. Virt enim patriæ diſciplinæ memores, quòd neminem armatum in acie viuum capere, nec vertentem terga inſequi liceret, medio in campo confertis ordinibus in multam diem immoti conſtiterunt, ne Galli equites aut ducum aſtu aut ſuo pudore concitati regrederentur, & ſpolian dis cadaueribus occupatos opprimerent. Verùm

rùm adeo pertinax & intenta hoſtium fuga fuerat, vt Triuultius voce rauca puluerulentus adequitans nec adhortationibus, nec contumelijs, nec authoritate Imperij ſigna ſiſtere, aut præcurrentes abiectis haſtis equites retinere valuerit. Conſtat Grittum eius infauſtæ expeditionis comitem, qui vnà profugiebat, ſæpius in turba properantium dixiſſe, hodie, vt video, equites veterani qui tam effuſè calcaribus ſtudetis, tam non eſtis Venetorum cataphracti, ſed nobiles Galli, qui eos fugaces fœminas appellare conſueuiſtis. Nunquam enim accideret, vt inuicti fortunatiq; antea duces, tanto inſtructi exercitu, à paucis peditibus ludente Fortuna ſunderentur. Ferunt Gallicum equitatum in fuga deleri potuiſſe, ſi Maximilianus ducentos ſaltem cataphractos habuiſſet. Nemo enim è Gallis equitibus (tantus erat euadendi ardor) lanceam vltra Seſithem tulit: inſecuti tamen ſunt fugientes ex interuallo Syluius Sabellus & Corradinus Cribellus cum expeditis turmis ad Trecatum vſq; oppidum. Pagani verò ab agris atq; omnibus vicis ad prædam effuſi, vbi ſepes, foſſæ, conciſaue aruorum itinera palantes & trepidos morabantur, ipſi plures conſpecta præda paucos & curſu feſſos, crudeliter opprimebant. Vixdum confecto prælio, & adhuc ſpirantibus qui ceciderant, ſuperuenit Altoſaxus lupina pelle con-

tectus, atroci cultu, promissa & perhorrida barba hosti formidandus. Is quòd sero cum cohortibus aduenisset, præ dolore gemens fremensq; barbam conuellebat, quòd incruentis alabardis inglorius confecto bello, domum redire cogeretur. Enimuerò Vertius ille de quo antea diximus, Gallicæ factionis Heluetius, inchoata iam pugna, ex acie Olegium profugerat, exitiali mendacio deletos Heluetios, Maximilianum captum, atq; omnia aduersa in prælio obuenisse renuncians. Quo nuncio commotus Altosaxus, qui & ipse dudum superato Ticino Olegium peruenerat, vti cautum ducem, & de legionum salute solicitum decebat, paululum substitit, sed mox auditis tormentorum fragoribus, tametsi vera esse quæ Vertius attulerat magna ex parte putabat, opinione tamen inuictæ virtutis primarum cohortium, fractas attritasq; Gallorum vires se inuenturum ratus, iustis passibus ad hostes properauit: paucos verò post dies, quum Altosaxus in consilio Heluetiorum ab æmulis atque inuidis tarditatis accusaretur, & indicio Vertij qui perfidiosè vanum rumorem attulerat, suspicionem criminis præclarè diluisset, Vertius conquisitus atq; ita damnatus est, vt more maiorum in frusta secaretur. Eodem die Heluetij collecta suorum cadauera humeris in vrbem reportarunt, vt optimè de Republica meritis iusta

iusta soluerentur. Desiderati sunt in ea victoria mille circiter & trecenti, è quibus supra septingentos tormẽtis discerptos retulere, quũ ferè totidem sauciati e prælio discessissent. Periere autem in partibus Gallorum ad octo millia omnis generis. Inter Heluetios duces Iordini Vnderualdij immanis & propè effera virtus emicuit, qui consensu multorum supra viginti hostes alabarda confecit & certa laudis præmia tulit. Tum verò Maximilianus tanto successu lætus aduocata cõcione, quum præ gaudio manarent lachryma & vix effari posset, cunctis gratias egit, & quod præsentis lætitiæ munus esse poterat, commeatum omnem donatiui nomine militibus diuidendum dedit. Tormenta quoq; & quicquid prædæ partum fuerat, cohortibus in præmium virtutis accessere. Sed vallum de hoste captum Maximilianus tanquam victoriæ monumentũ porticibus affixit. Huius valli structura quam nos vidimus vt posteris documento atq; vsui esse possit, paucis explicanda videtur. Dimenso ad paruam castrorum effigiem quadrato passuum quinquagenum spatio, quatuor solidi stipites in angulis defigebantur ad vmbelicum solo extantes, latera minoribus aliquot tignis per interualla pariter defixis septebantur, ad ea plicati les cancellos ferreis ansis recta confibulatos applicabant. Intra hanc munitionem legis ita se

instruebat, vt totius ambitus summa corona centum ferè muralibus sclopettis aduersus hostes vndiq; muniretur. Hoc modo ingruentium hostium vim sustineri & planè refringi posse Sedanius existimarat, quòd Heluetios, priusquàm ad hastas manusq; venirent, inconsulti impetus pœnas daturos credebat, quum pretentis hastis hispida phalanx & suo tuta robore insuperabilis, defensura vallum, & demum in perturbatos patefacta munitione, ad non dubiam victoriam eruptura videretur. Sed hæc militari ingenio excogitata, tantóque labore & sumptu per Alpes aducta, sicuti sæpe tantium oculos nouitate formæ & spe victoriæ subnixos animos magnopere delectabant, ita vt plerunq; solet, Fortuna subtilibus artificijs nihil arridens, tum maximè quum oportebat, rationi atque operi successum eripuit. Id verò Germanos fefellit, quòd eodem die moturis retrò castra ducibus, eius valli apparatum vti suis iam impositum curribus minimè erigendum putassent. Sed id acceptũ Vulnus Tramulius quum hæc ab eo Bononiæ quæreremus, in Triuultium non insulsè reiecit, quasi ille in prædijs suis vt adulto pabulo parceretur, secus ac ipse disseruerat, castrametari noluisset. Triuultius verò vti nusquam antea victus, quum de eius prælij euentu multa narraret, ad fatalem nomini suo iniuriam referebat, quòd

quòd temerarijs & in furorem actis nulla ratione vel à peritissimo duce obuiam iri posse prædicaret. At Sacramorus, qui vt ad Nouariam in castra contenderet, ad Ticinum continuò traiecturus peruenerat, vbi primum ex multo reboatu & continenti fragore tormentorum, procul dubio accensa pugna rem geri præsensit, coacto suorum agmine paululum subsistit, vt ex euentu pugnæ consilium caperet: Sed non multo post, quum ex multorum fuga Heluetios profligatis Gallis campo victoriaq; potiri didicisset, ne interclusus fluminibus, cum ab hoste tum ab infestis sibi vndiq; incolis deleretur, retrò ad Abduam est profectus, superatoq; amne ad Cremonensium fines Venetis copijs se coniunxit. Per eos enim dies Linianus cum omnibus copijs Cremona excesserat: nam paulo ante plebe ad Venetum nomen inclinante, in vrbem fuerat receptus, quanquam Galeacius Pallauicinus rem ad Gallos deducere conaretur. & nonnulli ciues ex prima nobilitate Sfortiano nomini studerẽt quòd a Brunorio Petra arcis custode, vt belli exitum expectare vellent, continuis obtestationibus in fide continerentur. Sed iam Sfortiana victoriæ fama adeò latè emanarat, vt Liuianus, qui eam diu supprimere nequiuerat, suspensis adhuc ciuibus et integris rebus suis excedendum existimarit. Itaq; eadem celeritate

qua dudum Venerat, Veronam contendit, prolatoq; tormentorum apparatu ad diuæ Luciæ templum Vrbem oppugnare est adortus. Vir enim in omni consilio Vuidus & ferox, reiq; gerendæ percupidus, aliquid sibi omnino tentandum existimabat, Vt audaci facinore Gallicæ cladis fama tegeretur, et quales erga Venetum nomen Veronenſium animi forent, Vehementi facto impetu tanquam ex itinere protinus experiretur. Sed is conatus ad incertam spem præpropere susceptus, eum habuit euentum, Vt quum detersis pinnis depulsisq; propugnatoribus milites ingenti animo per scalas in summam muri coronam euasissent, nec præalto exitialiq; saltu in Vrbem se demittere auderent, Vndiq; glandibus traiecti atq; interfecti deïcerentur. Inter quos fuere summæ fortitudinis Centuriones, Thomas Fabronus è Pistorio, & Vicinius Vmber, qui primi conscenderant: Georgius nanq; Tridentinus antistes, subitario delectu septem cohortes adduxerat, quæ consert is ordinibus sub muro hostium descensum expectabat. Quo animaduerso periculo, nemo militum fuit, qui non excipientis phalangis cuspides formidaret: & pudore & metu confusus in muro minimè cunctaretur. Ea re improsperè tentata, Liuianus Vsq; adeò festinanter reductis tormentis & signo profectionis dato è conspectu Vrbis discessit, ne ab eruptu

erupturo hoste distineretur, Vt aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentissimo sole potandi causa ex acie diuerterant, crudeli manu confoderet, frustra deprecante Paulo Baleono, qui in fessos sitique confectos à mucrone temperandum esse disserebat: iustisque inde confectis itineribus ad Tombas Vicentini agri in statiua castra concessit. Baleonus autem ad dextram cum parte copiarum Allieniacum petere iussus, id oppidum & arcem paucis diebus expugnauit, Villiada Hispano ad extremum se dedente, qui exigua manu arcem acerrimè defenderat. Hisdem quoque diebus Octauianus Fregosius Nouariensis Victoriæ fama excitus, commendante Leone Pontifice, Vt Genuam reduceretur, cum Cardonio atque Piscario transegit. Octauianum enim præstanti ingenio hominem, & multis bonis artibus instructum, Iulianus Leonis frater veteris amicitiæ nomine mirificè subleuabat: parique studio Piscarius affinitate sibi coniunctum pollicentémque pecuniam Hispanis in stipendia diuidendam, Iano Fregosio anteferendum arbitrabatur. Hunc enim quum plerique ciuium tanquam nimis properè à se desertum omnino metuerent, multi etiam in Vniersum oderant, quòd ipso conniuente sanguinarij fratres nefarias manus Hieronymi Elysci sanguine imbuissent: Illum

Verò

Verò patre principe genitum egregiaq; virtutis fama illustrē adeò populus expetebat, vt in omni re ciuili vel bellica Iano potiorem existimaret. quòd in longo exilio à Fortuna grauiter eruditus, in gubernanda Republica, magnam spem lenitatis, & temperantiæ allaturus esse videretur. Itaq; Piscario in Puliseram vallem, ab Apennini iugo pulsis Sindicq; montanis Liguribus, cum exercitu descendēte, Adurnij fratres desperatis Gallorum auxilijs, consilium summæ pietatis atq; prudentiæ sibi desumpserunt: professiq; in concione se publicam ciuium salutem principatu & patrijs penatibus cariorem habituros, eo animo, vt patriam omni tumultu belliq; periculo liberarent, positis armis, ab Genua discesserūt. quum alterū tantum atq; vigesimū diem dominatū tenuissent: tanta quidem cum laude, vt magna pars senatus abeuntibus gratias ageret, & pleriq; honesti amantes patriæ ciues q;, nusquā obstrepēte populo, vel natura insolenti & factioso, eos ferè cum lachrymis ad multū spatiū prosequerentur. Othobonus quoque et Sinibaldus Elisei eodē cōsilio, sed æquioribus animis, quòd principatus fortunā inueterata consuetudine, solis Gibellinis attributam minimè resisteret, & fraterna cædis iniuriā probè sindicassent, in Castella sua quæ ad Tigulliorū montes & Lauaniā amnē pertinent

timent, profecti sunt: Eo modo Fregosius pacato agmine in vrbē receptus, & à populo dux et princeps est appellatus. Triduoq; post, imperata pecunia, quæ octuaginta millia aureorum nummum summā excedebat, Hispanis stipendia persoluit, remuneratusq; Piscariū, id ab eo impetrauit, vt sine maleficio sinibus excederetur: atq; ita cum omnibus copijs in Placentinum agrū est reuersus, indignātibus Heluetijs, quòd Hispani, qui eo bello neq; fidem neq; opem difficillimis ipsorum rebus præstiterant, alieno sanguine partæ victoriæ præmia intercepissent. Hisdem porrò duebus quibus Adurnij fratres principatu & patria decesserunt, Praianes Gallus, quum intromissa in Laternam arcem quanta maximè potuit commeatus & tormentarij pulueris copia custodes diligentissimè confirmasset, iussu regis è Liguria cum quatuor triremibus, quòd nemo antea ausus fuerat, per Gaditanū fretum ad Armoricum Oceanum enauigauit. Eo enim tempore Britanni valida classe per Galliæ orā infestæ populatione vagabantur. Existimabat enim Praianes triremes suas tranquillo præsertim mari, & nullo spirante vento, aduersus maiora hostiū naugia quæ velis agerentur, magno vsui futuras: quòd hostium excelsæ naues (vt nonnunquā æstate accidit) ex malacia in alto destitutæ expedito longarum nauium remigio

migio circunsisti, & adactis colubrinis expugnari atq; demergi posse viderentur. Sed nihil ea æstate tantis classium incursionibus magis memorabile gestum est, quàm vt Odoardus Surrei filius Britannicæ classis præfectus, magno casu pœnè solus occideretur. Is iuuenis vt magnitudinem animi ostentaret, quũ secundo vento inflatis velis Præianem ad Vidanam portum, qui Brestius dicitur, frustra persequeretur, ita demum demissis antennis substitit, vt opprimendi hostis cupiditate magnarum nauium scaphas delecto instructas milite audacter desiliret, & triremes humili sabulosóque in litore semiductus adoriretur. Quo certamine, quum Præianis epibatæ acerrimè sese defenderent, Odoardus dum in prætoriam scandere conaretur, à prora reiectus contus, & secure vulneratus in mare cõcidit: atque ita Britanni amisso classis præfecto, re infecta ad classem redierunt. Triduo autem Odoardi cadauer fluctibus expulsum in arena repertum est, & statim agnitum, quoniam aureum corniculum collo suspensum gestaret, quod præfecti maris est insigne. Eo enim fistulæ more inflato, magistri nauiũ diuersis sibilis & cantibus opportunè editis, nautas ad officia reuocare atque incitare consueuerunt. Nec multò pòst duæ maiores Britannicæ naues, Thoma Gnineto immensæ fortitudinis præfecto,

fecto, audente concitanteq́, Gallicam inusitatæ magnitudinis nauẽ quã Chordigerã appellabant, adortæ sunt, tormentis vtrinque latera pertundẽtes. Chordigeræ præerãt Plumorgher, inter Gallos Oceani accolas rei naualis peritissimus. Is præsenti infaustóq; cõsilio in hostiles naues ex propinquo subeũtes, quod in acerrimo certamine sæpe factũ legimus, catenatos harpagones iniecit, terribiliq; fragore tormentorũ vndiq; edito, ita prælium exarsit, vt cum facibus, incendiarijs q́, malleolis ad mutuam cladem res gereretur, vno tempore tres simul naues miserabili exitu cremarẽtur, & supra duo millia hominũ aut discerpta tormẽtis, aut flammis circumuenta, aut demum semiãbusta sponte in Oceanũ præcipitata perierint, totideḿq; fere omnis generis ænea tormẽta Oceano mergerentur. At Ludouicus maiores etiã è Britannia motus expectans, cũ iam ira & dolore multum exarsisset, quòd pauci atq; inermes Heluetij peritissimos duces, veteranũ equitatũ, & pedites numero roboreq; præstantes vera virtute superassent, omnibus regni viribus in Belgarũ fines traductis, ad Britannicum bellũ se conuertit. Enimuerò Henricus fama rerũ ad Nouariã gestarũ permotus cũ iam antea in Aquitaniã ad populandũ oram maritimam Odoardo Surrei filio, cum classe transmisso, ingentes copias terra mariq; parasset

rasset ab Anthona Dobraq; Calesiam (quæ portus Icius olim fuit) ipse breui subsecuturus maximam partem exercitus traiecit. Siquidem rex iuuenis seuera insitum à natura odiũ aduersus Gallos studio etiã gloriæ accensus, quòd defendere iniurias sacrosancti Pontificis, & tueri armis religionis causam æquũ atq; magnificũ rebatur, ipse trãsfretare constituit, conciliandis maximè Germanorũ animis, quorum ingentem numerũ mercede conduxerat. Nam Cæsar huic bello intentus, & Margaritæ eius filiæ virilis animi mulier, ob veterem repudij contumeliam Gallis infensa, quæ tunc Adolescẽtis Caroli tutrix, in Cisrhenana Germania (ea Belgicæ pars est) longè lateq; imperitabat, auxilia cataphractorum equitum & peditum passim ex Traq; Rheni ripa Britannicis castris adiunxerat. Iam Britanni duce Talbotto è Calesia Taruannam Morinorum urbem oppugnatum venerant: admotisq; muralibus tormentis, mœnia magna ui & summa pertinaciæ fama quassabant. Ea urbs muri circuitu parua, sed ædificijs frequens, quòd ab imminenti monte & ab Lysia impeditissimo flumine muniebatur, ex omni parte difficile habebat oppugnationem. Addita erant asperitati situs mœnia fossaq; & super hæc equitũ & peditũ præsidia, quibus præerant strenuissimi duces Pontiremius atque

atq; Rouergas. Interea dum Talbottus Taruannã continenter oppugnat, Henricus è Britannia superato freto Calesiã venit: quod ubi per Gallias uario rumore uulgatũ est, Ludouicus intentissima cura delectus habere, euocare quosque nobiles ac ueteres equites perfunctos tam militia, classe in Oceano ædificare: prospicere simul omnibus regni lateribus, & ad omnes casus remedia comparare: omnium primum Narbonã & quæq; proxima Pyrenæi saltibus præsidio firmat, Hispano haud satis fidens, etsi cum eo inducias paulo antè pepigerat, ne finitimæ gentes belli auidæ in tergo repentinũ bellum aperirent: Heluetiorũ quoque in finibus iustum propè exercitũ, qui Heduos ab iniuria tueatur decernit. Is nam six dũ è Nouaria victores domũ reuersi, concilio Turegi habito: quũ legati magistratus q; omniũ oppidorũ uno tenore de inferendo Galliæ bello retulissent, sublatis uexillis arma ceperant, eo consilio, ut monte Iura superato, per Sequanorum fines in hostile agrum irrumperẽt: atque omnem eam Burgundiæ partem quæ Gallorũ est (ea ad Ararim & ad Vlteriorem Alduadussij ripam spectat) ui ad defectionem compellerent, uel effusè popularentur. Enimuerò Cæsar, ut Heduorũ urbes, quas in altera Burgundiæ parte post Carolũ eius socerũ ab Heluetijs ad Nansim cũ exercitu casum, Galli ar-

mis per occasionem occupauerant, Veteri Nepotis imperio restitueret, Heluetios iure fœderis ad transmittenda auxilia & ad maturandam profectionem solicitabat. Eos quoque Henricus ostentatis præmijs atque stipendijs, et Maximilianus Sfortia nondum arctibus receptis firmandi imperij cura anxius, vt quandoq; semel cœptũ bellum finiret, in eaq; temporum fortuna superbos hostes in perpetuum domarent, vterenturq; recẽti victoria, continuis legationibus adhortabantur. Quibus de causis, Ludouicus Tramuliũ cum parte equitatus & cohortibus ex itinere conscriptis in Heduos maturare, et totis viribus prohibere transitu Heluetios iubet. Demũ Roberto Sedanio mandat, vt quàm maximũ potest peditatum in Eburonibus Arduennæq; syluæ proximis populis mercede conducat, & continuò in Morinos proficiscatur. Idem vt faciat Carolo Gheldriæ Duci iniungit. Is, quoniam initiũ dissensionis inter Gallum & Cæsarem atque huius belli non obscura causa fuerat, è Menapijs atque Sicambris quibus imperitat, legiones duas, adiuncta Batauorũ manu experta virtutis mittit. Ita breui Ludouicus maximo equitatu è tota Gallia coacto, et Germanorũ auxilijs ingenti pecunia cõparatis, ad hostes qui iam in Morinos peruenerãt, cõtendit. Eodẽ quoq; tempore Henricus, vt vires cũ Talbotto

Talbotto perquàm mature coniungeret, paratis quæ ad profectionẽ pertinebant, è Calesia mouit, instructo agmine procedẽs, itineri simul ac prælio intẽtus. Venerant enim Gallorũ antecursores, et leuibus prælijs agmina in itinere lacessebãt: mox aliæ atq; aliæ turmæ equitum, atque ipsa sub vexillis grauis armaturæ equestris in patentibus campis sese ostenderant, non eo quidẽ consilio vt acie cõfligerent, sed vt Britannos ostentatis viribus magis ac magis moraretur. Verum Henricus, qui matura quædam tormenta suo pondere effractis axibus, ac comminutis passim curruũ rotis tenaci in limo fortè hæsissent, & ob eã causam necessariò subsistere, & tardius agere agmen cogeretur, directa acie bus pugnæ potestatẽ fecit. Contrà verò Gallis consultò certamen detrectantibus, quòd vniuersæ dimicationis casum necessarium non ducebant, ad sanctum Odemerũ (id castellum est) subsedit. Sequentibus verò diebus intermisso nunquam itinere, pluribus equestribus prælijs decertatũ est: periitq; in partibus Gallorum Matthæus Coroneus nobilis Græcus lauiorum equitũ præfectus. Ita Henricus incolumi exercitu, nequicquam Gallo iter demorante, quartis castris Taroannam peruenit. Tunc primum vrbs quàm acerrimè oppugnari cœpta: namq; tripartitò hinc Talbottus, illinc Carolus Somer-

setus, & tertio loco Rex ipse ingentibus tormentis, murorum pinnas & interna vrbis ædificia diruebant. Ex aduerso Pontiremius atque Rouergas nouis operibus mœnia quassata reficere, cõtrà & ipsi hostium castra tormentis infestare, die noctuq; pro mœnibus, pro portis agere stationes, nihil se animo demittere, & summa spe auxilia Gallorum opperiri. Interea ad famã aduentus Henrici regis Cæsar maiore animo quàm viribus bellũ complexus, tendentibus tam in Heduos Heluetiorũ legionibus, paucos Germaniæ proceres secũ ducens ad Henricũ peruenit. Secuta eum quoque est magna Germanorum multitudo, qui pacis odio et lucri cupiditate ad id bellũ, in quo tres potentissimi Reges de Imperio dimicaturi videbantur, ex omni se prouincia effuderant. Henricus quoq;, vt erat quatuor fermè et viginti annos natus ab excelso florentis ætatis vigore pecuniæ profusus super aduectos ab insula ingentes thesauros, immensæ liberalitatis fama, & studio erga milites incredibili, mortalium mentes accenderat: magnitudo enim animi, corporis decus atque proceritas, admirationis humanæ in eo rege modũ excesserant. Appropinquãti igitur Cæsari obuiam ad sanctũ Odemari oppidum processit Henricus: consalutatumq; eum et patrẽ appellatum in castra perduxit. Venerat eò Cæsar magnis itiner

itineribus, sine regio apparatu, vt alicui memorabili prælio interesset. Nam in superiore quoq; Germania fama erat aduentare cum magnis copijs Ludouicũ, vt liberaret obsidione Taroannam, aut cum Britannis de summa rerum dimicaret. At dum reges mutata veste circumuectis mœnia, apparatum oppugnandæ vrbis munitionumq; naturã inspiciunt, ac de genere prælij expugnationeq; deliberant, nunciatur ab exploratoribus, Ludouicum qui in Ambianis subsederat, cum omni genere commeatus vniuersum equitatum intra biduum Taroannã esse submissurũ, quòd sciret conclusos diuturnitate oppugnationis fessos, ac necessariarum rerum penuria laborantes, diutius non esse tantas difficultates toleraturos. Quod vbi Cæsar pro comperto habuit, quoniã & rei militaris peritia & notitia locorum plurimũ valebat, communicato cum Rege consilio, traducere in vlteriorem Lisiæ ripam maximã exercitus partem, & ad hostes summa celeritate, vt imparatos inuaderet contendere decernit. Ergo quatuor pontibus vnius horæ propè momento perfectis, quibus simul omnes copiæ transmitterẽtur, relicto in oppugnatione Talbotto, Lisiam trajiciunt, & ad Ghingattam vicum duobus passuũ millibus ab vrbe distantem pergunt. Erat Ghingattæ obscurus antea pagus: sed duabus iam Cæsaris victorijs Gallo

infaustus: siquidem Ludouico Vndecimo Gallorum rege cum Germanis de finibus contendente, ipse Cæsar vix dum pubescens, Philippum Dechordum expertissimum ducem, cum triginta millibus Gallorum hisdem in campis acie superarat. Igitur Galli, vt obsessis in tanta rerum egestate succurrerent, cum octo millibus equitum, receptis in medium sarcinarijs iumentis, rectà Taroannam mouent. Præerat omnibus Pienes, vir in Morinis summæ nobilitatis: quoniam in prouincia, quam ipse iam pridem à Ludouico regendam acceperat, bellum gerebatur. Verùm cum eo aderant clarissimi quique Gallorum ductores, atque equitatus duratus in armis, & multarũ gentium victor: in quo nihil præter Fortunam veterem desiderabatur. Eo modo Pienes quum è tumulis descendens, qui ad Ghingattum vergunt, in subiecta planicie signa atque equites ostendisset, Cæsar & Henricus incredibili pugnæ desiderio deflagrantes partiti inter se copias, ea sorte vt alter equitatũ in hostes duceret, alter verò cũ peditatu & curulibus tormentis cõtinuo sequeretur, instruere ordines, quid fieri velint præfectos docere, adequitare legionibus, hic Germanos & Belgas, ille Britanos quos ab insula trãsuexisset, adhortari, ne veteris gloriæ militaris obliuiscerẽtur, ne eos hostes aut fortes, aut insuperabiles existimarẽt, quos oĩbus bellis atq; omnibus seculis & progenitores sui et nuper Heluetij pedites acie deuicissent: Admiterẽtur, auderentq; primo impetu, ac sibi ducibus, & regibus suis, qui opinione virtutis omnẽ dignitatẽ atque salutem in dextris militum posuissent, fortem operam maturamq; victoriam præstarent. Germani pedites ignari adhuc aduentus Cæsaris, vt eum apertocapite paludatum singulis ordinibus adequitantem cognouerunt ex eius præsentia victoriam auspicati statim acclamauere, Salue Cæsar, Salue pater optime, Imperator inuicte, te duce iam vicimus. Is vt ardorem militum vidit, non cunctandum ratus, arreptis secum quatuor millibus equitum in quibus Hippotoxotæ Britanni, & Cisrhenani equites cataphracti sub Hanseo Roseo atque Laleno fortissimis ducibus fuerant, ad Gallos pergit. Henricus quoque pari passu cũ robore legionum, sagittarijs suis immixtus subsequitur. Iam plures Gallorum equitum vt commeatum intromitterent, circumducti ab læua, ad eam portam, quæ segniorem Britannorum stationem habitura videbatur, peruenerant: & à Talbotto qui paratus in armis adstiterat, cum detrimento repulsi fuerant: quum Henricus ad primum hostium conspectum, ad perturbandos eorum ordines duas eminus colubrinas displodi iussit. Mox Cæsar, quem fatalis hosti locus & antiqua victoria

claris auſpicijs ad prælium accēdebant, in aduerſos impetum fecit. Tanta fuit ſagittarum vis, tantuſq; cataphractorum irruentium ardor, vt primo concurſu Galli equites turbati fuſiq; ſint, quanquam acerrimi duces manu prompti inſignibuſq; fulgentes ante alios fortiſſimè decertarent, atque impetum hoſtium ſuſtinere, & reparare perculſam aciem increpitis retentiſq; militibus conarentur. Cæterū quoniam nec tormenta nec pedites in ſubſidiū equitatus adduxerāt: Vrgente Cæſare, & appropinquante cum tota mole peditatus Henrico, cedere & terga dare coacti ſunt. Duces ipſi in tanta equitum perturbatione dedecoris metu dum acrius reſiſtunt, capiuntur: Ante alios Marchio Rothelimius, qui paulò antè Donneſio fratre mortuo, dux Longauillæ creatus fuerat. Cum eo Palicia Imbercurtius, Baiardus atque Buſinus. Sed Palicia & Imbercurtius ob veterem amicitiam & cognationem, quæ cum Roſco intercedebant, ab equitibus Sequanis, in acie dimiſſi ſunt. Signa verò quæ in illam vſque diem tot gentium cruore conſſerſa, in tot bellis atque periculis ſeruata fuerat, occiſis aut captis ſigniferis, in poteſtatem Britannorum deuenerūt. Fuit hæc pugna periculo ducum magis quàm militum cæde inſignis: quum nec peditatus conſlixerit, nec tormēta vſui fuerint, & ſolis haſtis atque mucronibus vſi

vſi cataphracti vtrinque colluctati inter ſe equis atque corporibus maiorem tumultum, quàm cædem ediderint, Pienes paucis ſuorum deſideratis, trepidāti agmine ad Blāgim vnde venerat, celeri fuga ſe recepit. Cæſar autem & Hericus captiuis comiter apud ſe habitis, in vetera caſtra redierunt. Iam Talbottus cuniculos effoderat, tormentis muri partē diſiecerat, & magna ſpe iam tū expugnandæ vrbis tenebatur, quum Pontiremius atque Rougas, Britannis captiuos Gallos oſtentantibus, deſperato commeatu, per colloquiū triduū inducias poſtulant. Quibus impetratis, pacti vt inde cū armis atq; vexillis ſine fraude diſcedere liceret, vrbē cotinuò dedunt, paulo poſt victores, colonis alio migrare iuſſis, vt ab ſimili pertinacia cæteras vrbes deterrerent ſeruatis templis incendunt. Ita clariſſima Morinorū ciuitas Milleſimo quingenteſimo tertiodecimo anno à partu Virginis, Nono Calendas Septembris exciſa eſt. Ludouicus interea ad Motrellū coactis copijs & indicto concilio procerū, decreuit idoneo omnibus rebus loco caſtris ſe tenere, neque ad euentū Fortunæ experiri iterū hoſtiū vires: qui magnā bellicæ laudis opinione deuicto veterano equitatu adepti fuerant. Enimuerò manu promptus & conſilio optimus, quanquā vniuerſi certaminis deſiderio teneretur, præfectiq; omnes ad abolen-

dam ignominiam, deuouendo sese pro victoria prælium deposcerent, haud tamen tutum fore existimabat, si perculsos animo milites, ac superiore gloria rei militaris obscuratæ, quasi degeneres factos, quū intra septuagesimū diē ad Nouariam atque Ghingattam infeliciter dimicassent, fortissimis hostibus, ac tum recēti victoria elatis obiecisset, vel ob id maximè quòd rumor in castris percrebuerat, Heluetiorum viginti quinque millia cum duobus millibus equitum, quos Cæsar addiderat, per angustias Sequanorū in Heduos penetrasse, & iam eorum agros magna belli clade populari, neq; Tramulium cōtinuè castra mutantem aut ire obuiam, aut manus conserere audere. Quibus de causis Ludouicus suspensa Gallia, & ad nouæ belli periculum excitatæ, cunctando circumspectare hostium motus: & reliquum ætatis extrahere, quàm in discrimen summæ rei deuenire malebat. Mox conuersus ad altiora consilia, Iacobum Scotorū regem iam tum antea precibus fatigatum, per legatos solicitat, ad nouas res in insula moliendas, gerēdumq; apertè bellum aduersus Henricum. Erat Iacobus maximis beneficijs & antiquis superiorū regum necessitudinibus Gallo obstrictus, ob idq; facilè impelli poterat ad quancunque belli fortunam subeundam: Quanquam per se animo immodicus, & natura infensus Anglico nomini

mini, priuatis etiā lacessitus iniurijs, inferre vltrò bellum & proferre Imperij fines meditaretur. Nec deerant, præter Gallorū legatos, arma, pecuniam, tormenta, duces, classes atque omnem belli apparatum pollicentes, qui mobile regis ingenium varijs artibus expugnarēt, ex intima aula spectata apud eum gratia regni proceres, muneribus empti ab Gallo. Vt proposita præsentium rerū occasione, ac ostentato totius insulæ Imperio in spem prosperi euentus & magnæ fortunæ erectum, ad sumēda arma vehementer accenderent. Quando abductis in continentem omnibus fermè copijs, & Henrico in Gallia bellum gerente, regnum sub vxoris tutela relictum inuadere, atque armis exagitare interiora Britanniæ, haud factu difficile videretur. At hæc secū quum ipse multum animo varius reputaret, obuersabantur ante oculos vxor quæ Henrici soror erat, & nouum pariter atque antiquum pacis fœdus sub Alexandro Pōtifice iā pridem cum Henrico solēni sacramēto percussum, & ab Iulio bullatis item tabulis cōfirmatū. Diræ demū imprecationesq; Pontificis, ac polluendæ religionis metus, si defensores Pontificiæ dignitatis oppugnaret, & expositū iniuriæ nudatumq; præsidijs regnum, nihil tale verente Henrico, vi & armis aggeredetur. Ex aduerso autem rerum suarū solicitus, vtpote cui iam pridē suspecta erat Henrici

rici potentia, nimio plus crescere rem Anglicam, & ferocem inuenē in transmarina prouincia bello clarum fieri, nō ferebat. Quoniam finito in Gallia bello eum hostem ingentis spiritus, ac semel militiæ studio accensum minimè quieturum apparebat, sed continuò nō contentum finibus suis, illaturum arma, ac subactis Scotis, seq; paterna sede pulso, Vnius insulæ Vnum regnum esse facturum. At in contrario rerum successu, si fortè Henricum imperium militiæ pugnacissimam Gallorum gentem, ac talem tantúmque regem in hostili solo difficili bello pulsantem, aliquo ingenti prælio superatum Fortuna destitueret, idem regnū ac eadem tota Britannia mouenti modo arma, ac Fortunam ex tuto tentanti cessura videbantur. Hac mani spe sublatus, alienato animo, vt causas violati fœderis prætenderet, antequam hostilia moliretur, literas ad Henricū querimoniarum plenas conscribit. Egisse iampridem Henricum multa in contumeliam Scotici nominis, eaq; se pro iure affinitatis ac fœderis forti animo semper tulisse: quum grauissima damna finitimis Scotis illata vt constitutum fuerat, Henricus minimè resarciret, quum in percussores Bartonis piratæ Scoti non animaduerteret: & Spurium Heronem qui præfectum confinium Scotiæ interfecerat, impunè agere in Anglia pateretur, legatos suos contra

contra ius gentium non admisisset: oratorem vxoris inuito retentum non dimisisset, complures nobiles Scotos in Scotia captos vinctósque crudeliter etiam tunc in custodia haberet. Ea omnia quanquam per se magna & intoleranda, dissimulari tamen potuisset, At non se passurum vlterius Ludouicum amicum regem, cognatione & fœdere sibi obstrictum, ab eo ad internitionem oppugnari, Caroli Gheldrij consanguinei agrum plusquam hostiliter ab Anglis deuastari. Propterea esse supremum animi sui iudicium, causam socij regis iure fœderis defendere velle, neque interea se finem facturum populationibus atque incendijs, quandiu Ludouicus ab eo in Gallia vexaretur. His Henricus ita respondit, se non magnoperè mirari quòd Rex Scotorum pro vetere gentis instituto fidem falleret. Nouisse enim iampridē eius animi inconstantiam, & consiliorum leuitatem, quibus eò dementiæ perductus esset, vt alienam causam proprio periculo tueri, & florentes res suas cum perditis Gallorum rebus permiscere contenderet. Quòd si violare iusiurandum fidem prodere, & arctissimæ necessitudinis obliuisci æquum & regium putaret, neque multum eo dedecore permoueretur: timeret saltem Deos immortales, qui turbatæ pacis & ruptorum fœderum vindices esse consueuissent, adduceturque exemplo regis Nauarræ,

uarra, quem Dijs itz iubentibus, ex patrio regno in eas miserias præcipitatum, Ludouicus in Gallia sine regno trãquillè regnare permitteret. Proinde desineret memorare atq; obijcere, quæ ad violandam pacem ipse confinxisset, ea enim se iam pridem literis atque legationibus vt cetera omnino, sanaq; diluisse. Cæterum eũ impudentissimè fecisse, quòd nihil earum rerum antequàm ipse mare traijceret, cõmemorarit. Propterea sciret apud se etiã absentem, nõ esse tantæ existimationis Scotorum regem, vt eius repentina atq; insperata perfidia terreri posset. Ageret modò vt luberet, se enim neque vlla denunciatione periculi destiturum ab felici incœpto: neque iniuriam animo depositurum. Igitur Iacobus indicto bello, vniuersas regni vires contrahit: atque omni nobilitate armata, ad Tuedum fluuium, qui vtriusque Imperij limes est, cõtendit. Britannia nanq; omnis, intercurrente per transuersum Tuedo, vbi æstuaria ab diuerso litore introrsus arctissimè sinuantur, atq; alia propè insulam efficiũt in duas partes diuiditur. Maiorẽ proximam continenti Galliæ, vergentem ad Hyberniam & ad Cantabricum Oceanum, Angliam ab Anglis populis appellant: qui quondam ab Hercynio saltu per Germaniam profecti, ad querendas nouas sedes in insulã trauecerint: æc pulsis indigenis, propter agrorũ fertilitat

tilitatẽ ibi consederint. Alterã verò tertia ex parte Anglia minorem, effractis longè lateq; litoribus, ad Thulem in arctũ prominentẽ, vbi Caledonia sylua, & breuissimus in Orcadas traiectus, ab recentibus etiã populis eò transgressis, Scotiam vocant. Hæc importuosa, parũ vrbibus frequẽs, horrida syluis atq; frigoribus, ab humanitate & cultu cæterarum gentium recedit. Illa verò propinquitate cõtinentis, benigniore cæli temperie, metallorum & pecoris fœcunditate florentissima omnium insularum in morem nostrũ ædificat, atq; elegantiæ plurimum studet. Angli & Scoti eadem fermè lingua, quæ Germanicæ haud absimilis est, vtuntur. Vtrisque studium rei militaris propè par, atque eadem arma, linei & ingentes arcus, alabardæ demum ac prælongi cõti: clauæ quoq; ferreæ (accias ipsi vocãt) quas ambabus manibus regũt. Præcipuũ apud vtroq; robur in pedite. Si qui adsint in bello equites magna pars sagittarij sunt, pauci verò cataphracti quòd eorũ equi, quanquam acres ad iustam magnitudinẽ non excrescant, vt Frisij, Bethici, atq; Apuli, & propterea statariæ pugnæ minus idonei existimẽtur. Corpora virorũ alba, lacerto-sa: comæ autẽ omnibus breues, & barbæ subrutilæ. Vniuersa verò gẽs supra cæteros mortales conuiuiorũ studiosissima. Ea enim per varias & exquisitas dapes, interpositis musicis atq;

ioculat

ioculatoribus, in multas sæpius horas extrahunt, ac subinde perductis choreis, amoribus fœminarum indulgent. Religione, institutis ac legibus, atque eodē corporis ac ingenij habitu medij inter Gallos atque Germanos collocantur. Fuere eæ gentes paulò antè Iulium Cæsarē qui primus nobis Britanniam aperuit, agrestes atque efferæ, nulla nauigandi peritia, nullo propè militiæ vsu, aut externarum rerū cognitione, quòd spatio dirimentis Oceani ab nostro orbe diuisi dicerentur. Sed quum Romana arma viderunt, atque eos sub Claudio Scapula Ostorius, Suetonius, Paulinus, & Vespasianus, ac mox sub Flauijs Cerialis, Frontinus & Agricola magni duces, atque ipse demum Seuerus Imperator, dum Romanum floreret imperium, circumducta classe intertora quoq; insulæ peruagati, cæsis hostium exercitibus, saltibus penetratis, atque ipsa naturæ rerū difficultate perdomita, & pacem & iugum pati coegerunt. Cæpere tūc primum repressi tamen magis quam domiti, intellectis continuò Romanis artibus, è disciplina belli negotia administrare, condere leges, & corporis robur ingenij viribus temperare. Nec mul'ò post aduentu nouarum nationum compositis moribus quum per calamitatem ruentis imperij Cæsares fatali desidia veterem fortunam amisissent, excusso statim iugo, opibus & belli gloria plur

plurimum valuerunt. Nanq; instructis classibus, vt vires in alieno solo experirentur in continentem delati, Hispanis, Gallis, atque Germanis maximas clades intulerunt. Protuleréq; in Italiam mercenaria arma. Siquidem Guelphis Gibellinisq; ferro inter se ad internitionem debacchantibus, qua clade attritis omnium viribus, res Itala penitus ab stirpe interijt. Anglos equites Ioanne Aucutho duce maximis stipendijs conductos, ob eximiam virtutis opinionem, tyrannorum auspicijs in Italia militasse constat. Nouissima autem expeditione patrum nostrorum memoria, aduersus Gallos multa præclara militiæ facinora gesserunt, & egregiæ virtutis testimonium præbet Calesia ad Gessoriacum litus, eo bello Gallis ablata, & in hanc diem ob maximam traiectus opportunitatē, maiore gentis opinione, quàm præsidij viribus, pertinacissimè conseruata. Cæterum Iacobus ab Tuedo Humeum virum nobilem cum parte exercitus ad populandos hostium fines præmittit. Is repentina incursione oppressis finitimis, obuios capit, resistentes obtruncat, eorū pagos incendit: coactaq; omnis generis hominum & pecoris præda, in pacatum regredi parat. Sed Angli quos subitus aduentantium hostium rumor, mox villarum incendia, et maioris etiam cladis metus, ad arma excierant, vindicta ira perciti, ac dolore

simul amissarum rerum, ad occupandas Viarum angustias, qua Humeum rediturum existimabant, contendunt: adortiq; è superiore loco grauis sub sarcinis hostium agmen clamore, multitudine telorum, ac mox tumultuario omnium procursu, vniuersos fundunt ac magna cæde edita Humeum fugientem persequuti, Scotorum fines irrumpunt: abactis q; armentis, & concrematis pluribus vicis in Angliam reuertuntur. At Iacobus nihil eius primi certaminis omine, quod mox infelicem rerum exitum portendit, permotus, vt detrimentum acceptum maiore commodo atq; victoria resarciret, omnes copias ad Norbanum oppidum ducit. Id corona cinctum vi capit, ac solo æquat. Inde populabundus et ferox ad oppugnandum Berwicum munitissimum oppidum, quod in finibus Scotiæ Henrici præsidijs tenebatur, proficiscitur. Interea Surreius Britanniæ procerum longè nobilissimus, quem paulò antè Henricus ob egregiam fidem atq; virtutem ad incerta belli, & ad tuendos regni fines cum imperio et iusto exercitu in Britannia reliquerat, coactis copijs ad Iacobum cuncta belli clade vastantem contendit. Aderant cum eo Dacreus finium præfectus, vir omni bellica laude insignis Odoardus Stanleius & Spurius Heron cum valida turma equitum, quam ipse nuper exul ab Scotia atq; Anglia in syluis per latrocinia

cinia et cædes exercuerat, atq; alij cum auxilijs, quæ passim à regina per vrbes scribebantur. Etenim ad noui belli famam, non tantùm proximi Scotis vti periculo expositi: sed remotæ etiam gentes, maiore odio quàm metu, quum omnes iniquo animo violati fœderis iniuriam ferrent, voluntariam militiam secutæ, ad Surreium festinabant. Posuerat tunc castra Iacobus in vertice montis, quem Floddon incolæ appellant, loco, arte atq; natura munitissimo: nam q; ab læua continentes paludes quam limosæ voraginesq; atq; internatæ passim arundineta plurimum impediebant, subiectam planiciem occupauerat: ab dextra Tylus fluuius profunditate alnei & aquarum rapiditate difficilior, quàm vt vado transiri posset, ad imas montis radices labebatur. Terga quoque præcisæ rupes & densissima nemora protegebant. A fronte verò vbi mollem ascensum atq; vnum omnino aditum Natura reliquerat, Iacobus perducta fossa & collocatis interiore labro omnibus tormentis: adeò egregiè se muniuerat, vt circumuallari ab inferiore loco, aut oppugnari sine pernitiosa hostium dimicatione non posset. Eò Surreius cùm peruenisset, admiratus locorum iniquitatem, quòd nequaquam temerè sibi oppugnanda castra censebat, ad Iacobum cum mandatis Araldum regium mittit, quorum hæc summa erat, Videri sibi Iacobum impiè crude

literq; feciſſe, quòd ſolenne pacis iuſiurandum violarit, ſanctiſſimæ cognationis iura polluerit, abſenti Henrico bellum intulerit & ſuccenſis caſtellis finibusq; vaſtatis, Anglos nihil tale verentes eodem impetu trucidarit. Propterea ſe veniſſe cum exercitu vltum iniurias: deligeret ipſe æquum locum, et certam diem vniuerſo certamini: ſe enim nulla interpoſita dubitatione quum primùm pugnæ poteſtatem faceret, de ſumma rei dimicaturũ. Ad hæc Iacobus vt erat elati animi ſpectatæq; promptitudinis, Araldo comiter appellato, gratias Surreio agit: addit q; publicè laudes, quòd pugnam vltrò deposceret, quam omnibus cum artibus vitaturum diu anxio moleſtoq; animo timuiſſet. Itaq; ſecundum eos ſpiritus pararet arma: & haſtatas Scotorum phalanges tertia die in patentibus campis expectaret. Ibi ſe de iniurijs ſeuerè cogniturum, quas intempeſtiuè contumelioſeq; memoraſſet: & nouas veteres controuerſias armis finiturũ. Conſtituta die Surreius in ſubiecta planicie tribus paſſuũ millibus ab hoſte conſedit, atq; aciem direxit. Sed Iacobus tametſi paratus erat prælio decertare ſuis tamen caſtris atq; munitionibus ſe continuit. Quoniam ab expertiſſimo quoq; procerum, committendæ pugnæ conſilium improbabatur: & ante alios Huntleius, quo nemo fortior in eo exercitu aut callidior habebatur, elatiore

riore voce, vt prætoriani quoque milites audirent, in cõſilio dixerat. Nihil ſtultius aut leuius eſſe, quàm authore hoſte manus conſerere, & ad eius arbitrium atq; libidinem ſummæ rei fortunam periclitari: Teneret ſe opportuno ipſo loco, & ferocem hoſtem cunctatione ludificaretur: magnam enim eſſe in hoſtilibus caſtris rei frumentariæ penuriam: neq; commeatum ab interiore Anglia in ſummis itinerum difficultatibus ob perpetuos imbres, poſſe facilè comportari. Sedendo, ac nihil temerè agendo breui regem ſecundiſſimis pugnaturum auſpicijs: & hoſtes iniquitate loci et commeatus inopia ſuperatos, ex tuto cædendos militibus ſuis præbiturum. Multa quoq; prodigij loco habitæ quam quam vana, & fortuita putabantur, eius animo religionem & nouũ terrorem incuſſerant. Eo enim cum ducibus de prælij ratione diſputante, lepus è prætorio proſiluerat: ac mille petitus telis per mediam ſtationem intactus euaſerat. Quin & mures ea nocte lorum galeæ fibulam q; corroſerant: & vela interioris tabernaculi ſub Auroram ſanguineo rore fuiſſe conſperſa dicebantur. His de cauſſis nequa quã prodeunte in aciem Rege, Surreius qui paluſtribus & fœdiſſimis in locis ob rerum omnium difficultatem diutius cõſiſtere non poterat, nec iudicabat hoſtem niſi ſumma compulſum neceſſitate dimicaturũ, caſtra mouit: et relictis ad

lanũ hostibus, traiectoq; Tylo flumine in æquiorem locum ad initia Barmoreæ syluæ se contulit, eo consilio, vt milites quos maximis etiam itineribus confectis fessos, toto eo triduo tenuissimè aluerat fertiliore et tutiore in loco recrearet, nouas interim expectaret copias, & ad motus hostiũ, qui multitudine sua proximos montes compleuerant, nouum & ipse gerendi belli rationem sequeretur. Intererat tãtum flumen Tylus inter bina castra regis atq; Surreij, nec vtrinq; ab tormentis atq; missilibus temperabatur. Sed magno vsui Surreio erat collis ab interiore ripa in altitudinem mille passuum molliter assurgẽs, qui castrorum frontem ab omni tormentorũ iniuria protegebat. Ex eo colle Thomas Hauardus Surreij filius eximia virtutis iuuenis, circumiectos colles, quos hostis occupauerat, subiectamq; planiciem oculis contemplatus, patri renunciat. Iacobum ab Scotia excludi, aut ex munitissimo loco detractum, elici ad pugnam facilè posse, si rursus copias superiore in loco Tylum traducat, & non magno circuitu capto, introrsus quantum montis angustiæ patiantur, à tergo sese ostendat. Surreius qui vni huic rei, vt congrederetur animum intenderat, summissis locorum atq; militiæ peritissimis, qui maiore cura situm regionis inspicerent, quum eadem illi afferrent, Hauardique consilium omnium opinione confirmaretur ex-

templo

templo conclamari, & colligi vasa iubet. Inde ad tria millia passuum promotis castris, bipartito binis q; pontibus vno tẽpore flumen transmittit. At Iacobus de Surreij consilio coniectura iudicans, ne circa eadem iuga sedendo contra dignitatem suam intercluſus ab Scotia, liberam frumentandi facultatem amitteret, ac simul quod ad retinendam authoritatem pertinere censebat, ne ex detrectatione prælij obsesso similis, aliquantum plus fiducia in loco atq; munitionibus, quàm in militum virtute ponere videretur, castra protinus mouet, & ad occupandum proximum montem, quem ne hostis prior obineret, magnopere timebat, rectà contendit. Factum est summa eius celeritate & calonum industria, qui in discessu (vt imperatum fuerat) tuguriolis militum stramentis q; & reliquo omni pabulo incensis eam regionem continenti fumo atq; atra caligine compleuerant, vt Iacobus propositum locum prius attigerit, quàm Surreius, qui ab hoste vix mille passus aberat, aut discessum eius senserit, aut longa incedentium agmina fuerit conspicatus. Ita Iacobo summa collium tenente, Surreius ad radices cum omnibus copijs succeſsit, paululumq; ibi commoratus, quòd mons neque arduus neq; difficilis videbatur, antequam hostes castra munirent, conscendere atque omnino prælio decertare constituit. Mox

aduocata militum concione demonſtrat quem in locum deuenerint: hinc præaltas fluminis ripas, illinc abruptos & perpetuos montes, niſi quàm acerrimè pugnent et fortiter vincant, omnem ſalutis ſpem & fugæ rationem adimere. Auderent contra perfidos hoſtes, qui violato fœdere per occiſionem abſentis Regis, de Imperio totius Britanniæ cogitandum ſibi exiſtimarint, neque eorum multitudine magnopere animo perturbarentur: Satis eſſe perſpectum frequentibus patrum victoriis, quantũ in Scoto roboris eſſet atq; conſtantiæ, nec defuturos in acie Deos ipſos ſicuti antea aduerſus violatores fidei, & humani iuris atq; religionis contemptores nunquam ex merito defuiſſent, modò ſuæ priſtinæ virtutis milites memoriam retinerent. Conſenſu enim omnium mortalium, iuſtiſſimam eſſe belli cauſam propulſare iniurias, & tueri armis focos, liberos, coniuges, & quod his multo preclarius videretur, libertatis pontificiæ dignitatem, quam Henricus magno animo & ſanctiore conſilio defendendam ſuſceperit: ob id mare traiecerit: atq; ita Dijs bene iuuantibus, impios ſacroſanctæ maieſtatis oppugnatores prælio pulſos, captis eorum ducibus, & munitiſſima vrbe recepta, in interiora Galliæ cõpulerit. Quin igitur Dijs hiſdem auſpicibus eadem pollutæ religionis cõtagione fœdatos aggrederentur, & ſi gentis decus ſi regii

gis exiſtimationem, priuatam deniq; gloriam atq; ſalutem cariſſima haberent. ſe ducem ſequerentur, paratum ſcilicet, aut egregiè vincere, aut pulcherrimam mortem oppetere. Conclamauere ſtatim milites, pugnæ ſignum daret, neq; dubitaret committere prælium iniquo etiam in loco: ſe enim in aduerſa montis iuga infeſtis armis peruaſuros confirmant, neq; niſi victores in caſtra redituros. Igitur Surreius in ea ſpe & militum alacritate, ex omnibus copijs tres acies facit. Hauardo primam attribuit, in qua etiam Edemundum alterum filiũ curare iubet, ipſe medium agmen tuetur: Odoardum Stanleium tertiæ præficit: Dacreum cũ equitatu in ſubſidijs collocat: tormenta certis interuallis inter ordines et in fronte diſtonit, & ad hoſtes iuſto paſſu progreditur. Interea Iacobus, vt erat ex eo monte deſpectus in ſubiectos campos, quum procul armorum fulgor, diſtinctaq; hoſtium agmina viderentur: ratus ſibi ea die victoriæ occaſionem dari, ſi natura loci atq; amplitudine copiarum ſuperior, quàm primum cum hoſte confligeret. Vrgente fato prælij ſignum propoſuit, conuerſus q; ad regni proceres qui proximi adſtiterant, talẽ habuit orationem. Poſtquàm fortiſſimi commilitones, meliori cõditione quàm vnquam antea maiores noſtri cum hoc hoſte pugnauerint, nobis hodie dimicandum eſt, memineritis hanc

esse illam diē suprema occasionis ad vindicandas iniurias, quam nec ventura sperastis vnquam, & frustra hactenus exoptastis, quum à superbissimis hostibus omnes indignitates et cōtumelias pateremini. Verùm qui hac diu per inanem iram gemendo, inuocandoq; sapius vltores Deos domi pertulimus, et tandem in hac pulcherrima rerum occasione tam iusta quàm necessaria arma cepimus, vilissima profectò capita essemus, & leuissimi omnium mortalium si, quum facto & vera virtute opus est, & conferre pedem, & per mortes & vulnera victoriam appetere oportet, tunc hostium faciem timeamus & belli pericula trepido animo metiamur. Ego quidem in bona pace his Imperij finibus contentus, tranquillitati atq; otio studere potui, & carere periculis atq; laboribus, quos quotidie belli affert, si nulla dedecoris cura habita, priuatam felicitatem & gentis dignitate & salute vestra potiorem existimassem. Sed frequentissimo vestro consensu, in maxima vlciscenda iniuria atq; omnium rerum opportunitate, quum gerendum apertè bellum omnes censeretis, quod ea quæ nos & progenitores nostri ab infensissimis hostibus sustinuissent, fœda, aspera, intolerādaq; erāt, bellum magno animo indixi, & quod peramplam mihi victoriæ spem facit, vos maiore studio, maximo ardore, & incredibili alacritate signa

signa secuti estis, vt quandoq; insigni facinore, atq; vltimo veluti virtutis opere edito, egregiam animi fortitudinem testaremur, atque immortales controuersias memorabili victoria finiremus. An forte de secundo prælij successu dubitandum? quum hostium exercitus nulla in re cum nostro sit comparandus, qui totus ex fugacissimo genere militum constat. tyrones enim sunt ex tumultuarijs delectibus in speciem militum armis instructi, dum veterani omnes, aut iuuentæ robore & specie bello idonei ab Henrico in Galliam traducerentur. Hos ergo numero paucos, lassitudine fameq; confectos quum appropinquauerint, ex superiore loco telorum multitudine non obruetis? Succedunt colli instructa acie, non quia audent, sed quia necesse est, vt honestius atq; celerius insoliti laboris ac inediæ dolorem morte effugiāt, ferarum more, quas furor in rabiem agit, quū impatientia animum, & fames ventrem exagitauerint. Mecum ergo ferrum stringite, & iugulum horum tyronum impedite, pudeatque eō non progredi mortis metu, quo me ducem vestrum pro gloria cadentem videritis. Alloquentis adhuc regis orationem, armorum strepitu ac dissonis clamoribus milites excepere. Nec mora Iacobus primum suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato omnium periculo, & spe fugæ sublata (sicuti

gentis

gentis mos est) simul & corporis robur atque animi virtutem ostenderet, omnes copias in quinque quadratas acies dispertit, ea ratione vt tertium agmen, in quo signum regium erat, atq; omnes viri insignes militabant, duplici vtrinque acie tanquam duobus cornibus clauderetur. In dextro Huntleius Craffordius & Montirosius: in sinistro Humeus Lenuoxius & Argilius qui singularē militiæ vsum habere dicebantur, curabāt. Præficitq; singulis cohortibus singulos ex ordine equestri: & cum his aliquot centuriones Gallos quos paulo antè in Scotiā Ludouicus ad tradendum disciplinam transmiserat, collocatisq; idoneo in loco omnibus tormentis, quæ magno vsui per decliuia mōtis esse non poterant, ipse in medio agmine cōtra Surreium cōstitit. Iam erexerat in aduersum collē primas cohortes Edemundus quum tormentis vtrinq; emissis, turbatisq; primis ordinibus, Humeus hastatos induxit, qui adeò acri impetu subeuntibus incubuerūt, vt cæsis anteſignanorū prōptissimis, & strato Edemundo, totam prope aciem in fugā conuerterint. Iamq; nulla spes reliqua erat consistendi, perterritis semel pulsisq; cohortibus, nisi in tanto discrimine, hinc Spurius Heron, vir admirandis corporis atq; animi viribus insignis, suo alienoq; cruore perfusus, Edemundū subleuasset, & ab alia parte Dacreus

creus ad subitæ pugnæ intentus, transuerso cursu in latus hostium procellam equitū immisisset. Mox succedente etiam Hauardo cum lectissimis militū, haud dubiè restituta acies, redditusq; iam victis animi vigor. Ita æquata prælij fortuna, aliæ atque aliæ Anglorum cohortes afflictæ cum integris, ipso metu commistæ, æmulatione virtutis rectam agminis frontem erigere in montes cæperunt. Ibi quum ad robora Scotorum peruentū esset, & vtrinque maioribus propè odijs quàm viribus certaretur, Montirosius atq; Craffordius ad cohortandos milites in primam aciem prouecti, pugnantes cadunt, perrumpiturq; hastatorum phalanx: ac dissipata per iniqua montis ab equite peditēq; conciditur. In sinistro autem cornu eodem tempore Stanleius iam contracto certamine Scotos æquioribus locis detraxerat: & superfusa sagittarum multitudine eò adegerat, vt non conferti, sed laxatis ordinibus rari ac vitabundi pugnarēt, eorūq; signa fluctuare inciperent. Quod vbi animaduertit, circunductis continuò tribus subsidiarijs cohortibus in aperta hostium latera, tantum terrorem intulit, vt sustinere irruentiū impetum, aut consistere nequierint, sed protinus coniecti in fugam, & per deiectus montis præcipitati, in siluas se condiderint. Ibi Argilius atque Lenuoxius voce manibusq; inclinæ

vlinatam aciem retentantes interficiuntur. Interim Iacobus qui paulo antè cum Surreio pugnam inierat, vt ab cornibus turbari suorum ordines, atq; hostes ab lateribus circumfundi videt, cohortem prætoriam, euocatos & proceres quos circa se habebat adhortatus, vt nihil se, nihil maioribus suis indignum committerent, in medios hostes induxit, Ita nouũ priori acrius de integro prælium ortum, quòd tota ea acies tecta ferro. Anglorum sagittas egregiè sustinuerat, obtruncatisq; primorum ordinum aliquot centurionibus, ad signa propè peruaserat. Erant vtrinque procera virorũ corpora opinione virtutis ad supremos casus ab vtroq; duce delecta: prælium q; vt necesse erat, varium, anceps modò hus, & modò illis prosperum & exitiabile. Rex ipse ante signa pedester pertinaciss imè pugnã ciens, alios laude, pudore alios, omnes denig; vario hortatu accendebat, vt quod tantopere desiderassent, adepti hostes ferro atq; vulneribus vlciscerentur. Contra Surreius, quum optimus quisq; aut caderet, aut sauciaretur, magna vi contendere, vulneratos in postremã aciem subducere, suos plurimũ adhortari, vt ad gladios rem adducerent: & qua maximè hostes vrgebant multum ipse pugnare. Sed dum incerto adhuc pugnæ euentu ad vexilla res geritur, Hauardus & Stanleius qui ab vtroque cornu

cornu pulsis hostibus victores ad mediũ agmen redibant, cõuersi in hostem bipartitò signa intulerunt: & in tempore Dacreus quoq; in tergã quàm maximè confertis equis incurrit. Ita Scoti quum ab fronte, ab latere, à tergo caderentur, neq; labore & vulneribus fessi, per aceruos corporum atque armorum perrumpere possent, circunuenti in orbem pugnare coguntur. Tum verò Iacobus quum regium vexillum, cadente Adamo cui Forman erat cognomen stratum vidisset, nihil iam dubitans quin è vestigio moriendum esset, vt ab imminentibus contumelijs animum vindicaret, in confertissimos hostes procurrit ibiq; pugnans confoditur. Nec longè ab eo pari pertinacia atque virtute contendentes interficiuntur viri sacrati, & sacerdotijs insignes, archiepiscopus vnus, episcopi duo, abbates quatuor: proceres vero, & equestri dignitate honoribusq; militiæ illustres triginta sex. Humeius & Huntleius equos per tumultum nacti, cum postremis cohortibus, quæ vt constabant ex ignauissimo genere militum, maxus non conseruerant, beneficio imminentis noctis in Scotiam profugerunt. Ad octo millia Scotorum eo die cæsa: totidem fermè capta sunt, omnia verò signa militaria relata: & tormẽta maiora viginti duo: in queis fuere colubrina septem ingentis magnitudinis, quas Iacobus, à similit

similitudine, septem sorores appellabat. Castra verò eodem impetu expugnata, direptaq; cadauer regis postremo die à Dacreo repertum, & Berwicum delatum, vbi diu sepultura caruit: nam ab Anglis, quòd Gallis schismaticisq; fauisset sancto funeris sepulchriq; honore, & Christianis cæremonijs indignus putabatur. Adnotabant plerique repetitæ superiorum regum memoriæ, Iacobum infelici potius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno atque idem sortiti nomẽ ante diem ferro perempti mortem oppetissent. Sed hunc tanquam ad meritam raptum pœnam nemo defleuit, quòd ipso pugnante, pater in aduersa acie ad parricidij notam fuerit interfectus. Eo modo quum ad Tylum quarto Idus Septembris, anno à Christi natali millesimo quingentesimo tertiodecimo ad internitionem Scotiæ nobilitatis pugnatum esset, Surreius speculatoria naui, quanta maximè potuit celeritate, literas rei feliciter gestæ, & occisi regis paludamentum multo cruore conspersum Henrico transmisit. Diuerterat Henricus per eos dies Lillam: vbi capta Taruanna Margaritam Cæsaris filiam conuenit. Ea etenim illustribus fœminis comitata studio visendi regis, & vt patrem exciperet, è Gandauo illuc vsque gratulabunda processerat.

rat. Itaque prætetitia perpetui dies edendis spectaculis atque conuiuijs absumpti: decurrereque nobilissimi Belgarum cum Britannis: omnibus vtrinque cultu virtuteq; certantibus. Sed Henricus cognitis rebus, quæ in Britannia gestæ fuerant, in ea rerum fortuna non cunctandum ratus, ad Tornacum exercitum mouit. Ea est ciuitas Neruiorum longè amplissima, & mercatorum concursu atque opibus, celeberrima: quam non multis ante annis suo iure viuentem, Gallorum reges in fidem ditionemq; receperant. Nec Tornacenses in eo bellorum metu quanquã haud dubiè libertatem amisissent, studendum sibi nouis rebus, aut quicquam aduersus Gallos moliendum arbitrabantur, quoniam ab his in vtraque temporum fortuna belli & pacis, clementissimè sibi imperitatum existimabant. Igitur vbi Henricus magnitudine castrorum vrbem circumplexus tormẽta admouit, censu eorum habito, qui propugnare possent, supra triginta millia hominum conscribunt: magnam vim telorum in murum comportant: reficiendis mœnibus atque extruendo intus aggeri plurimum student: & summa alacritate (vt sunt ad quæque rerum vitia ardentissimi plebis animi) primos oppugnationis impetus egregiè sustentant. Sed quum maioribus tormẽtis propugnacula

deijcerentur, nec potestas esset consistendi in muro, & uno atque altero in loco instituta interius munitiones cõtinentibus mœnium ruinis nudarentur, cœpere tunc primum præsentibus periculis territi, propria quisque salutis consulere, loca deserere, ab signis domum dilabi, ac demum cogitare quod in discrimen se, liberos, coniuges, atq; omnes Vrbis fortunas conjicerent, si diutius sine militum præsidio tueri mœnia adversus tantum exercitum conarẽtur. Ita Neruij quondam Belgarum fortissimi, nihil memorabile, aut dignum prisca bellj gloria in oppugnatione perpessi, quum frustra Gallorum auxilia expectarentur, emissis oratoribus qui se imperata facturos dicerent, mulctati pecunia deditionem fecerũt. At Heluetij paucis ante diebus quam hæc in Britannia fierent, Heduorum fines hostiliter ingressi, ab ea quoque parte Gallis magnum terrorem fecerunt. Nanque Tramulium, qui opportunis in locis ostentatæ aciei venientibus sese obiecerat, ac se demum tantæ multitudini imparem ratus, passim cedendo ac detrectando certamen retro abierat, in Vrbem Diuionum compulerant: & prolato oppugnandæ Vrbis apparatu, circumsessisq; itineribus adeli iactum ab muro castra posuerant. Erat apud Heluetios Germanorum equitum præfectus Vldericus Virtembergensis regulus: per

per quem Heluetij rem frumentariam pronissam habebant, explorabant itinera, loca castris anteceperant, & quæ pedestribus copijs usui forent, summa facilitate consequebantur. Is quanto maxime poterat studio cœptæ oppugnationis negotium administrabat, totoq; animo ad celeritatem incitatus in quaskem ipse posuerat, nihil apud suos, nihil apud hostes remissum patiebatur. Quod neque perterritis hostibus, aut confirmandi sese, ac muniendæ Vrbis spatium dari, neque mora interposita, multitudinis frangi impetum, quæ haud facilè uno consilio agitur, colebat. Ita, quum latè murorum strage edita, interiora Vrbis paterent, & per ruinas quæ fossam magna ex parte compleverant, ad irrumpendum aditus continuè pararetur, ipse circumeundo opera atque manipulos, adhortari gregarios milites, ac docere, quantum ad summam Victoriæ pertineret, postiri omnium rerum plena atq; opportuna Vrbe, in qua si paululum adniterentur, & dux belli atque ornatissima alia equitum cum ipsis ciuium fortunis, in præmium laboris atq; Victoriæ cessura essent. Aduersum ea Tramulius, tametsi usus egregia ciuiũ uoluntate, & perpetuo labore militum subitarias munitiones erexerat, tormenta & omne genus telorũ in murum contulerat, cataphractos pedibus pugnare iussos

in prima acie ſtatuerat, ciues ad omnes quoq; caſus confirmatis eorum animis armauerat. Nihilominus quod dudũ rem in Morinis infeliciter geſtam eſſe cõpluribus nuncijs afferebatur, nullam ſibi iam prælij fortunam expectandam ratus, tentare Heluetiorũ animos antequã perſe gens effera cæde atq; vulneribus irritaretur: et denicq; omnib. cõditionibus pacem petere conſtituit. Igitur idoneos nactus homines, qui vna cum Heluetijs in Italia fuerant, & ex longa militandi conſuetudine & mores gentis & ducum ſtudia, & veteranorum etiam voluntatẽ apprimè nouerant, impetrato colloquio emittit. Ii familiares centurionum & eorũ præſertim pagorum ſignifferos, quos haud obſcure Gallicis rebus fauere compertũ habebant, adeunt: in primis veterẽ & recentem Gallorũ amicitiam cum Heluetijs, & antiqua odia Germanorũ proponunt, & quam demiſſe deprecantur, ne finitimum regẽ in ea rerum fortuna opportunũ iniuria exiſtiment, ne eum ſocium amicumq; tam ingratè oppugnare contendant, qui Heluetios in honore ſemper habuerit, & maximis ſtipendijs, & priuatis quoq; muneribus liberaliſſimè pace belloq; affecerit, & in eam demũ rerum amplitudinẽ & virtutis exiſtimationẽ ſuis auſpicijs perduxerit. Tribuerẽt aliquid antiquis fœderibus, neq; pro leuibus atq; alienis

nis belli cauſis, ſumma beneficia animo deponerẽt. Quòd ſi bellum quàm æquiſſimã pacem malint, et Galliæ vires tantoperè deſpiciãt, vt belli caſus communes eſſe non exiſtiment, recordarentur, quibus iniurijs, quot cladibus illatis, Cæſarem & Germanos antiquos hoſtes affecerint, quo potẽtia eos euecturi ſint, ſi tum parta victoria, Burgundiam antiquis imperij finibus adijciant. Num Cæſarẽ verum & propriũ hoſtem, putent ſtaturum nouis fœderibus? ac nihil mox auſurum aduerſus eam gentem, cuius ſanguine Caroli ſoceri manibus parentare. & vlciſci lethale vulnus ad Baſileam acceptũ quandoq; deſideret. Hæc illi publicè & ad vulgus militum. Cæterũ priuatim largitionibus aggreſſi pagorũ primores, ingẽtia pollicendo, atque omnes ad pacem pertentando aditus, breui plurimum animos expugnarunt, quòd neq; arduum aut difficile fuit, propter factiones, que apud Heluetios erant. Nanq; ſicuti cæterarũ quoq; gentium mẽtes, communis vnus morbus agitare cõſueuit quo ſe contraria in ſtudia ſcindant, & ſi externa deſint mala, inſanus diſſenſionib. domi ſæuiãt: ita Heluetios eadẽ mali tabes inuaſerat: nãq; aſperi montaniq; homines quondã facta conturatione, quum omnẽ ſuam nobilitatem vno prælio deleuiſſent, pugnaſſentque multis annis pro ſola libertate ſumma eorum cõcordia

viribus in vnum coalescentibus, & partium nomē, & diuersa studia dedidicerāt. Sed posteaquam secundis bellorum euētibus, apud exteras nationes magni clariq; fuere, ad fouendas Gallorum partes operam suam transtulerunt. Primi omnium Bernenses, amplitudine ciuitatis & militū numero magnæ inter ceteros authoritatis, Lucernenses demū & Friburgēses, ac multi præterea ex alijs Pagis, iam vulgata inter milites pacis mentione, atq; ex ea causa intermisso ardore oppugnationis, rem ad consilium deferunt, in quo principes exercitus, tribuni, & primorum ordinum centuriones præterea scribæ & signiferi sententias dicere, & de summis rebus deliberare consueuerunt. Nec Vldericum adhibent, quòd virū fortem in ea rerum occasione belli auidum, & Cæsaris sequutum partes, paci aduersaturū intelligebant. Quare cūcti propè ad Gallum inclinant animos: ac petentibus pacem dandam & reducendas legiones esse censent. Verūm quo honestius commutasse belli consilia viderentur, & Cæsarem, ad quem tota facti contumelia recidebat, aliqua ex parte leuarent in has conditiones pacem dixerunt. Ludouicus Gallorum rex concilium Pisanum, quod in Galliam translatum sit, atque omnem sacerdotum controuersiam edictis tollat, in posterū ab Romano pontifice non discedat, neque eius

vrbes oppidaue attrectet. Eā Burgundiæ partem, quam iure consulti statuerint, Carolo Cæsaris nepoti restituat, ex arcibus Mediolani & Gremonæ præsidia deducat, Gallia omni Cisalpina in posterum abstineat, milites Heluetios nisi vniuersi oppidorū Magistratus assentiant, mercede ne conducat: Heluetijs pro impensa suscepta expeditionis quater centena millia aureorum nummum exoluat, intra quindecim dies dimidium eius summæ, reliquum intra menses duos: Itē Vldorico & decem ijs equitum octo millia pro mercede impendat. Erant superba & periniquæ conditiones, Gallorumq; animos ex indignitate rerum eò furoris adegerant, vt conscriptas tabellas propè discerperent, quòd Alpini homines inter syluas, armēta, & abruptos montes nati, atque omniū propè humanarum rerū egeni tantos sibi spiritus, ac tantam denique arrogantiam sumerent, vt circumscribere prepotentem regem, eiq; per ludibrum acerbissimas leges imponere auderent. Sed Tramulius nihil permotus, quod respicere ad summā belli, atq; omni industria præsentibus malis occurrere sani & prudentis imperatoris arbitrabatur concedendum aliquid necessitati atque periculo, quod haud dubiè omnium saluti trahebat. iudicauit. Porrò Heluetij, quum iniussu regis nec pacem vllam fœdusue rectè fieri posse, nec

sponsori Tramulio credere tutum esse existimaret, propter necessariam temporis dilationem, quo spatio Ludouicus consuleretur, obsides postularũt, qui capite luerent, si citra statutum tempus pacto non staretur, aut rex acta Tramulij minimè rata & firma esse censeret. Itaque obsidibus acceptis, & ex formula iurisiurãdi tabulis conditionum obsignatis, castra mouent, & per Sequanorum fines sine maleficio domum reuertuntur. Hæc vbi in Morinos literis & fama perlata sunt, Cæsar & Henricus haud ignari tantum sibi ad conficiendum bellum facultatis & virium detractũ iri, quantum hostibus ex ignominiosa pace terroris atque periculi decessisset, fractis tãta spe animis, ad aliam belli gerendi rationem omnes cogitationes cõuerterunt. Sed paulo post Cæsar eadem celeritate qua venerat, in vlteriorẽ Germaniam abscessit. Henricus autẽ post aliquot dies oppidis propè omnibus Neruiorum in potestatẽ redactis, quum diu rerum Hispanicarum expectatione frustratus, delusus ab Heluetijs, & cũctantibus Gallis iam exacta æstate, bellum spargere & ad singulas vrbes circumducere exercitus nollet, relictis præsidijs ad tutanda quæ cæperat, Calesiam redijt, primo quoque tempore ad triumphum Scoticum in Britanniam traiecturus. Sed dum milites atque tormenta nauibus imponit, & tranquillitatẽ maris

maris opperitur, Gallica classis quæ post Odoardum ad Blancasubiã interfectum, nihil ea æstate memorabile gesserat, è superioribus portubus deducta, ad freti angustias deflexit, eo cõsilio vt Britannicam classem transportandis militibus occupatã aggrederetur, onerariasq; ad Portesmutum insulam in statione relictas incenderet. Verùm tanta subitò tempestas coorta est, vt magnis si vnquã fluctibus mare illud intumuit, tunc maximè vadosi freti æstu, & valida refluxus mole insanierit. Ita Gallicæ naues puncto temporis dissipatæ, quum aliquas hausisset Oceanus, aliquas litorum scopulis allisisset, ante portum Humfluorum naufragiũ fecerunt: aliquæ fusis armamẽtis quæ cursum tenere non poterant, capiendas sese parato hosti præbuerunt. Erant nonnulli mortales qui hæc in religionem verterent, & diuinam esse iram interpretarentur, quòd schismate sacerdotumq; dissidio pollutã esse Galliam existimarent: quãquã ea die quæ fuit Idibus Octobris, acciderit, vt Luna plena esset, quæ dies testimonio C. Cæsaris maritimos æstus maximos in Oceano facere consueuit. At Ludouicus post pudendam pacem, dissimulata palam ea insigni cõtumelia, quũ decessisse finibus Heluetios, Ferdinandumq; regem nihil Henrici generi successibus permotum, præclarè induciarum fidem tueri, contentumq; Cantabria suis se te-

uere Pyrenæi saltibus, & iam senescere Britannicum bellum, instareq; hyemem aduerteret, mutato animo conditiones improbare atq; reijcere cœpit tunquã summæ iniquitatis & insolentiæ plenas: ideoq; testari se tam superbæ paci nequaquam staturum, quam Tramulius ex arbitrio cum Heluetijs spopondisset. Consiliarij quoq; & magna pars togatorum, postquã ex indignitate pactionis regem furere criminariq; vltrò Tramulium viderunt, ex adulatione & metu potius, quàm quòd id ex æquo & iure esse dicerent, vt pacem irritam facerent, pœnitentiæ, & fraudi sanam iuris speciẽ imponere contendebant, quòd Tramulio iniussu regis nõ liceuerit vlla turpi sponsione bellum finire, exemploq; Caudinæ pacis quòdam cum Samnitibus à Consule Postumio factæ, nihil quod Gallos ex pacto, vel religione obligaret, iniussu regis rite fieri sanciriue potuisset: Num etiam eodem iure, si Tramulius ex metu, vel sua temeritate spopondisset, Regem diadema positurum, vel Lutetiam Parisiorũ antiquissimam regiam desertum, traditurum arma & vniuersam Galliam Heluetijs sectigalem facturum, ea omnia ex æquo & bono sponsionis pariter seruanda forent? Ex aduerso quoque nõ deerant, qui hæc vti inania & puerilia detestantes priuatis sermonibus dicerent, Tramulii egregium fortemq; virũ cuncta ordine

sapien

sapientissimeq; fecisse, quòd in ea rerum desperatione tot hostibus coniuratis, hinc & inde prementibus, atque alijs haud sincera side euentum belli spectantibus, saluti totius Galliæ maturè atque opportunè consuluisset: eum esse inter Galliæ proceres, qui multis rebus integrè & feliciter gestis, carpentis vulgi inuidiam virtute superet. Non ea rectè improbari cõsilia, quibus cautus Imperator atque hostiũ expertus magnis periculis occurrendum esse duxerit. Cæterum Heluetij quum se deceptos intelligerent, quòd Ludouicus pecuniam non dinumeraret, quam ipsi ante alia deposcebãt, manifesteq; appareret nihil eum ex eo fœdere præstaturum coacto apud Lucernam concilio, iureiurando omnes affirmauerunt, se quam primum per occasionem possent, vlturos deceptorem regem atque eadem quæ fœdere promisisset, armis repetituros. Habita insuper quæstiones de his qui enixè fouisse Gallorum partes ferebantur. Tortus inter alios Gaspar Goldius factionis princeps, de aliquibus etiã crudeliter supplicium sumptum: nam vulgus militũ & sordidissimi quique procul à militia, claros homines multis fortibus factis, qui ordines apud Gallos duxerant, crimini atque inuidiæ expositos deferebant. In quos ab accensis ira Magistratibus tãto seuerius animaduertebatur, quanto omnes eleuare infamiam

turp

turpissimi facti, & fœderatis principibus satisfacere cupiebant. Eadem æstate iussu Leonis pontificis, Bernardinus Caruaial & Federicus Sanseuerinas pseudocardinales, quos per interregnum ad Liburni portum captos, & Florentiæ asseruatos memoramuimus, Romam venerunt. Quibus mox à Leone supplicibus ac veniam petentibus, antiquus pilei honos restitutus, magna tamen patrum dissensione. Nanque Matthæus Sedunensis efficacis ingenij, & acerrimæ vir eloquentiæ, Christophorusq; Eboracensis Gallorum hostes grauissimis orationibus aduersabãtur, quòd ad eosdem dignitatis gradus, fœdo, & in posterum exitiabili exemplo reducerẽtur, qui miserã in primis Italiæ, & sacrosanctõ pontificiæ libertatis propugnatori, excitato vbique terrarum belli incendio, tot calamitates intulissent. Verũ pontifex cuius mite ingenium facilemq; naturam in specimen cæterarum virtutum omnes illo tempore laudabant, clementius agendum sibi aduersus eos quos opera sua captos constabat, existimauit, vt pontificatus initia quietè rerum paceque firmaret, & finem imponeret controuersijs, quas translato Lugdunum concilio turbulenti sacerdotes excitarant. Siquidem fessos, & aduersis successibus fractos, ostẽtata spe veniæ, ad sanitatem redituros apparebat. Nec multo post Ludouicus haud ignarus tan-

tantam bellorum molem, qua ipse obrutus quassatusq; vix steterit, ab diuina ira pendere, vt religioni ac pontificiæ maiestati satisfaceret, perturbatoque & exhausto regno consuleret, adulterinum coculum abrogauit: iussitq; Claudium Massilienſem Episcopum & Solerium legatos suos Lateranensi adhærere: illudq; prædamnato Pisano, vt sanctum atq; legitimum approbare. Idem fecere Guliermus Maclouienſis, & Renatus Baiocensis: qui & ipsi antea à Iulio gradu pulsi, ad pristinos honores redierunt. Eodem quoque anno Iulianus Medices Leonis frater ab Senatu populoq; Romano ciuitate donatus est: in cuius gratiam, in area Capitolij temporarium theatrum extructum est omni picturarum varietate mirificè cultum. Egere in scena Plauti Penulum decore mirabili, & prisca quidem elegantia Romanæ iuuentutis lepidissimi quique, variaq; extra ordinem poemata recitata. Florentibus non aliàs fœcundiore seculo Poetarum ingenijs. Siquidem pontifex liberalibus disciplinis institutus, veluti paternam gloriam in eo virtutis genere superaturus, quum publico elogio literatorum Præsidium inscriberetur, studiosos omnis elegantiæ qui inter armorum strepitus nõ emerserant, iam tum magna spe liberalitatis accenderat.

PAV

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XII.

DVM hæc in Gallia atque Britannia gererentur, Cardonius & Prosper, qui vt supra memorauimus, Gallo ab Helvetijs profligato, Liuianum è Tombis Patauinum redeuntem subsecuti, in Venetiam duxerant, Patauinum omnem agrum ac Vicentinum nullo prohibente populabantur. Enimuerò Liuianus & Baleonus ex decreto Senatus partiti inter se copias, & Patauium atque Tarusium præsidio tueri iussi, vt imminentem hyemem expectarent, nullam hostibus pugnæ copiam faciebant. Emittebatur autem leuis armatura equestris, quæ subitis excursionibus hostium pabulatores infestaret, cognoscendi-

que eorum consilijs, ad castra exercitatione quotidiana progrederetur, neque id sæpius frustra factum: Nam quum Caruaial è castris in proximum pagum diuertisset, à Mercurio, qui per momenta temporis vestigia hostium obseruabat, captus est. Eius equites, inter quos erat Spinosa vir fortis cum duobus militum præfectis, diu frustra per angustias viarum colluctati, vt eruptione euaderent, in potestatem absque vulnere deuenerunt. Transfugerat paulo antè Mercurius à Cæsare ad Venetos ex inconstantia animi, an ob iram fortè aliquam: vel spem liberalioris militiæ nobis incompertum. Caterum Cardonius ostensurus magis oppugnationem, quàm tale negotium summa vi tentaturus, productis castris duobus passuum millibus à Patauio consedit, neque enim propius castra metari licuerat, quoniam Veneti per id tempus, quod vacuum à bello atque ab hoste otiosum fuerat, Patauium tanquam belli aucem & Venetiarum propugnaculum mirabili studio communiuerant. Suburbanas villas, hortorum sepes atque macerias, excisis quoque opacis arboribus, ne vel vmbram quidem qua tegeretur hostis haberet, solo æquauerant. Inde felicis agri vasta planicies circumquaque patescens, nihil tutum si in conspectum vrbis venirent, à tormentis, qua pro turribus dispo-

dispositæ fuerant, relinquebat. Ob eas difficultates Cardonius & Prosper fossam, per quam tutò copiæ atque tormenta ad murum perducerent, facere instituunt, ea quidem ratione, vt egesta humus in læuo margine aggerem faceret, atque altitudine sua commeantes milites ab omni missilium iniuria tueretur, ita ex tuto mœnibus appropinquare, vineas agere, & nouis operibus obiectis muralia tormenta subuehere posse confidebant. Verùm quum per aliquos dies contracto ex agris magno agricolarum numero, aliquam operis partem perfecissent, & ex vrbe expedita cohortes atq; equitum turmæ in opus molientes emissæ, omnia turbarent: institutum aggeris quod minoribus etiã ducibus difficile videbatur, omissum est. Sed nec postea per otium dies acti: nam vtrinque equites & pedites leuia certamina committebant. Vnum fuit memorabile. Tres Hispani pedites elati animi, Italos ad certamen prouocarũt, nulla quidem priuata simultate: sed vt si essent aliqui Romanæ indolis in Veneto exercitu, contra progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Liuianus, quum ea vox à militibus alacriter excepta fuisset, multique certatim eas partes deposcerent, totidem manipularios experta virtutis emisit: qui breui vno è tribus Hispanis interfecto, cæteris sauciatis & captis, victoriam cum

cum plausu & gratulatione militum retulerunt. Iam æstas præcipitauerat: Cardoniusque & Prosper nequicquam oppugnatione tentata ad Albaretum prope Athesim castra reduxerant, quum Matthæus Gurcensis cardinalis qui tunc Veronæ præerat, vrgere literis ac nunciis duces cæpit: incusare eorum otium, & palam conqueri, quòd exercitum tot auxiliis firmum paratumq; omnes labores pro Cæsare subire, in æstiuis tam diu esse paterentur, nihilque iam propè exacto autumno, quod ad commodum tuendamq; existimationem Cæsaris pertineret, effecissent. Ducerent quoquomodo in hostem, & cum excidio hostilis agri Fortunam periclitarentur. Milites quoq; Germani atque Hispani, apud quos spes prædæ, cædes, vulnera, et virtutis decus, omni securitate atq; otio cariora ducebãtur, turbidis vocibus, vti ad aliquod egregium facinus educerentur flagitare: vix abstinere à probris: & ducum famam lacerare. Quibus de causis excitatus Cardonius, commutandam sibi omnem belli rationem existimauit, vocatis q; in prætorium præfectis: Scio inquit, viri fortes vsuq; militiæ periti, perfidiæ mihi vel ignominiæ parari contumeliam si nouum consilium euentu aut asperum aut felix minimè capiamus. Enimuerò patientiam meam vinci patiar: succumbamq; paucorum libidini qui me dicunt

ex composito bellum alere, & delectari magis Imperio & populationibus quàm vera laude maturaq; victoria. Duæ sunt in conspectu munitissimæ hostium urbes Patauium atq; Taruisium, quæ oppugnari capiíve nostris viribus haud facile possunt, quum id Cæsar ipse ac paulo pòst Roscius atq; Palicia multitudine fortissimorum militum, ac mirifico oppugnandæ urbis apparatu freti, difficillimis etiam Reipublicæ Venetæ temporibus, cum iactura tentauerint. Superest, postquam finiendum est bellum, vt nostra virtute atq; ausu, omnibus incommodis atque omnibus belli calamitatibus hostes, qui congressum vanis artibus deuitant, exagitemus. Neque hoc erit factu difficile, si transmisso Medoaco, ea oppida quæ ad mare sunt infestis armis adeamus, atq; omnia ferro igneq; populemur. Tunc enim hostes qui per ignauiam inclusi mœnibus hybernorum tempus opperiuntur, vlturi iniurias, aut in aciem descendent facultatemq; victoriæ præbebunt, aut luctuosum regionis excidium prospectantes, nos omni præda onustos & intactos redire patientur. Duces qui in consilio aderant, in vtramque partem disputatione habita, variè sentiebant. Alij enim quibus feruida ingenia, elatis exercitus viribus prosperos rerum successus polliceri consilium Imperatoris qui dignos suo nomine spiritus gereret, laudare: alij contrà

contrà rerum vsu & militari prudentia insignes, intempestiuam Cardonij audaciam non probare, non esse enim eò temere procurrendum, vnde vel difficilis receptus foret, vel clades, aut ignominia timerentur. Ipse ante alios Prosper Columna, qui virtutis militaris inueteratæq; prudentiæ fama, quanquam ad Cardonium summa Imperij respiceret, cuncta propè in eo exercitu administrabat, cunctator natura, & cui belli casus atq; fortuna maximè displicebant, multis rationibus Cardonij consilium improbare, immoderatam eorum fortitudinem, qui temeritatem atque Fortunam pro disciplina sequerentur, coarguere. Quid si inquit postquam hostes contemnitis, dum in sinu eorum cuncta ferro flammaq; populamini, tunc imbres è turbida nube ceciderint, vt anni tempus & regionis natura minantur? Num aliquam aut reditus aut salutis spem habebitis? Num putatis dum inexplicabiles imbribus vias, lubricus & limosus ager inflatiq; amnes iter expeditum denegabunt, tunc Luciani ingenium percitum et ferox quieturum? Non cunctaturam ad excidium nostrum montanorum agrestium multitudinem, quibus nihil infestius, nihil crudelius? Num si obsessis iteneribus commeatum auertant, & eminus & cominus lacessant agmina, onusti sarcinis, enecti fame, nullo stabili vestigio immixi aciem

explicabitis? & spem in dextris atque virtute ponetis? Ego Cardoni sicuti finem belli atq; victoriam hoc exercitu incolumi nobis non sero obuenturam arbitror, ita propositi tui sententiam graui proximam periculo minime laudarim, quòd si id duxeris è commodo Ferdinandi regis & Cæsaris, ipse votis nuncupatis, vt ea res prosperè atq; feliciter cedat, lubens volénsque iter & arma primus arripiam. His verbis Prosper, quanquam iniecto discriminis metu aliquorum animos perculisset, videretúrque is ardor, vt ex vultu apparebat, aliqua ex parte refixisse, nihilominus Cardonius in sententia vt proficiscendum esset perseuerare: nihilq; dictis Prosperi commoueri, vrgente maximè Piscario, qui quum pedestribus copijs præesset, agendo pugnandóque laudem quærebat. Igitur postquam de profectione decretum fuit, pronunciari iubet, vt milites scorta, quæ in varios vsus Germani, Hispani verò ad libidinem trahere consueuerunt, inutilesq; ministros dimittant sarcinas & impedimenta relinquant, nihil præter arma parẽt. Hæc omnia simul & inualidos vel parum idoneos milites Veronam remittit. Postero die lustrato exercitu cognoscit hanc esse summam copiarum: Hispanorũ tricenarias cohortes quindecim, Germanorum septem, quarum singulæ quingentis ferè militibus constabant, veteranus verque milet

miles, & recenti virtutis gloria insignis, vtpote qui nuper ad Rhauennam inter se fortissimè dimicarant. Hispanis Piscarius: Germanis Iacobus Landaus præerant, Septingenti item equites cataphracti ex vetero militia Ferdinandi Regis. Centum quoque & quinquaginta Germani sub Riciano, & Celebergo Cæsaris ducibus: atq; ità leuis armaturæ expedita manus, quam Succarus Heduus ducebat. Ex Pontificio verò exercitu (nam Leo fauere Cæsari ex Iulij Pontificis fœdere tenebatur) Troilus Sabellus, Mutius Columna, & Vrsinus Mognanius, hic leuis armaturæ equitum alam vnam, illi autem cataphractorum duas adduxerant. Sexcenti etiam Hispanici generis equites, in queis plerique sagittarij sub Petro Castrio censebantur. His copijs optimè instructis, Cardonius duodecim falcones æneos præsidij causa adiungit, & ab Albaretto ad Boualentã castra mouet. Id oppidum opulentum & frequens primo incursu occupat ac diripit. Inde ad Medoacum progressus incerto profundoq; alueo decurrentem, cymbis ac lintribus, quas carris aduexerat inter se connexis, continuò superat, atq; in sinum fertilissimæ regionis cuncta belli clade euastans defertur. Hinc Plebis Sacci celebre oppidum euertitur, capti incolæ, direptæ domus, abacta armenta, & iniectæ demum ædibus faces: mox

quum furens barbarus in ipsas suburbani li-
toris delitias peruenisset, infelices passum Vil-
las, & superbæ prætoria, quæ regio sumptu lon
ga in pace ac florentibus Reipublicæ tempori-
bus, Veneti primates extruxerant, maiore
quàm vnquam inuidia in Italiæ debacchatum fuerit, miserabili incendio absumpsit. Troi
lus quoq; qui triennio ante à Venetis discesse-
rat, cum equitibus suis & cohorte vna pro-
gressus ad Licefucinam vicum, vbi naues ver
satili machina è Medoaco in Hadriaticum
traducuntur, omnia metu complet ac in pra-
dam vertit. Deseruerant ædificia accolæ: &
cum armentis metu territi Medoacum tran-
sierant, relegatis q; in vlteriore ripa omnibus
nauigijs, ne illis potitus hostis ad transitum
vteretur, sagittis eminus sese ac ripam tue-
bantur. Troilus contrà dispositis sclopetarijs
eos territat, atq; è ripa depellit: mox militem
adnatare & retrahere scapham iubet. Qua è
vestigio retracta scandentibus plurimis, ce-
tera naues ab vlteriore ripa soluuntur ac tra-
ducuntur: confestim q; earum beneficio flumen
traijcitur. Agrestes etsi multitudini suæ, &
sagittis quas ligneis arcubus emittunt, mul-
tum confidebant, quum militum impetum su-
stinere non possent, in proximas paludes confu-
gerunt. Hoc confecto negotio Troilus ex primo
quoq; odio hospitalibus, diuersorijs cæteris q;
ædificijs

ædificijs incensis, in castra reuertitur. Eodem
quoq; tempore Mutius cum ala equitum &
valida Germanorum manu, Mestrium fre-
quentissimum oppidum contendit, fusisque in
itinere paucis hostium equitibus, quum coniec-
tos in fugam continuò sequeretur, eodem cur-
su immixtus Venetis, portam irrumpit, Vi-
busque superior, desertum à Mestrinis, oppi-
dum occupat: arcemque pari fortuna temerè
munitam interfectis defensoribus capit, ac sta
tim sauientibus Germanis in discessu oppi-
dum incenditur. At Cardonius et Prosper in-
terea cum tota mole exercitus circumiectum
agrum eximiæ fertilitatis effusè populati, ad
Margariam maritimum vicum castrametan-
tur: indeque breuissimo maris interiectu
prospectantes hostium sedem, tormenta per
aggerem in proximum litus deduci, & in con
tumeliam superba atque opulentissima ciuita-
tis dissipari iubent. Ea res non alias maiore
metu attonita ciuitate, non tam sclopis boati-
que horrisono plebis fœminarum q; aures per-
culit, quàm conscriptos patres, atq; ipsos ma-
gistratus in aduersis semper intrepidos, incre-
dibili mœrore affecit. Fumabant procul gras-
santibus incendijs Villæ, Vici, castella, oppida,
neque aliud quàm tantulum maris spatium
simile vrbis calamitatem morari videba-
tur. Erant qui è sacris turribus, & speculis,

cognito tractus ac litoris situ, propriarum vil-
larum flammas agnoscerent, & cadentes do-
mos frustrà lachrymis prosequerentur. In tan
ta calamitate, quum omnium animi ad vlci-
scendum arderent, Liuianus prope insaniens,
per literas ac nuncios singulis horarum mo-
mentis ab Senatu petere, ne se diutius in otio
clausum teneri, ne tot ac tantas iniurias cum
ignominia è mœnibus contemplari ac deflere
absq; vllo vindictæ solatio paterentur: habere
se iustum exercitum duratum in armis, ar-
dentem pugnæ studio, vindictæ cupidine ve-
hementer incitatum, quo demorari hostes impe-
ditos prædæ onere, transitu fluminis prohibe-
re, ac concidere facilè posset, si sibi ius imperij
pugnandiq; potestas libera relinquatur. Ergo
summo omnium studio ab Senatu Liuiano re-
scribitur exercitum sub signis educat: cum Ba
leono iunctis viribus vna castra faciat, et si id
è commodo reipublic. duxerit, quam primum
nactus & loci & temporis opportunitatem,
cum hoste confligat. Decreto Senatus accepto,
Liuianus parat sacra publico ac patenti in lo-
co. Quibus peractis, apud milites concionatus,
exploratam, inquit, certamq; victoriam hodie
non haberem de barbaris immanissimisque
latronibus: qui tot calamitatibus illatis, onu-
sti prædæ simili quoq; temeritate effugere im-
minentem cladem, & pacato itinere redire
posse

posse confidunt: nisi vos illi ijdem essetis, qui tot
sæuis nationibus ad excidium Veneti nomi-
nis conspirantibus, quod reliquum superest ita
licæ virtutis decus per tot casus atq; pericula
constantissimè conseruastis. Enimuerò cum
vos considero milites, atq; hostium cõditionem
intueor magna me spes victoriæ tenet: ab lon-
ga siquidem quiete recentium virium robore
præstantes, magno atque exercitato equitatu,
tormentorum omniumq; rerum apparatu ac
copia, quæ desiderari in negotio possint instru-
cti, cum his hostibus pugnaturi estis, qui prædæ
graues, confecti prope inedia, numero pauci, et
linguarum varietate dissimiles, vix primum
nostrorum impetum sustinebunt, quum maxi-
mè nobis obstantibus, experiri altitudinem flu
minis, in ripa consistere, pugnareq; oportebit.
Neq; hostium duces in dubijs & repentinis pu
gnæ casibus, vno consensu, eadem cõsilia captu-
ros arbitremini, quibus diuersa omnino inge-
nia & varios animi impetus dissimili linguæ
morumq; commercio aliud atque aliud cælum
indiderit. An dum hic pandi aciem, ille denso
ri, & sisti agmen, inferriue signa vno tempore
mixto Imperio videbunt, & tunc Germanus
Hispanum, & vtrunq; Italus audiet, vel iu-
uabit? Vicimus profectò milites, vicimus nisi
Dij, qui satis superq; hactenus huic reip. irati
infestiq; fuere, tantorum scelerum vltores ad-

esse noluerint. Hac quum dixisset, acclamantibus præfectis, at q3 vniuersa cocione, vt signum profectionis daret, magna spe et latitia omniũ copias eduxit: & ad Medoacũ vbi hostes transituros existimabat, contendit. Inde Baleonum à Taruisio, & cateros milites, qui in præsidijs erant, ad signa venire: Paulum q3 Manfronum ad contrahendam agrestium multitudinem in saltuosa, & montana loca proficisci iubet. Habebant tunc castra Hispani ad Campum sancti Petri, quum nuntiatum est Liuianum cum vniuersis copijs vltra Medoacum consedisse: ibiq3 prælij & vindictæ audum quominus flumen transeatur armis prohibiturum esse. Ea res vastitati finem fecit, quoniam suspensis omniũ animis audaciſsimi etiam quisq3 militum, nõ quàm latè, aut crudelster vexandi incolæ, exurendúsve amœniſsimus ager forent. sed quo modo prædam referre, & vitam tueri oporteret, cogitabant. Igitur Cardonius coactã prædã vt antequam Liuianus vniuersas vires contraheret, ipse superato flumine in pacata loca reuerteretur, ad Medoacum vbi in vlteriore ripa hostes constiterant, peruenit. Eo in loco aliter at q3 ipse putauerat, quum difficilia aduersaq3 omnia reperisset, paratos scilicet in armis hostes, ripam magno tormentorum numero communitam ducem ferocem promptum q3 ad omne belli facinus obeundum, cæpit animo agitare quo detrimento militum

& quanto totius summarei periculo si in ea parte vadũ fluminis tentaretur, vniuersus exercitus traducẽdus esset: ac demũ accire Prosperum at q3 Piscarium, cateros q3 duces consulere, quoniam de salute omnium agebatur. Visum est peritioribus superiora vada fluminis esse perconctanda: noctuq3 eo progrediendum, ac ignaris hostibus è vestigio transeundum. Missi exploratores renunciauere posse facilè superari amnem, si supra ad sextum miliare aquioribus ripis coercitum, ac placidè decurrentem peterent. Ergo Cardonius de secunda vigilia castra mouet: relinquit ignes at q3 omnem leuem armaturam equestrẽ, quæ speciem præsentis exercitus faceret, atque hostes distineret. His demum imperat, vt exoriente sole plures in ripa fluminis obuersentur, ac simulato transitu alueum tentent, cæterùm globo facto castra subsequantur. Vixdum certa luce ad locum peruentum est, quum extemplo primi agminis duces flumẽ ingressi, omnẽ simul equitatum in aduersam ripam educũt. Hispanorum quoque phalanx eodem tempore infra equites, qui impetum fluminis refringebant, cõfertis stipatis q3 ordinibus non formidauit altitudinẽ profluentis. Nanq3 sicuti incertis passim vadis transibant, accidebat vt aliqui pectoribus tenus mergerentur, aliqui verò capite solo extarent. Erant magnum ad

super

superandam vim fluminis incitamentum, ipse ante omnes Piscarius pedes cohortando signiferos, flumen intrans: & cum eo ornatissimi primorũ ordinum centuriones, qui ducis exemplo ex equis descenderant, & ante alios in amnẽ se coniecerant, vt manipularibus suis aquarentur. Hispanos, Germanos, et mox Cardonius & Prosper cum alijs copijs subsecuti sunt, ac demum leuis armaturæ equites, qui ex composito ludificati hostem, vt imperatum fuerat, consequebatur, fluuium transmiserũt. Occurrere satis in tempore trãseuntibus Epirotæ antecursores. Nam Liuianus suspicatus quod erat intẽpesta nocte, hostes inde mouisse, expeditam equitum manum speculatum præmiserat: ipseq; inalbescente cælo, cognito hostiũ discessu, fuerat insecutus. Verùm quum hostes paratos ad dimicandũ in acie reperisset, leui certamine ad aquã facto, prælio abstinuit: siue quòd Baleonum accitũ è Taruisio expectandum esse censebat: siue quòd ad iniquam pugnandi conditionem perducendos prius hostes esse, quàm manus consereret, arbitrabatur. Itz à superiore cõsilio depulsus Liuianus, alia ratione hostibus iter præcluserus Vicentiam contendit: Nam eu.stata vrbs illius futura erat, qui prius incustoditam neglect.amq; occupasset. Erat locus in via publica, secundo ab vrbe lapide, prope pagum, cui Vlmo nomen est,

est, satis idoneus, si vel mediocriter operibus muniretur, ad prohibẽdos trãsitu hostes: quoniam nulla commodior via, qua eos redire necesse erat, Veronam ferebatur. Hunc locum Liuianus aggere prope extructo ac perducta fossa, vt via spacium concideretur, adductis tormentis egregiè communit, ac opportunè cum Balcono, qui dudum venerat, citra loci angustias castrametatur, latus admodũ quòd hostes aut ex iniquissimo loco, si vi euadere tentarent, pugnaturos, aut si absterriti aliò iter flecterent, ad extremam commeatus inopiam, & mox in deditionem peruenturos esse iudicabat. Interea Cardonius eo consilio vt rectà Veronam contenderet, cum omnibus copijs ad Vlmum processit: vbi quum concisa itinera, occursuque hostium occupatas vias & collium fauces cognouit, quoniam diei parum supererat, & fessus itinere miles erat, quingentis passibus ab Liuiano castra ponere coactus est maximo suorum cum labore: nam legentes locum figentésque tentoria, directis tormentis Veneti, metu cade, incommodisq; turbabant. Fuere Hispanorum castra quandiu ab luce diei permissum est, pauoris atque periculi plena, quum nihil tutum à tormentis relinqueretur. Tanta erat pilarum vis quæ frontem lateraq; feriebant, vt integri peditum ordines, extẽsis humi pectoribus procumbere,

bere, equites post dumeta atq; arborum stipites occulere sese aut depressiora loca quaeritare cogerentur. Sed nox insequens crescente metu durior atque turbidior fuit, quoniam Baleorum castra castris iunxisse & magnũ numerum agrestiũ à tergo instare. & quaeq; viarum plana, perductis passim fossis, atq; aggestis cespitibus, interrupisse cognouerãt. Quibus de causis fiebat, vt quũ à fronte obstante Liuiano perrumpere in patentem viam non possent, consternatis metu omnium animis, nulla soluta alacritas, nulla spes nullaq; pristina virtus in mœsto exercitu viseretur. Iamq; apparebat Prosperum, qui temeritatẽ susceptæ expeditionis damnauerat, vatem futurum si effusior imber (quod solum ad extremam calamitatem deerat) supereueniret. Ad hæc incommoda biduo antè absumpta omni re frumentaria, solis abactæ prædæ carnibus fatigatus exercitus. Itæ excitatis ignibus, quantum nec satis esset ad torrendos boues quos ab aratris abduxerant, fessi attoniti q;, lucem simul atq; euentum incertæ salutis opperiebantur. Interim dum instratis equis, induti arma insomnes totam noctem agunt, præfecti alarum ac primeres ordinum ad prætorium Cardonij frequẽtes adesse, de summa tanti discriminis consultare, per vices circuire exercitum, milites bono animo esse iubere, nihilq; quod

quod metũ alijs augeret, præferre. Inter alios Prosper discurrendo legiones & equites allocutus, cunctos certa spe fiduciaq; coplebat. Tanta erat eius viri opinio, vt in summa etiam rerum difficultate, eo duce nihil aduersi contingere sibi milites posse timerẽt. His rerũ angustijs dum premerentur, disputatione habita, eo omnium sententiæ inclinarunt, vt retrocedendũ, ac mox dextrorsum qua via Bassianum ducit, iter flectendum esset: eo quidem consilio, vt discedentes, Liuianũ, quem natura pugnacem atque insigne aliquod facinus acri animo volutantẽ agnoscebant, ex munitissimo loco in aquã planiciẽ attraherent atq; ibi vti antea deposcissent animo confirmati conserrent manus, aut si hostis pugna persecutione q; abstineret, iuxta Tridentinos montes circuitu capto, atq; euitata Vicentia, Veronam incolumes reuerterentur: Igitur Cardonius paulo antequã diluesceret, vasa colligi & sine tumultu signũ profectionis militibus dari iubet. Sed dum præmissis impedimẽtis, Prosperum, qui ex instituto primum agmen ductare consueuisset, ad capiendũ extendendumq; iter hortaretur, suborta est grauis & decora contẽtio inter eos de ordine acierum: quæ (vt mihi videtur) pro disciplina in reliquũ tempus documẽto esse possit, negante scilicet Prospero se anteceßurum, quando sibi tum postrema acies

certo

certo iure conuertendæ in hostem frontis, insigniq; ineundæ pugnæ prærogatiua deberetur. Disserebat enim acriter Romano more, decus suum tueri solitus, ex lege militari nequaquã eam esse primã aciem, quæ in itinere incederetq; toto exercitu cæteras omnes anteiret, sed eam omnino vocari primã, quæ opinione virtutis firmissima, graui iudicio institutoq; vel à fronte, vel à tergo occurrenti hosti opponenda censeretur. Id quum præfecti veteres approbarent, Cardonius pro suo ingenio altercanti facilè cessit: adeoq; expeditè & cupidè prægressus est, vt Alarco vir fallax, & cautè mordax, Imperatorẽ rectè probeq; facere diceret, quòd absq; aliena laudis obtrectatione, vt instantis pugnæ periculo honestè subduceretur, legibus parere didicisset. Ex euẽtu enim prælij ad Rhauennã, vnde intactus euasserat nõ magnopere pugnax, sed cautus habebatur. At Liuianus qui statim ab aurora regressum hostium iterue, & eorũ ordinem quòd nebula densior orta ex humore telluris intexerat campos, clarè prospicere nequiuerat, vt primum comperit discedere hostes quanquam animus alias mora impatiens, nequaquã arderet cupiditate pugnandi, increpante segnitiem atq; imperante Lauredano legato, tanquã incompositi ac planè fugientes è manibus elaberentur, signa canere & duce Antiniola procurrere

rere expeditos equites iubet. Verùm conuersus ad Hugonẽ Pepulum, Guidonemq; Rangonũ periclitemur, inquit, vel temere, sed generosè tamen prælij fortunam, postquàm immodica vis Imperij rationem vincit, ne si hodie cautus & cunctator esse velim, paulo pòst ignauiæ aut perfidiæ accusatus in Senatu prægrauante inuidia, funesto Carmagnolæ exemplo, aduersis ac malignis imperitorum suffragijs concidam. Hæc ab his, qui aderant didicimus. Via erat vt supra memorauimus perangusta in faucibus collium, per quam Venetus extenuatis ordinibus transire cogebatur, inde latior campus quo Hispani insederant, circũquaq; mollibus tumulis cõclusus in medio patescebat. Illuc vsq; euectus Liuianus, præmissa primo leni armatura equestri, cum tribus falconibus, quæ postremum abeuntium agmen carperet, ac demoraretur omnes copias ac tormenta superatis angustijs in planitiem eduxit. Iam equestre prælium, quod primo segniter fuerat initum, dissplosis statim falconibus exardebat, quum Germani equites globo facto procursantes Venetos propellunt, coniectosq; in fugam deserere falcones cogunt. Conspicatus hoc vixdum instructa acie Liuianus nulla interpositæ dubitatione, quòd res in celeritate posita videbatur, ne primi refugientes, alios iniecta trepidatione turbarent, pu-

gna signum proponit. Baleonum, quem dextro cornu præfecerat, laxiore circuitu in latus apertum irruere: Antonium Pium ab leuo arctius aduersus hostium pedites consistere, & circumfundere velitum alas iubet. Ipse mediam aciem ex flore & robore militum densatam in qua Sacramorus, Guido Rangonus & Hermes Bentiuolus curabant, in medios hostes inducit. Re cognita Cardonius, & Prosper qui quadrato agmine incedebant, vt si qua imponeretur dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subirent, primi agminis præfectis significant, vt quum primum hostium pedites in proximo conspexerint, prælium committere non dubitent. Interim è media acie Veneta cataphracti equites, Germanos quos cœpta victoriæ spes ardentius prouehebat, adorti primo impulsu repellunt stratis vulneratisq; Ricciano & Celebergo Succaroq; eorum ducibus, fusos ad signa vsq; sequuntur. Trotius, qui in ea parte iuxta viam publicam ante vexilla turmarum constiterat, animaduerso periculo, laxari apeririq; paulum ordines, ac liberum spacium fugientibus dari, ne turbati ac trepidantes integram certamq; aciem miscerent, eosq; vt transibant nequicquam morari, sed continuò in postremum agmen refugere iubet. Demum ipse & Mutius, & Alarco, quum vniuersa pugna

pugna, quam omnibus artibus petebant, occasionem adesse cernerent, signa inferunt, & si vnquam alias magno ardore procursum fuit, in prouentes hostes incurrunt. Erat vtraq; acies numero & virtute equitum propè par. Quingenti enim fermè vtriq; ex Italia veterani, singulari decoris studio atrocissimam pugnã edebant. Iamq; Liuianus huc & illuc volitans, testatus illã diem illã aciem fore & laborũ finẽ et præmiorũ initũ tanta vincendi spe suorũ animos accenderat, vt nonnulli perconfertissimos acerrimè depugnãdo ad vexilla vsq; penetrauerint, conatiq; ea abripere, quum fortiter resisteretur, discerpserint, & Ebrardum Corneũ Mutianæ alæ signiferum egregia virtutis senẽ cum filio impigro iuuene interfecerint. Verùm integra sic atq; integro vtriq; metu, dum equites fronte cõcurrunt, Prosper concionabũdus singulos ordines prætectus, hinc Piscarium cum Hispanis, illinc Landaũ cũ Germanis peditibus pari acie ac passu inferre gradũ, ac peruadere in medias hostium cohortes iubet. Eorũ tantus fuit suo pondere incumbentiũ impetus, vt cohortes Baboni Breschelli, quas eximia virtutis opinione Liuianus primas hosti obiecerat, vix tentato certamine penè priusquã hostem viderẽt, terga verterint. Tunc media acies equestris, ab latere vno pedite nudata, impelli primo ac

vrgeri acrius, mox eum cæde cõuerti in fugam cœpit, neq; cadentibus primis, quanquã pugnacissimi quiq; equitũ impressione hostium sustinere conarẽtur, semel turbata impulsaq; acies reparari retineriue potuit. Ita occisis qui resistebant, strata sunt vexilla, ac in primis insigne Liuiani, quod ad extremum moriens M. Antonius Montanus diu seruauerat. Eodem impetu, Sacramorus & Hermes ab equis deturbati, occursu Germanorũ obtruncantur. Piscarius Othonem Sacramori fratrẽ vel priuatè sibi inimicũ generosè conseruauit. Ab sinistro autẽ cornu Antoniani milites, vt mediam aciem in qua victoriæ ratio, & præsidij moles futura esse videbantur, cæsam profligatamq; sensere, abiectis fœdè armis terga dederũt. Idem pari ignauia ac fato Baleonij fecere: Nam Paulus quum haud satis in tẽpore ob palustre ac limosum solum, in quod circuendo hostes fortè incidérat, dextrũ cornu circumtulisset, Liuianusq; aliter ac ipse putauerat, celerius pugnã iniisset, factũ est vt consectæ altorũ cæde ac fuga, diffisi viribus suis integri intactiq; diffugerent. In fronte tamen quanquam pauor & fuga omniũ occupauerat animos, cõplures egregij cohortium præfecti, protuenda dignitate anteactæ militiæ, dum fugientes prehensant, dum ordines ac locum seruare conantur, atque impigrè hostes ferunt, deserti

deserti ab suis & à multitudine hostium circumenti interficiuntur. In his fuere paulo clarioris nominis, Ioannes Bernardinus, Alexius Salentinus, Ioannes Baptista Doctus è Patauio, Seraphinus Gallus, Vmber, Alfonsius Mutus Pisanus, Philippus Carsoleius & Annibal Simonius è Bononia qui primos ordines ducebant. Paulus autẽ amissis Troiano atq; Hieronymo spurijs fratribus, ac dispalato omni suo equitatu, rebus desperatis ausuriens in palustrẽ delatus campum, ab Hispanis equitibus capitur. Liuianus interea quanquam à suis & à Fortuna deserebatur, diu fuga inrepita rẽdintegrare prælium conatus ad extremũ fractus animo ac viribus è pugna se proripuit, superatoq; cum maximo discrimine Eretano amne, Deos incusans, Patauium contendit. Cæteri Duces fermè omnes in fuga capti aut à Germanis qui nemini pepercere, interfecti sunt. Multos hausit & in primis Antonium Pium, Bachillio annis qui è Vicentinis iugis desluens, celeri cursu atq; impeditis vbiq; ripis apud Patauium Medoaco miscetur. Nam vt ad ripã fessi trepidantesq; peruenie bant, aut gurgitibus absumebãtur, aut interunctationẽ tentãdi fluminis, oppressi ab hoste variis cuibus interibant. Germani quoq; & Hispani solutis ordinibus sectati hostes quos præcurrẽtes equites straurãt, aut turba fugiẽ

tiũ cumuliq; armorũ passim inuenti tardauerãt, interfecere. Andreas Lauredanus legatus vir indignus ea calamitate, nisi infaustus funestæ pugnæ author extitisset, dũ captus extra pugnã ingẽs auri pondus quo se redimere polliceretur, crudelissimè à quodam lixa iugulatus est. Andreas verò Grittus Vicentiam se recepit, agreq; quoniam à principio fuga cataractæ porta demissa fuerat, seruatur. Ea res multis exitium peperit: nam spe deiecti ingrediendæ Vicentiæ retrocedentes hostibus occurrebant. Ab his occisi alarum præfecti Carolus Montonius, Franciscus Saxatellus, Constantius Pius Antonij filius, Meleager Forolivienses: præfecti verò cohortium ac centuriones supra viginti sex. Multi ab Italis & Hispanis conseruati sunt, sed ij quos Fortunæ passim Germanis obiecit, interiere. Caduriana enim cladis memores, vt propinquos & commilitones vlciscerentur, nemini se parsuros solenni sacramẽto iurauerant. Cæsar ea die, quæ fuit Nonis Octobris è Veneto exercitu supra quinque millia: & in his, quod nullo antea prælio acciderat, quadringenti equites cataphractis. Tormenta quoque curruliæ XXIIII. cum omnibus signis militaribus capta è victoribus pauci desiderati. Agrestes verò quia circumiectis collibus occupatis, expectantes prælij euentum, eminus quatiebant arma, ac truci gla-

tu exitium hostibus minabantur. vt Venetos fusos viderunt, antequam Castrius cum equitibus in collium summa perueniret, in proximas ac continentes syluas confugerunt. At Venetijs acceptæ cladis fama omnium mẽtes perculit, quòd Rempublicam, quam iam pridem attenuatis viribus infirmam affectamq; intelligebant, difficulter atque ægrè reparaturã equitatum constabat. Meminerant enim ad Agnadellũ pene ditutu occidione occiso, integras tamen equitum alas superfuisse, quibus haud dubiè quartum iam annum bellicosissimarum nationũ impetus sustinuissent. Sed hic publicus mœror nequaquã tamen à belli cura patres auertit. Decreuere enim conscribendas esse vrbanas cohortes, quæ cõtinuò præsidij causa Patauium atq; Taruisium mitterentur. Nec mora, nobilissimi Veneta inuentutis, sicuti censu, & seruandæ patriæ studio inter se certabant, armatis clientibus singulos manipulos ad defensionẽ earum vrbium adduxerunt. Ea manus quanquam tumultuariũ ac deforme auxilium erat, Liuiano tamen & Gritto (hic enim Taruisij, ille Patauij infelicis exercitus reliquias colligebant) defendendorum mœnium spem fecit. Verum Cardonius, etsi hoste prope deleto conficiendi belli occasionẽ sibi dari existimabat, si continuò ad oppugnandam alteram vrbium victorem exercitũ duceret, paulò

post tamen quòd per anni tempus impediebatur, ac omnia indies in negotio difficiliora fore animaduertebat, hyematurus circa Vicentiã in hyberna deduxit exercitum. Per eos dies de permutatione Baleoni & Caruaialis in Senatu actum: dimissusq; à Cardonio Baleonus Venetias contendit eo pacto, vt Caruaialem, qui in custodia Venetijs erat, liberè in castra perduceret, aut si id ab Senatu impetrari non posset, ipse bona fide reuerteretur. Itaq; Baleonus fauentibus suffragijs rẽ facilè pro meritis impetrat: & Caruaialem transmissurus, eũ ad Cardonium Patauium perducit. Sed dum parantur comites expectaturq; Hispanus caduceator, Gurcensis Cardinalis, quo minus permutatio transigeretur, intercessit, testatus id è commodo Cæsaris minimè fieri, quòd Baleonus apud hostes multo maiori vsui momento q; in tanta ducum orbitate, quam apud suos Caruaial futurus esse videretur. Ad hæc Baleonus, quando non Cæsaris sed Cardonij captiuus esset, ex fide & pacto se liberum dicere, testari demum si Caruaial quem offerebat minimè reciperetur, se lege solutum nequaquã in castra rediturum. Sed dum inter has iuris cõtentiones tempus absumitur, Caruaial quũ se postponi Baleoni minimè pateretur, neque eã dignitatis contumeliã elato ingenio ferret, in supremam valitudinem incidit, mox q; ex ira indig

indignatione q; exæstuans, iam antea senio et carcere confectus, interijt. Baleonus verò à Leone Pontifice literis adscitus, nequaquam finita controuersia Romam se contulit. Sub idem tempus ad radices Alpium quà iter in Heluetios, supra Bellizonam, præaltus mons terræ motu concussus ingenti fragore edito corruit: totaq; ea conuulsarum ruptum moles in Lauam prolapsa fauces conuallis per quam Brennio amnis decurrens Ticino miscebatur, obstruxit. Quo casu stagnare amnis, & nequaquam tanta obice vis undarum prærupto vallis spacium implere coactus est. Vnde mox incentum ferè stadiorum magnitudinem lacus excrescens, accolarum ædificia ac prædia, antequam annus circumageretur, oppressit. Contraria autem ratione Ticinus desertus ab socio amne, ac nihil alienis viribus auctus, qui paulo antè Bellizonæ ponte lapideo & ratibus iungebatur, quum suas tantum vndas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamen aquarum vis post vigesimum mensem, vt in processu operis memorabimus, cum vastitate pulcherrimi tractus, & miserabili multorum mortalium interitu, effracta mole prolapsi montis erupit. Adulta verò iam hyeme Mediolanensis arcus custodes ad extremam commeatus inopiam perducti, quum nec spes tolerandæ vlterius famis vlla iam esset, & clarè

intelligerent Gallorum auxilia frustra expectari, quòd Alpibus niue geluq; rigentibus, nihil iusta expeditione Ludouicum regem moturum constabat, in has conditiones arcem dediderunt. Vt si intra trigesimum diem Ludouicus opem non tulisset, ipsi continuò arcem relinquerent. Interim datis obsidibus, quotidianis cibarijs iuuarentur, potestasq; esset emittendi eos præsidiarios quos valitudo tentasset. Itaq; multi semianimes & erant squallida fame, & grauitate vitioq; aeris propè enecti, in hospitales domos, vbi ingenuis, ac miseris, publica liberalitate alimenta dantur, educti ac medelis refoti fuerunt. At quum statuta die nihil omnino è Gallia quod ad negotium pertineret, afferretur, Liuianus relicto omni tormẽtorum apparatu, arce excessit decimoquarto anno ex quo ea Gallus potitus fuerat. Nec multo post pari necessitate compulsus arcis Cremonensis custos Binnonus, similes inducias pepigit, atque arcem tradidit. Galli verò ad Alpes dimissi, comitante ala equitum, ne qua transeuntibus iniuria inferretur, incolumes in Galliam abierunt. Ob eas res trium dierum supplicationes decretæ, quòd tunc primum firmato imperio Maximilianus rerum Mediolanensium potiri videbatur. Post cladem ad Vicentiam, legati, & ducis temeritate acceptam, ad Maranum Foroiulij oppidum

dum res quoq; infeliciter à Venetis gestæ. Occupauerant paulo ante Maranum Germani, sacerdote quodam prodente, qui postea captus & in frusta dissectus, perfidiæ pœnas dedit. Id oppidum in intimo sinu ad Aquilejensium paludes positum, quod natura loci alendo bello valde opportunum videbatur, Veneti transmissis eo cum copijs Paulo Manfrono, & Balthasare Scipione, terra mariq; haud segniter oppugnabant. Id cum Christophorus Francapanes frequentibus nuncijs Maranensium auxilia implorantium maturè cognouisset, ex omnibus castellis quæ Venetis priore bello ablata in finibus Histriæ & Foroiulij armis Cæsaris, atque præsidijs tenebantur, amplam militum manum collegit, & Maranum cõtendit. Eius aduentu soluta obsidione, magnum hostibus ex insperato detrimentum est illatum. Manfronius & Scipio nequicquam oppugnatione tentata, cum numero inferiores erumpentibus oppidanis atque instante Christophoro ancipiti pugna distinerentur, pulsi primo, mox præcipiti fuga in proximũ litus actí, dũ pars scandere naues tentat, alij per auia rupium, alij conuersi in hostem, vario euentu salutem quærũt. Vulnerato Scipione sunduntur, triremisq; vna capitur quum metu premente, ac impedientibus sese militibus remiges obuertendi facultatẽ ab initio tumultus amissent

sissent. Sed quum hæc Venetijs nunciata essent, & nouo fletu priorus calamitatis memoria ægris omnium animis induceretur, longè maiore cladis mole rem Venetam afflixit, natum repentè incendium media in Vrbe, atrox si vnquam antea, & luctuosum atque terribile. Siquidem initio statim sequentis anni, qui fuit à partu Virginis millesimus quingentesimus quartus decimus, tertio Idus Ianuarias de prima Vigilia, in Riualto frequentissima Vrbis regione, repetinus ac validus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primum inflammauit, mox iuuantibus aquilonibus, qui sæuissimi ea nocte forte perflabant, attigua etiã ædificia corripuit, mirum dictu ac visu horrendũ quanta velocitate, & simul cæperit, & ad dextra læuáque in immensum populabundus, innumeras ædes, Diui Ioannis templum, & cuncta simul quæ ad Farinas (id loci nomen est) & ad forũ Piscariũ vergunt, absumpserit. Ita vt momento temporis, super semiustas & corruentes domos, miserabili vastitate insolitũ atq; inane loci spaciũ flamma patefecerint. Eadẽ violentia haustis nummulariorũ officinis, recta per argentarios ad templum Apollinaris vsq; peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miserorum sui rapiditate atq; sæuitia. Stetit intactum opẽ fauentis numinis Diui Iacobi vetustissimũ sacellum

cellum, circumambustis lateribus. Eo nihil antiquius Venetijs habetur, vtpote quod in ipso nascentis Vrbis primordio, ab circumiectis populis in Hadriaticas paludes Barbarorũ metu fugientibus, ædificatũ fuerit. Is enim haud vrbis auspicijs orsi à religione, eius Vrbis fundamenta iecerunt, quæ post euastatam Varijs excidijs Romã, & situs miraculo, & diuturnitate imperij atq; opibus cæteras postea superauit. Inde perpetuã nocte debacchante flamma, neq; exitus calamitatis, neq; remedium reperiebatur: Nam ipsa noctis obscuritas, vbi exitialis splendor non aderat, turbatũ ventis mare, & discurrentibus in contraria cymbis aduersum, dissonæ plorantiũ voces ac fugientiũ callibus angustis pauidarum turba mulierum, humanum omne subsidiũ abstulerãt. Denique omnia plena luctus atque mœroris. Nec deerant qui specie officij, dum res è proximis flammis ereptas, ac per manus traditas simulatione iuuantium accipiunt, dominis alio atque alio discrimine attonitis passim furarentur. At prima luce cũ magistratibus Andreas Grittus superuenit, iussitq; fabros cõtinuò demoliri domos ardentibus iunctas, vt grassantibus incẽdijs liber campus, atq; ipsum cælum occurreret. Ita tandem restinctũ est. Fuere qui non casu sed dolo factum id crederent: quod eodem quoque temporis puncto, diuersa in regione

gione vrbis, cœnobium Cruciferorum conflagrauerat: Subijciebántque crimini, & inuidia Germanos, tanquam ij pari calamitate illata similem iniuriam vlciſci contenderent: quoniam ſuperiore anno oppida duo in Germania fraude Venetorum arſiſſe dicebantur. Conſtrauit hæc inopina & miſerabilis clades ciuium animos: qui eo atrocius id damnum æſtimabant, quod ſuper inſignes exercituum iacturas in difficili rerum ſtatu, & graue, & inſperatum ingruerat: quaſi Fortuna miſeri imperij nihil reliquum nomini Veneto facere videretur. Eiuſdem æſtatis fine qua hæc in Venetia geſta ſunt, in Cenomanis quanquam omnia bello arderent, haud magni rerum motus fuere. Stabat à Venetis Crema, eámque ſupra ciuium egregiam fidem mirabili operum munitione firmatam, cum valida militum manu Rentius Ceres tuebatur: vir indefeſſus & fortis, atque ea maximè obſidione clariſſimus. Brixiam autem & Bergamum pro Cæſare Hiſpani præſidio impoſito tenebant. Sed tunc maximè Bergomatium res in angusto poſitæ erant: quoniam attritis recenti clade Brixianis, ſoli prope hybernorum incommoda tolerare, & pecuniam in ſtipendium præbere cogebantur. Quibus de cauſis exulcerati ciuium animi, quanquã ex vetere etiam ſtudio in Venetos, defectionis tempus circumſpecta

ſpectarẽt, eò inclinarunt, vt accerſenda eſſet ab Crema militum manus, qua præſidium Hiſpanorum opprimerent, & mutata fide tranſirent ad Venetos. Erat tunc fortè apud Rentium Cagnolus quidam Bergomas cohortis præfectus, cui cuncta tradenda vrbis conſilia à ſpeculatoribus ac tranſfugis deferebantur. Is quum obnixè operam ſuam pollicendo, docendóque quibus artibus facilè vrbe eſſet potiturus, ſpem haud dubiam perficiendi negotij Rentio dediſſet, cum Marcello Aſtallo equitum præfecto & duabus delectorum cohortibus Bergomum mittitur: atque ita viarum compendio ac notitia vſus, confecto per noctem itinere, antequàm Hiſpani & bona pars ciuium aduentum Venetorum ſentirent, ab his cum quibus egerat introducitur. Nec mora ad domum regij quæſtoris cõuolant: eam facilè expugnant: pecuniam quam paulo antè Hiſpani inclementer exegerant, diripiunt: & præſidij partem trucidant, partem comprehendunt: mox quoque arcem veterem interfectis propugnatoribus vi capiunt. Hoc confecto negotio, Cagnolus atque Marcellus partem militum præſidij cauſa apud ſe retinent: cæteri eadem celeritate qua venerant, Cremam remittuntur. Ea Bergomatiũ defectione cõmotus Maximilianus Sforcia, ſtatuit nihil eſſe cũctandũ, ne fama vicinæ ſibi vrbis capta nimio

plus

plus Venetorum vires coalescerent: alienarenturq; eorum animi, qui partes Cæsaris sequebantur. Itaq; coactis copijs Syluium Sabellum, & Oldradum Lamponiensem, Abduā cōtinuo transmittere, atque hostiliter ducere in Bergomates iubet. Ii circumiectū agrum populati, ad ædem Diui Antonij in suburbanis adiectis castra locant: atque vno tēpore obsidione oppugnationibusq; inclusos premunt. Non erat omnino Syluius absq; fiducia vrbis per vim capiendæ, etsi non multum spei in virtute collecti exercitus reponebat, quoniā magna pars optimatiū diuerso studio ab plebe, quæ semper ab initio etiam belli Gallici ex occulto rē Venetam fouerat, dissentire dicebatur: habebatq; ea res maximū excitandæ seditionis momentū. mœnia quoque nec satis altitudine muri fossarumue obiectu munita, minimè difficilē expugnationē habebant. Hispani etiā è statiuis agri Brixiani in auxilium excīti aduentare, comminariq; direptionem ferebantur. Hīs de rebus solliciti ciues, Rentium admonēt: & salutis & fortunarū suarū periculū exponūt, obtestanturq; per antiquā vrbis erga Venetos fidē, velit quām maturè perditis propè rebus accurrere. Rentius Bergomates, quos ipse dudum in discrimen rebellionem q; perduxerat, minimè deserēdos existimās ad sexcētos strinsque armaturæ equites, & quingentos sortissimos

mos pedites deligit, parti peditum equos attribuit, & confecto itinere desilire ab equis, ac nequaquam fatigati, rem pedibus gerere possint, Marianum Alectum & Christophorum Epirotam his præficit, imperatq; vt quām celerrimè Bergomum contendant, & ab ea parte qua segnius stationem haberi cognouerint, magno impetu castra hostium adoriantur, atq; excitato ad eruptionem Cagnolo, ex occasione vel manus conserant, vel augendi præsidij causa & confirmandis ciuium animis militum partem intromittant. Igitur Marianus atq; Christophorus ab Crema proficiscuntur, ac silenti citatoque agmine aduentus sui famam prætergressi, in conspectum hostium deueniunt, paucos inermes qui licentius euagabantur, opprimunt, fugantq;, ac delati eodem cursu in rarum militum stationem, occiso ibi Cittadino centurione, & Guerrerio Celanio equitum præfecto, magnum terrorem atque tumultum ad portam castrorū incutiunt. Sforziani, vtpote qui nihil tale timuerant, trepidare, diffugere, alij arma capere, alij vt virtus et tela in promptu erat, vbi discrimen poscebat, accurrere. Syluius ipse magnitudine periculi propè attonitus, cum paucis tamen aduersus irruētes hostes egreditur, nomine quemque fortissimum ac veteranum suum vocans, eos conglobat, summotisq; paululum hostibus,

cancellatos castrorum postes, quos iam Veneti magna vi impulerant, claudi iubet. Ipse exclusus & hostibus immixtus, loci notitia magis quàm suorum virtute superata materia, incolumis in castra reuertitur. Porta quoq; castrorum eodem temporis puncto egregiè defensa virtute. Io. Petri Surræ, qui decies septies olim ex prouocatione victor, ob summam fortitudinis opinionem, duarum cohortium præfecturâ adeptus fuerat. Clamabant è mœnibus Bergomates, atq; ipse Cagnolus, puluerem, strepitum, clamorem q; pugnantium oculis atq; auribus accipiebant, apparebatq; Sfortianos facilè fundi deleriq; posse, si præsidiarij eruptione facta, dispersos variis in locis, diuerso prælij euentu pugnantes inuaderent. Verum dum Cagnolus atq; Marcellus partim ciuium diffisi animis partim veriti ne à Virgilio Syluij præfecto, qui cum cohorte mœnibus successerat, libero egressu prohiberentur, nihil ab vrbe mouent: Sfortiani equos conscendunt, superuentú que Cæsaris Feramuscæ, qui equites in auxilium adduxerat, Venetos primo repellunt, mox cunctis densata fronte procurrentibus, occiso Pisone Romano centurione, cum cæde in fugam conuertunt. Ea re turbati Marianus atq; Christophorus, quòd latere aperto, ab valida et vetere turma equitum impetebantur, nec reparare turbatam aciem poterant, quantum inter vulnera commodè fieri potuit, ad salutem proripere se in fugam cœperunt, ita hostium terga cadentes Sfortiani, multis interfectis, compluribus captis, in quibus fuit ipse Christophorus, cum maximo dolore Bergomatium in castra redierunt. Postero die ad expugnandum Orinianum castellum copiæ ductæ. Id erat Coleonorum, qui Bartholomæo eiusdem familiæ clarissimo duce progeniti, Venetis plurimum fidebant. Quod vti erat haud mediocriter munitum, primo impetu captu ac direptum fuit. Cæterum Bergomates, postquàm omnia aduersa obuenerat, ne si inter deditionis consilia cunctarentur, se ac fortunas suas maiori periculo implicarent, ad Hispanos (ij enim in Brixiano agro erant) oratores mittunt, qui nomine Senatus vrbem dedant, defectionis veniam deprecentur: ac properè ex Hispanis præsidium adducant. Causa accelerandæ legationis fuit, vt Sfortianos vrbe excluderent, cum quibus vetera atque acerbissima odia exercebant ac tunc maximè exacerbati recentibus iniurijs, quòd nuper Sfortiani traiecto Abdua, feroces ac lingua immodici, direptionem atq; omnia hostilia comminati fuerant. Ita Bergomates iterum ab Hispanis facta deditione in fidem recepti, dimissum q; per aduersam portam Venetum præsidium. Pœna casi præsidij atque defectionis fuere pecuniæ: nanq; Matthæus Gra-

nata Hispanorum præfectus, vt erat miti ingenio ac sapientiæ studijs potius quàm militia clarus, nemine percusso, eos lenitate conditionum magis quam seueritate ac metu in fide continendos esse arbitrabatur. Capellam demum arcem in edito sitam expugnare adortus: veterem enim Cagnolus deseruerat, quidiu tormentis diuerberatam turrem labefactare non posset, cuniculum agere instituit, per quem excauata rupe, inclusis sulphureis ignibus notæ atq; instituta ratione, fundamenta murorũ excinderet. Verum paulo post Granata, dum vrgente fato incautius in opere versaretur, tormento ab arce emisso interfectus est. Amisso duce Hispani nihilo segnius incæptum cuniculum continuo labore prosecuti, rem eò perduxerunt, vt metu atque periculo expugnatus Hieronymus Tartarus custos, arcem dediderit. Recepto Bergomo & Capella arce in potestatem redacta, Sforziani & Hispani diductis per municipia, & pagos omnibus copijs in finibus Cremensium considere coërcendis potius Venetis, quàm quòd iusta obsidione infestam vrbem premere arctius, aut oppugnare posse considerent. Enimuerò Rentiani crebris excursionibus prædas agebant: neque intercludi ab Crema, vt aut arte vlla, nec quin erumperent vbi vellent, prohiberi poterant. Ea erant studia colonorum, qui Venetum nomen

maximis

maximis etiam attriti calamitatibus excolebant, vt summittere commeatum inclusis speculari consilia progressus q; Sforzianorum, & cuncta quæ in eorum cõtubernijs cognouissent, Venetis quàm occultè deferre non dubitarent. Quibus de causis sæpe Rentius, vt erat intentus in omnes occasiones feliciter erumpebat. Erat in Calcinato Vico Cæsar Feramusca cum equitibus incuriosè, vt plerunq; sit ex recenti victoria, moram trahens, confisus scilicet oppidanorum fidei, & viribus suis. Hunc Calcinatenses nequaquam dilata perfidia, vt ociosè & negligenter considebat, Cremensibus renunciant: pollicenturq; si eò Rentius equitum turmam quàm occultè transmittat, fore vt Cæsar cum omnibus equitibus suis sine vulnere in potestatem deueniat. Rentius haud moratus in ea facultate opprimendi eius hostis, qui nuper ad Bergomum cladem intulerat, de secunda vigilia cum delecta equitum manu Marcellum emittit. Is vt compositum à Calcinatensibus fuerat, ex improuiso oppidum occupat, & ad contubernia militum contendit. Cæsar tumultu audito ac cæteri equites è stratis semisommes, dum correptis armis frustra defensionem parant, vinciuntur, & Cremam perducuntur. Marcellus autem haud multum ea re gesta lætatus, quum inter oblectantes veteranos, qui strictis gladijs ne caperentur

resistebant, lethale vulnus in pede accepisset, paulo pòst Cremæ interijt. Paucis inde diebus, quum propius Cremam accessum esset, Sfortiani excursionibus, & contra eruptionibus Cremenses ex occasione frumentandi, sæpius equestri prælio decertarunt. Enimuerò frequentes eius regionis vici, & castella direptionibus opportuna, labantibus nunc huc, nunc illuc incolarum studijs, materiam quotidiani certaminis præbebant, Siquidem tueri partium opes aduersarijs calamitates inferre, & mutuis accessibus, vt ex Fortuna varios belli euentus, rerum commutatio sequebatur, aut præsto adesse, aut vim insultantium sustinere necesse erat. Fortè ab Sylvio, M. Antonius Philetinus & Baptista Pisinsanctes equitum præfecti, ad Vmbrianum vicum non longè ab Crema excurrere iussi, magnam ex hostilibus pagis omnis generis prædam ceperant: iámque eam curris impositam, in pacatum propè adduxerant: quum Rentiani ne tantam socij atque amici Veneti nominis contumeliam detrimentumque accipere præsidiariorum incuria viderentur, erumpunt: ac breui confecto itinere, Pisinsanctem agminis coactorem, eius q; leuis armaturæ equites magna vi à tergo adoriuntur. Pisinsanctes conuerso agmine irruentes sustinet, primosq; repellit: mox maiore mole ingruentibus Rentianis (alia etenim atq; alia

alia equitum turmæ ab Crema submittebantur) recipere sese equites iubet. Philetinum de multitudine hostium certiorem facit, hortaturq;, vt quàm maturè coacta præda cũ plaustris, & grani armatura citatiore itinere antecedat. Se interea hostes retardaturũ, ac mox saluti, equorum velocitate consulturum. Philetines ad hæc, vt erat magni vir animi atque audaciæ singularis, se non prius quàm hostium faciem videat, aut loco moturum, aut arreptum iter quod fugæ simile videatur, respondit: atque ita aduentante hoste, nouis decoris cupidus, quod nuper eum Sylvius alæ cataphractorum præfecerat, cohortatus equites ne opinionem ducis fallerent, in proruentes infestis hastis incurrit: quo impulsu turbauit primos atque desiecit. Verùm quum equitum numero longè inferior esset, Marianiusque & Tullius hostium duces id conspicati circumfusis vndique turmis paucos inuaderent, capit temeritatis sentire incommodum, atq; acrius vt euaderet collactari, sed Pisinsanctes prælio excedente, et suis varia sorte pugnantibus, ipse frustra propria virtute contendens, sustollo equo capitur: deductúsque ad Rentium, vt erat grauiter vulneratus, Crema moritur. Nec multo pòst haud ab simili casu Tullius qui in præfectura equitum Marcello successerat frumentatum ad Abduam vsque progressus, cum Sfor-

tianis fines Laudensium tutantibus manus conseruit: Vbi ipse, vt erat manu promptus, in nouissimo suorum agmine depugnans, iam præmissa præda interficitur. Ita tres magnæ indolis atque virtutis Romani iuuenes, Marcellus, Philetinus, & Tullius egregiè facto functi paucorum dierum spatio perierunt. Obsideri demum Crema arctius cœpta, eruptionesque Rentianorum aliquanto attentius quàm antea factum fuerat, vi arteq; prohibita. Nanq; Prosper Columna ad Maximilianum Venerat, assentienteq; Ferdinando Rege, Dux Sfortianarum copiarum declaratus, cum equitatu veterano, Hispanorumque cohortibus quatuor Cremam accesserat. Genus obsidionis tale instituebatur, vt ex omnibus copijs bina castra facerent. Syluius ab ea parte qua Cremam Laudem Pompeiam atq; Abduam spectat, quam late longeque porrectis munitionibus, Prosper verò diuersa in parte ab Syluianis operibus, ad fanum sancti Bernardini, Trauaconæ paludis interiectu, omnem frumentandi erumpendique facultatem hostibus adimerent: & aliunde comportari in vrbem commeatus vigilijs stationibusque dispositis prohiberent. Eiusdem anni vere primo legati Emanuelis regis Lusitaniæ Romam venerunt, tuleréque Leoni pontifici è victorijs Indicis dona magnifica, Elephantem ab multis seculis Romæ non

visum animal, Leandámque, & diuini cultus vestes innumerabilibus margaritis exornatas, in quibus operosis artificum texturis picta acu diuinarum rerum imagines visebantur. Erat legationis princeps Tristanus Cunnius, vir triumphalibus insignibus & rerum in India gestarum gloria clarus. Is multa de gentium moribus, vbertate soli, natura ac vastitate maris, & de antarcticæ plagæ syderibus memorabat. Enimuerò paucis ante annis, iubente eodem Emanuele, Lusitani insana nauigatione Atlanticum, Fortunatasq; insulas præterrecti, promontorijs Praxio & Bonæ spei superatis, Aethiopicum litus adierant, gentes subegerant, Rubri maris ac Persici sinus angustias superarant. In Carmania atque India bello victis regibus Cannanoræ, Cucini, & Calecuthæ, celeberrimis emporijs exercendæ mercaturæ sedes arcésque posuerant. Proximè verò, quum nouorum ducum aduentu, aucta esset classis, vltimos Indiæ orbisque terminos sibi proposuerunt, atque ita felici ausu eadem ducti peritia nauigandi, ab Calecuthæ præter Indum ac Gangem fluuios ad auream Chersonesum peruenerunt, vbi regem Malachæ armis defensionem parantem, tormentorum nouitate absterritum, ac prælio victum, tributarium fecerunt. Ab alia quoque parte Indorum, classibus sæpe deletis, custoditisque

Erithræi faucibus, ac sinus Arabici nauigatione Aegyptijs mercatoribus intercluſa, Indici maris Imperium tenuerunt. At hiſdem fermè diebus, Liuianus, qui Patauij poſt cladem acceptam reparandis copijs intentus ſatis amplam militum manum in ſpeciem iuſti exercitus coëgerat, quum tota hyeme in hybernis quieuiſſet, ad recuperandum Foroiulium ſe conuertit. Enimuerò Germani, duce Chriſtophoro Francapane, iam antea pulſis ab Marano Venetis, cuncta quæ ab ora maris ad Oppiterginos montes & ad ſuperiora Carnorum vergunt, vſque ad Liquentiam flumen, in poteſtatem redegerant, præter vnum omnino oppidum nomine Oſophum, quod per ſe aſperitate loci atque incolarum ſtudio munitum, Hieronymus Sauornianus cum equitibus ſagittarijs tuebatur. Id quum Chriſtophorus ſibi totis viribus oppugnandum propoſuiſſet, & collectis circiter duobus millibus peditum, & ſeptingentis equitibus, in quibus Germani plerique nobiles euocati & prætoriani Cæſaris erant, eò cum omni tormentorum apparatu contendiſſent, cauſa fuit Liuiano celeritas quam conſtituerat mouendi ex hybernis. Siquidem in eo afflicta rei Venetæ ſtatu, quum omnia ad defectionem ſpectarent, occurrendum erat victori hoſti: qui haud dubiè ſi Oſophum caperetur, ad inuadenda vlteriora Venetiæ maio-

rem facultatem eſſet habiturus. Igitur Liuianus ſedentibus ad Ateſte & ad Montzonam Hiſpanis, è Patauio cum amplius mille & ducentis vtriuſque armaturæ equitibus Taruiſium verſus mouet. Ibi falcones ſex, & cohortem vnam expediti militis ex Taruiſino præſidio cæteris copijs adiungit, indeque perpetuo curſu, quòd in præſentia celeritate opus erat, Coneianum, ac mox Sicillum petit. Erant Sicilli præſidio Veneti equites fermè ducenti, qui cum Germanis apud Portumnouum hybernantibus, ex occaſione pabulandi, quotidie leuia certamina committebant. Hos Liuianus excurrere in conſpectum hoſtilis oppidi, ac elicere omnibus artibus ad pugnam Germanos iubet. Cæterum præcurrentibus, Malateſtam Baleonum Pauli filium acerrimum iuuenem cum cataphractis ſubmittit. Nec fefellere opinionem Germani: nanque è mœnibus conſpicati hoſtium equites, ex conſuetudine ſuperiorum certaminum propere equos conſcendunt: ac patenti porta eruecti in concurſantes impetum faciunt. Contra Veneti proprio conſilio conuerſi in fugam, quum longius incautos abduxiſſent, adeſſetque ſubſidiarius eques, continuò obuertunt ſeſe, impetum proruentium excipiunt, & pugnam inſtaurant. Malateſta inſigni equo in primam aciem prouectus, Riciannum Germanorum ducem

cem antè alios egregiè decertantem singulari certamine aggreditur, coniectoq; post mutuos ictus per cassidem in aduersum os gladio, vulneratum ab equo deturbat & capit, ceteri amisso duce, celeri fuga, amplius triginta suorum interfectis aut captis, in Portū nouum se recipiūt. Eos cum omnibus copijs Liuianus ad portas vsque persecutus oppido includit, ac simul productis tormētis, ne respirandi vllū vel minimum quidem tempus relinqueretur, imparatos oppugnat. Ita incredibili militum studio, continuata per diem ac noctem oppugnatione, iam fessis defensoribus, qua murus vetustate debilior vi tormentorum collapsus, ingressum præbebat, oppidum intrat, ac pauci in tumultu occisis, comprehensoq; præsidio, diripit, atque eadem fortuna vsus, arce potitur. Paucarum demum horarum quiete militibus data, castra mouet, & superato Tiliauento flumine, ad oppidum Sancti Danielis proficiscitur. Inde Nicolaum Vendraminum cum Epirotis, & Bernardinum Antiniolam cum sagittarijs ad deterrendum ab incepto Francapanem, Osophum præcurrere iubet. Verum is paulo antè, quum id oppidum abruptis rupibus impositum, quod summa fide atque virtute Hieronymi defenderetur, frustra ab se oppugnari perspiceret, simul ac de aduerso prælio equestri, & de Liuiani aduentu certior factus,

Etus, soluta obsidione ad Ventionū supra Natisonē fluuium iter facere cœperat. Veneti nouissimum abeuntium agmen velocitate equorum consecuti, in tergo cædem & tumultum maximū ediderunt, conanteq; Christophoro explicare aciem, & prælium iniquo in loco cōmittere, cōturbata extrema acie, vltimos quoque equitum multitudine sagittariorum circumuentos fuderunt. In ea rerum asperitate Christophorus, quum milites vniuersas hostiū copias adesse putarent, & propterea quòd angusto in loco res erat, vbiq; trepidaretur, relictis maioribus tormentis ac cōpluribus suorum amissis, ipse vulneratus per abruptos calles in montana se recipit, neque vlla re magis quàm celeritate & locorum notitia vsus, salutis discrimen euasit. Namq; premēte in tergis Liuiano, Sauornianus cum expedita clientium & montanorum manu ab Osopho trāsuersis tramitibus, ad occupandas viarum angustias contenderat: cuius aduentu, quòd peritus locorū vndiq; infesta arma fugientibus intulisset, dissipato casoq; Germanorū agmine, tormēta octo muralia capta sunt. Ea verò Hieronymus perduxit Venetias: & vt essent victoriæ monumentum, in naualia intulit, ita gratias agente Senatu, vt ab insigni fide virtuteq; commendante Luca Trono, celebratus, præmia meruerit: scilicet, vt Osophi cōmeantium

tium è Germania mercium perpetua statio cum Vectigali, immunitateq; incolarũ statueretur, & præsidio (quòd egregiè se defendisset) virtutis ergò perpetua stipendia prouenirent. His rebus gestis Liuianus cuncta ea oppida, quæ metu aut vi ad Germanos defecerant, in fidem recepit, præter Gorriciam atq; Gradiscam: ad quæ eodem secundo rerũ cursu cum omnibus copijs ferebatur, vt præsentis fortunæ periculum faceret, nisi Hispani cognita eius profectione, motis properè castris, vt intercluso itinere eum reditu, & Patauinũ mœnibus prohiberent, in maxima spe gerendarum rerum è Foroiulio reuocassent. Effuderant enim se per Patauinum agrum, et intacta superiore hyeme possessiones impunè populabãtur. Sed vix dum Liuianus Patauium redierat, quum Francauanis, dum armandis agrestibus & suscitandis ad renouandũ bellum populis, per Altinatium fines & saltuosa Carnorũ volitaret, præcipitatus in insidias à Ioanne Vetturio, qui cum Epirotis ea pariter saxa circuibat, captus est: suoq; et alieno cruore perfusus (multũ enim vir lacertosus atq; terribilis, ne viuus in potestatẽ hostium veniret, repugnarat) Venetias perductus, teterrimo carcere includitur. Gratias Senatus Vetturio egit: quòd eum hominẽ cepisset, qui supra belli causam, Veneto nomini infensissimus, per quin-

quinq; annos, positis nunquam armis, Venetorum partes oppugnasset, inhumanamq; crudelitatem in captiuos exercuisset. Nam quibusdam oculos eruerat, alijs amputauerat manus, aut aures absciderat, videbaturq; is, si pacis vnquã mentio fieret, aquiores conditiones allaturus: quoniam Gurcensis cardinalis sororem ei in matrimoniũ collocarat: & Cæsar fidelis eius semper atque fortissima operæ visus, calamitosi viri rationem habituri videbantur. Sed Vetturius haud diu ea re bene gesta lætatus, cũ in explorato itinere per impedita regionis euagaretur, cũ ala suorũ equitũ à Cæsarianis captus est. Resq; postea in Foroiulio aliquanto quietiores fuere. Sed paulò post ad Cittadellam agri Vicẽtini, longè plures Venetorum equites, quàm ipsi ex Cæsarianis ad Portum nouum ceperant, ab Hispanis oppressi sunt. Præmiserat enim Liuianus supra Vicentiam, Bernardinum Antimiolam cum trecentis equitibus, ad tuenda ea præsertim oppida, quæ vagãtibus Hispanis maximè opportuna iniuria videbãtur. Erat id genus præsidij incertũ & vagum: nam quicquid camporum & collium inter Bassianũ, Cittadellam atq; Marosticã interiacet, interdiu circũducto equitatu percurrebatur: cæterũ noctu ad vnũ triũ oppidorũ equites se recipiebant. Quibus de causis, quũ improuisi omnibus horis, ac

omnia

omnibus in locis occurrerent, nulla nisi bene ualida hostium manus, aut in pagis tutò consistere aut ex priore consuetudine, paulo liberius prædatum ire audebat. Verum ea rerum difficultates paulo post breui negotio sublatæ. Nanq; Cardonius multum antea in eos equites intentus, vt pabulatoribus suis pacatum agrũ redderet, circumemissis speculatoribus, occasionem opprimendi hostis inuenit. Fortè enim ab excursione Cittadellam se receperat cum equitibus Antiniola, vt eo in oppido ex quotidiana consuetudine pernoctaret. Id cum propere renuntiatum esset, Cardonius nequaquam moratus, deposcente Piscario, omnem leuem armaturã expedire arma, atque equos ascendere iubet, & supra quingẽtos ex omnibus cohortibus lectissimos pedites ita adiungit, vt accelerandi itineris causa, singuli equites post sese singulos eodem equo consessores pedites adueherent. Piscario autem præcipit vt cum ea manu Cittadellam contendat: Vtatur noctis beneficio, & ne quod effugium pateat hosti sine tumultu portas dispositis stationibus obseruet. Ipse verò cum tormentis & maiore parte exercitus iustis passibus atq; hisdẽ vestigijs Piscarium subsecutus, eò proficiscitur. Antiniola qui nihil minus quàm Cardonium, quem eo ipso die ad vetera castra sedere per exploratores cognouerat, aut moturum inde, aut

aut educto exercitu ad se opprimendum tanta celeritate conuolaturum putauerat, postquam ab excubijs conclamatum est adesse hostes, tuba signum proponit, quo monentur milites, vt equos insternant, atq; arma capiant. Verùm antequam milites è contuberniis repentino metu excíti ad signa quæ in foro erãt, coirent, iam oppidum corona cinctũ erat. Tum verò Antiniola dux impiger eruptione facta, in hostes inuehitur, impetum irruentis Piscarius per sclopettarios egregiè sustinet, confossoq; cadente equo in pedes desilit compulsisq; intra portam hostibus muro tormenta admouet. Nec mora patefacto angusto aditu, Hispani vi facta irrumpere conãtur. Veneti equites acerrimè propugnant, Ferdinandumq; Nigrum eximia virtutis centurionẽ interficiũt. Dum eo modo contenditur, atque hostes distinentur, Piscarius aduersam oppidi partẽ scalas ferri apponiq; imperat, ipseq; inter primos murũ conscendit, hortatur Romerium signiferum: vt saltu intro audacter se deijciat, hunc perfracta coxa ex casu agrè se erigentẽ, Mancius summa fortitudinis centurio subsequitur. Tum verò alij atq; alij per lanceas se deijciunt, oppidoq; nemine ab ea parte defendẽte, potiũtur. Itaq; Antiniola vndiq; circumuentus vulneratur, & capitur, oppidũq; multis equis multaq; diuite præda repletum, ab

Hispanis diripitur. Antiniola verò (quòd erat ex sorore Iuliani genitus) reliquis ferè omnibus dimissis, honesta in custodia seruatus est. Ad Veronam autem Malatesta Baleonus non multos post dies incommodum Cittadellæ acceptum aliqua ex parte sarciuit. Is enim per montana delatus in agrū Veronensem, non longè à Vico sancti Martini delectos singulari pernicitate Epirotas equites præmisit, qui in suburbanas villas excurrerent, & proxima quæq; mœnibus, tumultu per agros excitato popularentur, ratus sicuti prospero euentu ad Portumnouū acciderat, præsidiarios eruptione sese intemere prouectos Epirotas effusuros, & bene gerendæ rei occasionem præbituros. Nec eū fefellit opinio: nanq; vt primū adesse hostes agrestium clamore & fuga nunciatum est, moxq; è mœnibus in proxima volitantes, ac omnis pecoris abigētes prædam cernerentur, Cæsariani nulla interposita dubitatione quin erumperent, & in primis Succarus iuuenta & robore virili ferox, patefactā portā in hostes citatis equis impetū faciūt. Epirotæ quo magis insidiæ tegerentur, conglobati primo terga vertere, pecus & sarcinas præ se agere, ac demum simulare se numero hostium territos, & passim deserere prædam. At Succarus, vt primo congressu recuperatam maximam prædæ partem, atq; hostes loco pulsos

sos pleniore cursu regredi videt, conuersus ad suos, Patiemiūrne, inquit semper hoc fugacissimum hostium genus pro portis impunè latrocinari? Quin fessos recentibus equis insequimur, & temeritatis pœnas dare cogimus? Hæc dicentem atq; acrius incitantem equum plures varij generis equites insecuti, dum in nouissimo fugientium agmine multum cursu vulneribusq; contendissent, in insidias præcipitantur. Malatesta enim qui ex composito in casa valle tectus arboribus instructos equites continebat, dato repente signo per trāsuersum in patentem viam prosilijt: atq; ardentius euectos hostes à tergo adortus, nouam aciem intercluſis ostendit. Cæsariani vndique circumuenti, dum facto cuneo perrumpere in proximum campum contendunt, ab circumfusis opprimuntur. Ex Pontificijs, Tiberius Galesius equitum præfectus hasta transfixus cadit. Ascanius Romanus Columniæ alæ vexillifer & Succarus ipse, & Gothifredus Calearius Veronēsis prætoriæ cohortis præfectus, capiuntur. Hos cum Malatesta cum alijs captiuis in castra perduxisset, Liuianes Ascanio & Succaro comiter appellatis, Gothifredum multis verborum contumelijs affectum frustra deprecāte Malatesta, è vestigio necari iussit, quoniam quum sermo de Liuiano incidebat, petulantius obloqui, & sine præfatione

honoris, pusillam eum & gibberosam belluam appellare consueuerat. Acceßit quoq; ad maturandum supplicium, quòd partium Cæsarianarum caput erat. & multùm manu consilioßque Venetus Vrbe reciperetur obstiterat, quum per varias bellorũ occasiones, multi è ciuibus tadio præsentium rerum atque hybernorũ incommodis fatigati, à Cæsare se totos alienaßsent. Succarum autem tanto in honore apud se habuit, vt eum quod est inuiolabilis amicitiæ sacramẽtum, his sacris adhibuerit, quibus lustrico die Liuiũ Septimium nuper exsorore Baleoni susceptum baptismate abluit. Ea res solenni ritu & maioribus caremonijs celebrata est siquidẽ in ripa profluẽtis Medoaci armatus & diuisus exercitus tanquã aduersæ acies in simulachrũ iustæ pugnæ præpilatis hastis concurrit: dissiloßq; punctò tẽporis tormenta omnia in lætitiæ signũ tanto armorum fragore & clamore militum, vt præteruolãtes aues exanimata ceciderint. At Rentius qui Cremæ cunctã obsidionis mala singulari constantia perpeßus, totũ æstatis tẽpus extraxerat, videbatur ob pestilentiã Fortunæ cessurus, quæ, vulgata passim per milites ac oppidanos contagione, multis q; hominum millibus ea lue absumptis, in eius quoq; prætoriũ irrepserat. Sed mitescente iã cælo, & quũ iam rari essent in quos ea vis grassaretur, omni diligẽtia remedijs

medijs comparatis, pristinas animi vires recipere, ac redire in antiquam spem sustinendæ obsidionis cœpit, his maximè de causis, quòd conniuente ad hæc Pontifice, à Placentia commeatus liberè supportabantur: neq; id omnino paucitate militum prohibere poterãt Prosper & Syluius. Cremensis autem obsidionis impediendæ negotiũ susceperat. Nicolaus Scotus & cum eo multi eiusdem factionis Maximiliano Sfortiæ infensi, quod animo proposuerant propinquitate regionis atq; notitia itinerũ summa facilitate consequebantur. Erãt qui existimarent Pontificem harum rerum esse authorem, qui haud dißimulãter distineri attenuariq; eo bello Maximilianum volebat. Ne si Crema potiretur, bello vacuus in eodem victoria cursu, Placentiam Parmamq; reciperet. Cui vni curæ Heluetios quoque animum intendere, nec per occasionem, quin armis eas vrbes repeterent, postquam legationibus id frustra tentauerant, vllam moram facturos apparebat. Igitur ob eas res obsessi, auctis animis bona spe compleri, in Syluianis verò castris refrigere obsidionis apparatus, remißa corrupta q; omnia esse. Enimuerò quum stipendia minimè procederent, & seueritate Prosperi ab rapinis milites absterrerentur, multi deiecti spe prædæ, quòd Cremam expugnari posse desperabant, alij occultè dilabi, alij

oppressi are alieno atque omnium rerum inopia, equos vendere, alij victi diuturnitate quotidiani laboris missionem petere: Syluius verò singulos complexus deprecari ne postquàm ad laborum finem peruentum esset, discedere vellent ab se duce, ab semicapta vrbe, ab his denique munitionibus quas tanto studio laboresq; perfecissent, affore breui, qui ab Mediolano pecuniam afferant, stipendiumq; persoluant. Sed postquàm super ea re sæpe ad Maximilianum frustra scripserat, apud Prosperum demum legatum q; principis agere, ac obtestari se deserturum eas munitiones, aut si coactus eo in loco permaneat, ni confestim copijs pecunijsq; iuuetur, aliquod lethale vulnus accepturum. Hæc & si sanis auribus accipiebantur, attamen quoniam fama erat Syluium alioqui nobilem strenuumque virum paulo illiberalium quæstui vacare & milites stipendijs suis fraudare, nihil quod vsui esset, ab Mediolano submittebatur. Verùm vt posteà cognitum est, Maximilianus longè altiore consilio negligentiam simulabat, patiebaturq; bellum incuriosius geri, quoniam Cæsar, si Crema caperetur, aliena pecunia, alienoque etiam periculo partam eodem iure quo Brixia & Bergomum tenebantur, acquiri sibi volebat, atque adijci veteri imperio quod Abdua flumine finiretur, quæres haud mediocrem Maximiliano formid

formidinem intenderat. Is enim rerum suarum solicitus, hostem Venetum viribus attenuatum imperio suo finitimum esse malebat, quàm amicum Cæsarem in Italia eò potentiæ efferri, qua mox sibi formidini atque exitio fo ret. Siquidem constabat Cæsarē pulsis ab Italiæ Gallis, quum Maximilianum in Insubres è Germania properantem ab itinere ad Constantiam retinuisset, cogitasse de tradendo Insubria Imperio Carolo nepoti: traditurúmque fuisse, nisi Heluetij & Iulius pontifex ad quorum dignitatem pertimebat potiri rerum Sfortianos, apertè conatibus eius obstitissent. Igitur dum peuersis consilijs Sfortiani bellum gerunt, Rentius nactus occasionem inuadendi hostis parat sulphureos ignes, quos ligneis tubis tripedalibus atque ollis testaceis inclusserat, quorum formam rationemq; tradidimus in memorabili oppugnatione Rauennæ. Sebasto autem Narniensi imperat, Andreaq; Matritio præfectis, vt cohortes instructas sub signis de prima vigilia ad portam ducant, ibiq; signum profectionis expectent. Erat duo omnino aditus quibus adoriri Syluiana castra poterant, ab læua vbi latior campus & via publica qua ad Vmbrianum ducit, difficilem habebant oppegnationē, quoniā ab ea parte Syluius firmissimas munitiones erexerat, ac locis idoneis tormenta & perpetuas mili-

tum stationes imposuerat, ab dextra autem nec fossa nec vallo, sed signis tantum custodia muniebantur, quòd iuxta erat palus limosit atque perpetuis aquis fœda & inaccessibilis: ab fossa etenim qua ab incolis Trauacoma appellatur, vitio interrupti aggeris magna vis aquæ in subiectam planiciem effundebatur. Ab hac parte Rentius, quòd nihil tale expectaturos hostes intelligebat, audendum esse rebatus, pontibus per noctem palude constrata, omnes pedites traijcit. Ipse verò, vt suis, si quid durius accideret, subsidio esse posset, cum equitibus idoneo in loco constitit. Cæterùm Sebastus atque Matritius edocti ab duce quid fieri vellet traductis cohortibus maximo cum silentio, sub teli iactum ad castra hostium contendunt. Ibi significeris subsistere iussis, pragressi ipsi militum agmen, nactis tenebris tecti, ad Syluianos vigiles suspenso gradu perueniunt. Eos tanquam socij essent ex Syluianis exploratoribus demissa voce leniq; sibilo deceptos, ac sero tesseram postulantes obtruncant, confestimq; vocatis ad se cohortibus delati ad castra, ignes quos parauerant in semisopitam stationem, & in proxima tabernacula militum iaculantur. Ita puncto temporis omnibus fermè tuguriolis incensis, quàm latè relucens flamma fœdam militum equorum trepidationem & fugam, qualem in nocturno metu oriri necesse erat,

erat, & armatam hostium aciem irruentem ostendit. Heluetij qui ex prima cohorte ducenti ferme aderant, quanquam ab somno attonisti, & turbati incendio aspectúque hostium satis pro disciplina solitáque virtute conferti irrumpentes excipiunt, aduentúque Syluij qui arrepto scuto per ignes & semiambustorum equorum fugam inermiumque militum tumultum cum familiaribus aduolauerat, impetus hostium aliquantum repressus. Sed quum tubi formidabilem vomentes ignem, atque ollæ cum exitiabili flamma inortæ ab Venetis per turmas experienteq; arma milites volitarent, tanta consecuta est omnium trepidatio, vt dissipatis ordinibus, ac neglecto ducis imperio, nemo consistere auderet, sed protinus cuitatis incendijs saluti fuga consuleret. Ita in confusos consternatósque illati Veneti occiso Pettero Heluetiorũ duce, & Florabraccio Stipiciano equitum præfecto, castra occupant, tormenta, quæ per tumultum à Syluianis displodi non potuerant, in fugientes conuertunt, & cum ingenti equorum atque hominum præda satis magna hostiũ cæde edita, in oppidum reuertuntur. At Prosper qui mille & quingentos amplius passus inde aberat, quanquã ex incendio castrorũ tormentorumq; boatu, haud incertus erat versari in maximo discrimine Syluium, siue is hostilis vel fortuitus ignis fo-

ret, nihilominus nocturna prælia non esse tentanda existimans, neque temere exeundũ. Vt sera remedia perditis tam rebus afferrentur, cauto magis quàm nobili cõsilio armatus suis munitionibus se continuit. Syluius verò è medijs hostibus flammis conscenso, quem sors obtulerat equo degeneri, incolumis Laudem sẽ recepit. Ea clade hosti illata Cremenses quum ab magna rerum omnium inopia in eo successu victoriæ subleuarentur, non tantum liberati obsidione, sed obsessuri vltrò Prosperi castra commutata belli ratione videbantur. Eodem quoque tempore Liuianus animo agitans, quibus maximè consilijs atque artibus acceptas clades vlciscereturr, Hispanos qui secundum Athesim æstiua habebant, adoriri constituit, neque id tamen aperta vi, quod exercitui ex nouis delectibus refecto minus fidebat, tentandum sibi arbitrabatur. Erat quatuor in partes diductus Hispanorum exercitus, apud Lendenariam vicum Piscarius cum tribus millibus peditum, ad Rodigium Garcias Manricus cum ducentis amplius equitibus cataphractis, alia verò equitum ac peditũ manus apud Bastiam pagum agebant, plures etiam ad sui præsidium Cardonius Veronam adduxerat, quod tunc fortè à Cæsarianis de belli summa Verona concilium habebatur. Igitur Liuianus vt hostiũ speculatores falleret, aliud simulando, quàm

do, quàm quod sibi occultè atque celeriter perficiendum proposuerat, edicit vt de prima vigilia omnes armati parati q; ad profectionem ad signa conueniant. Interim quo magis consilium tegeretur, aliquot tormenta addito præsidio ad Anaxum flumẽ (id hodie Piaua est) via Taruisina aduehi iubet, caterum diuerso itinere intempesta nocte à Brentellis tertio à Patauio lapide: quo in loco plures dies statiua habuerat, castra mouet, & Marosticam versus atque Vicentiam, ignaris militibus quò ducerentur, contendit. Demum mutatis sæpe castris per abrupta loca itineraq; autumnalibus pluuijs corrupta, noctu plurimum iter faciens, cælo etiam ob assiduos imbres infenso, ad Athesim deflexit. Inde paululum moratus in his munitionibus, quas paucos ante dies, capto ibi Morellione Hispano, & præsidiarijs interfectis, Malatesta & Vrsinus occupauerant constructo ex ratibus ponte flumen traiecit. Tum verò Liuianus militibus gratias egit quòd infesti cæli iniurias et difficillimi itineris asperitates forti animo toleraſſent, quòd singulari celeritate eò peruenissent. Vnde cum maxima præda ac laude essent discessuri. Parārent extemplo arma, neq; laſſitudine aut alio corporis incommodo permouerentur: paratum enim esse pradam facilemq; victoriã si eadem celeritate vti ad Portumnouum feliciter egissent

sent, & pari propè errore hostium uterentur. Demum Cardillum virum impigrum quem familiaribus equitibus suis præfecerat, & Malatestam cum expeditis turmis Rodigium præcurrere & quosque obuios capere ac uincire, ne per illos aliqua aduentus fama ad Hispanos deferretur, atq; occupare demum portam iubet. Ipse cõtinuò subsecutus triplici acie instructa paratus oppugnare inclusos aut prælio decertare si cognito eius aduẽtu hostes erũperent, ad oppidum pergit, tanta felicitate atque silentio, ut quum subiectos mœnibus campos iustus teneret exercitus, nemo tamen id sensérit aut viderit. Ea enim erat in oppido rerũ tranquillitas, ut Hispani qui nuper audierant Liuianum supra Marosticam raptare exercitum, veluti in summa quadam securitate soluti ociosiq; sine custodia sine statione in foro essent: Nam ea fortè die mercatus rerũ venalium ab agrestibus qui è proximis pagis conuenerant, habebatur. Ita Cardillus & Malatesta per quẽ Liuianus omnia difficilia atq; aspera tẽtabat, nemine prohibente, citato cursu portam irrumpunt atq; in forum conuolant. Extemplo turbata ibi omnia, fœmina agrestes oppidani, tumultuari, diffugere, militibus Hispanis maximo impedimento esse. Tamen milites quanquam repentino perculo exterriti, quòd arma induere, capere hastas, equósue conscen-

conscendere undiq; circumuenti non poterãt, sinistras sagis inuoluunt, gladiosq; distringũt, ac multis illatis & acceptis uulneribus Cardillum ante alios impigrè pugnantem interficiunt. Sed superuentu cohortium quas Vrsinus introduxerat, & multitudine equitũ oppressi obrutiq; quiũ virtutem irritã ac exittalem fore cognoscerent, si pertinacius resistere-tur, gladijs proiectis deditionem fecerunt. Ita fortissima atq; ornatissima ala equitũ cũ ingenti præda capta, atq; oppidum cũ externis etiam mercimonijs quæ fors ea die cõgesserat, direptũ: Garcias Manricus cũ signiferis turmarumq; præfectis Venetias perductus & in carcerẽ conditus est. At Piscarius sero de suorum fortuna certior factus, quum coactas in unũ copias in hostem via Rodigina ducere cœpisset, cognouisset q; nõ multo post Liuianũ cum uniuerso prope exercitu eã rem confecisse, erectoq; animo maiora moliri, ab Lendenaria mutato consilio Veronã se recepit. Interea Rentius deletis Syluij copijs, de successu Liuiani per literas edoctus, in ea rerum occasione suadente legato Veneto, Bergomum contendit: Gltroq; receptus ab his ciuibus qui semper victi mulctatiq; pecunia, nec tum quidem à prima fide, vel infelici exitu discesserãt, urbe potitur. Occupato Bergomo spes quoq; recipiendæ Brixiæ Venetis facta est. Nec mora cũ duabus cohortib.

hortibus et turma equitũ Bartholomæus Villaclara nobilis Brixianus, cuius forti opera eo bello Veneti vsi fuerant, & cum eo Nicolaus Scotus Brixiam mittuntur, qui ciuiũ animos tentent, augeantq; in maius Rodiginam victoriã, & Bergomatium facti exemplum ad laudem proponant. Verùm ij quòd virtute & diligentia Aloisij Icardi, qui tunc arcis custos & præsidij præfectus erat, ambiguæ fidei ciues in officio cõtinebantur, irrito incœpto Cremam redierunt. Secundum tamen Bergomatiũ defectionem, quũ Hispanos fermè omnes Vndiq; deletos esse falsis finitimorum rumoribus afferretur, plerique sociorum inclinatis ad rebellionem animis, res nouas moliturí videbantur. Cæterùm Cardonius ab Verona cum valida parte exercitus, & ab Crema Prosper motis propere castris, ad oppugnandum Bergomum vno tempore conuolarunt. Syluius quoque ab recenti clade reparatis copijs, accitisq; è Brigantcis montibus peditum auxilijs, cum apparatu oppugnandæ vrbis Bergomum contendit. At Rentius qui res hostium perditas ac profligatas esse existimans, relicta Crema, Bergomo parum munitæ vrbi ac muro debili, cum suam tum exercitus salutem temerè commiserat, cognito discrimine, parare ea cœpit quæ ad defensionem pertinebant. Concionatusq; ad Bergomates docuit rem nullius esse periculi,

culi, modò pristinæ fidei memores esse & iuuare rem Venetam vellent, sicuti antea impigrè liberaliterq; fecissent. Scire se propediem affuturum cum victore exercitu Liuianum: nec dubitare de victoria. Futurum enim esse, vt hostium copiæ in quibus nihil præter vana ducum nomina roboris inesset, vna die aut nocte altera delerentur. Ante omnia susceptos hospitio milites alerent, darentq; operam, ne qui temere per vrbem tumultus excitarentur, cætera sibi tuta fore. Ita ciuibus alacriter imperata facientibus, suburbana ædificia lugente populo diruit, coactisq; ad opus ex plebe & ex agrestium numero tribus nominũ millibus, introrsus ab muro fossam denos pedes latam perduxit, omne genus telorum locis idoneis imposuit, & singulis cohortibus secundum vrbanas tribus certa mœnium spacia defendenda attribuit. Campanas demum (inuiolatũ ante eam diem sacri æris genus) templorum turribus detrahit, & conflat: eorumq; metallo vtitur ad fundendas colubrinas. Hæc sicuti impigrè Rentius Bergomatesq; parabant, ita foris egregiè ab tribus ducibus belliu gerebatur. Syluius, cui id negotium demandatum erat, ab ea parte qua superiore anno castra habuerat, mœnia tormentis aggressus, quum abolendæ ignominiæ auidus, obuiam eundo periculis, ingentem mœnium ruinam edidisset

edidisset, magis ac magis patefacto aditu, magnam spem irrumpendi Hispanis militibus fecit. Neq; Rentiani per decliuia, ideoq; exposita falconum ictibus loca, absque magno periculo hiantem maximis passim fenestris murum ligneis doliis atque cespitibus obiectis sarcire poterant. Quibus de causis, quum pauor & consternatio ciuium ac militum animos occupasset, Rentius seruandi exercitus ac dedendæ urbis consilium cepit: Apparebat enim eos vix primum hostium impetum toleraturos, Hispanorumque præsertim, qui supra cæteras bellicæ virtutis laudes, scientia atque artibus expugnandarum urbium maximè valerent. Et etiam minore ciuium spe militumque fiducia, quòd conanti per egregios artifices tormenta conflare, nullum iustæ magnitudinis effingi potuerat, tanquã diis iratis, & sua ærа in humanam perniciem transfundi vetantibus. Igitur Rentius nullam prælij fortunam periclitatus, sicuti omnium opinione celerius, ita nõ pro vetere virtutis fama, tubicinem emittit, & cum eo idoneos ex numero ciuium & militum qui de deditione cũ hostibus agant. Quod vbi in castris vulgatum est, conclamant milites è manibus eripi sibi victoriam, contumelioseq; & ingratè facere duces, quòd se omnium rerum indigos & militum miserrimos, confectos labore atq; vulneribus tenuissimis stipendijs alant, quum verò ad prædam et ad paratæ belli præmia virtute viam aperuerint, tunc malignis consilijs & fœdis pactionibus faciles expeditasq; victorias interpellent. Seruari eo modo hostes, non deleri, ac foueri bella, non confici, dum priuatis quæstibus duces student, & sanguine militum abutuntur. Ideoq; se in posterum dicto audientes non futuros, si in tanta delendi hostis occasione, suis præmijs & proposita laude fraudentur. Syluius quoque quod eum recentis iniuriæ dolor vehementer incitaret, ad Rentij priuati hostis & opulentæ urbis excidium ferebatur. Sed contrà differebat Prosper, ab insita moderatione clementiaq; Italico præcipue sanguini parcere, et clades ab agris atq; urbibus auertere solitus. Non enim militum libidini obtemperare duces debere, qui militiæ ad summum laudis decus aspirent, & à iusta generosi animi probitate famam quærant, latrocinantium q; militum immanitatem abominentur. Eam enim esse propriæ disciplinæ rationem, vt incruentis, quantum fieri posset, armis victoria petatur, & urbes ad partæ pacis commoda diligentissimè conseruentur, vt inde vberrima militi stipendia cum laude, non spolia immerentibus populis, aut altaribus & fanis cum nefario scelere detracta proueniant. Itaq; sibi videri cum Rentio Bergomatibus q; de deditione perquàm

maturè transigendum, proficiscendumq; continuò aduersus Liuianum citra Athesim cunctatametu cladibus q; miscentem, quem facilè paludibus implicitum oppressuri sint, si in eum totam belli molem conuertant, opportunè quoq; Piscarium iam à Verona descendentem factorum inde negotium hosti, ad non dubiam victoriæ spem. Quod si hæreant, atq; oppugnando dubiam prælij fortunã tentent, & incerta certissimis anteponant, accidere posse, vt hinc & illinc elapsam occasionem conquerantur. Quin etiã meminissent se cum strenuo duce, cum valido veteranoq; præsidio, cum pertinacissimis ciuibus ex iniquo loco dimicaturos. Quod si id Fortuna tribuat, vt paruo detrimẽto victoria paretur, nihil certè deuictis hostibus Cæsari præter deletæ vrbis ruinas relinquendum, & quod suorum singulari damno incommodóque accidet, ditati præda milites à signis sine missione alio atq; alio dilapsuros: At vrbe incolumi sperari inde certa stipendia, quibus milites in officio cõtinerent, permansuros q; demum in perpetua fide Bergomates si eo clementiæ beneficio deuincerentur. Huic tutæ mitioriq; sententiæ Cardonius facilè assentit, & Bergomatibus ex merito de fortunis ac vita desperantibus incolumitas datur. Rentius vero cum præsidio (erant ij ad quatuor millia equitum ac peditum) sine tuba, sine tympano Cremam redire

dire permittitur, ea cõditione, vt quantum ad rem Cremensem pertineret, trium mensiũ inducię forent: atque ita Bergomates mulctati pecunia, leuitatis suæ pœnas dederunt. His rebus confectis Cardonius & Prosper stipendiũ militi persoluunt, & cum expedita parte exercitus sicuti animo proposuerant, ad Liuianum qui tũc ad Alieniacum castra habebat, quam maximè possunt iustis itineribus proficiscuntur. Eodẽ quoq; vsi consilio Piscarius & Alarco, eductis Verona copijs ad Montẽ Silicem iam peruenerãt, atq; idoneo in loco vltra Athesim castra posuerant, rati Liuianũ è Rodigio atq; Alieniaco in vetera castra redeuntẽ, à proposito itinere auerti atq; intercludi posse, vel necessitate itineris in proximas regressum paludes expugnatum iri ab ipsa locorũ iniquitate. Sed Liuianus haud ignarus rerũ quæ ad Bergomum infelicem exitum habuerant, iudicans Cardonium & Prosperum nullam moram facturos, quin celeriter ad se opprimendum per Cremonensem agrum & Mantuanũ connoluerẽt, ne sibi cum duobus exercitibus res foret, in pacatũ excogitato nouo itinere se recepit. Tormẽtis enim ac totius exercitus impedimẽtis ratibus impositis, quæ secũdo amne Athesi in Hadriaticũ deuehẽrẽtur, ipse cõtinẽtes ac difficillimas paludes ingressus, quã nũquã antea exercitus ductus fuerat, ad Caput aggeris maritimũ

vicum non longè a Clodia fossa, præter hostium atque accolarum opinionem, incolumem reduxit exercitum. Nec multò post Maximilianus Sfortia Nicolaum Scotum quem non longè ab Abdua cum equitum & peditum manu auxilio Bergomatibus venientem pauci Heluetij in itinere ceperant, capitali supplicio affecit. Erat is propter bellicam virtutem maioribus suis dignus, sed qui lingua immodicus, dum Maximilianum insolenter carpit, male principum vires superbo præcipitiq; ingenio metiretur. Sub idem tēpus Galli, qui reliqui omnium in Italia apud Genuam in arce Phari, tunc maximè terra mariq; obsidebantur, deditionem fecerunt. Verùm quum perviginti septem menses, quibus egregiè obsessi omnes rerum asperitates toleravérant, sæpe vrij & memorabiles casus acciderint, non prætermittendum videtur, quod dignum memoria existimauimus. Soluerat à Nicæa Prouincia Ludouici Regis iussu vir Dalmata, rei maritimæ assuetus, cum nauigio iustæ magnitudinis omni genere commeatus onusto, eo consilio, vt suis ad Phari arcem multarum rerum inopia laborantibus opem ferret, quod duobus minoribus antè nauigijs felici nauigatione contigerat. Is prætereúctus superiorem Liguriæ oram, imprudentibus his, qui cum expedita classe ea maria custodiebant, rapidum ex alto nactus Aphricum, conuer-

tenuersis velis Pharum tenuit, atq; arcis scopulo appulsus, obsessis quibus attineretur, rudentes dedit, & anchoras iecit, tanta Gallorum lætitia, quāta necesse erat in summa rei frumentariæ desperatione. Nec Ligustica classis quæ in statione erat, quanquam ex itinere prætereuntem, tormentis peteret, contra ventorum vim eius impetum prohibere potuit. Itaq; Galli nauta in proximum litus exponere partem commeatus iam cœperant, cum maximo dolore populi Genuensis, qui ad mare effusus, & speculas & litoris spatia compleuerat, gemens frendensq; impotenti ira, quòd tot mensium diligentiam & operam ac paratum laboris, & industriæ fructum puncto temporis amississent. Caterum Emanuel Caballus inter Ligures rei naualis peritissimus conuersus ad multitudinem: hodiernum, inquit, negotiū occasionis est atq; virtutis, non irarū vel intempestiui quæstus. Quare macti virtute iuuenes, qui tantum dedecoris animo atq; oculis sustinere non potestis, mecum hanc nauem statim conscendite, et si vnquam pro gloria dimicastis, nūc maximè ad retinendam naualis disciplinæ existimationem, patriæ ac ciuibus fortissimā operam præstate. Nec mora scandētem onerariam nauem trecenti fermè iuuenes, duce Andrea Auria viro impigro, secuti sunt, nihil miserabile mortis genus horrentes, quum haud dubiè obuiam

hostium tormentis eundum esse intrepidis animis reputarent. Emanuel summa celeritate explicatis armamentis statione egressus, modico in altum capto circuitu, quo aura plenius vela inflaret, secundissimi venti beneficio, rectà ad hostium nauem contendit: nihilq; territus crebris pilarum ictibus, quibus continenter ab arce petebatur, iniecto statim harpagone, in eā primus insilijt, & præcisis rudentibus, quibus propugnaculo arcis alligabatur, momento temporis auulsam in altum abripuit, tanta arte atq; peritia inter scopulos hostile q; nauigium directa prora, vt quod propositi erat in maximo periculo, & nauem excluserit, & abrasis scopulis paratum naufragium euitarit. Interim tamen aliqui tormentis dilacerati, & Andreas ea incidentium pilarum procella attonitus, vix post multos dies ad se redijt. Dalmatam verò nauis præfectum, qui in mare se precipitauerat, vt ad arcis scopulos adnataret, Iustinianus nobilis adolescens per vndas itidem adnatando, euadentē consecutus, crinibus arreptum in proximum litus pertraxit. At Caballus captiuam trahens nauē, dum extra tormenti iactus in altū eueheretur, facilè ex alta nau in humilem transcendentibus armatis, ad sexaginta Gallos interfecit aut cepit: mox regressus ad classem, summa populi gratulatione suscipitur, donaturq; quingentis aureis, præda verò

da verò socijs naualibus diuisa. Fuere ad centum vini amphoræ: frumenti & salitæ carnis vis ingens: tormentarij pulueris triginta cadi: præterea arma omnis generis. Signata pecunia in stipendium triplex. Vestis multa: & varia id genus, quæ ad soluendam obsessorum inopiā excogitari parariue potuerant. Eā res non tantum præsentis commeatus certam spem interpellauit, sed in posterū docuit, nihil temere nauibus committendum aduersus eos hostes, qui in re maritima virtute atq; peritia longè alias gentes anteirēt. Post id factum, apparuit, Gallos, qui omne cibariorum genus absumpserant, dedituros fuisse arcē nisi (vt suo loco memorauimus) ante euētum prælij Nouarienses, Aduerni et Flisci eos omnibus necessarijs rebus adiuuissent. Nouissimè verò Octauiano rerum potiente quum ciues diuturna obsidionis tædio atq; incōmodis fatigati, nec supremam hostiū famem, nec vllam iam temporis moram æquo animo diutius ferrent, nouū oppugnationis genus instituerunt. Vni enim huic curæ maximè erant intenti, vt quandoq; infestissima arx, quam Galli Liguriæ frenū appellabant, in perpetuam spem libertatis expugnata tolleretur. Persuaserat Octauiano atq; Senatui Petrus Hetruscus machinator & artifex mirabiliū operū, posse facilè excindi arcē si actis per subiectam rupem cuniculis, immissoq; tormentario

puluere, exemplo Neapolitanæ arcis, nota certáque ratione sauiturí demum intus ignes excitarentur. Verum quum nec à terra, nec ab aperto mari, ci ac multitudine tormentorum hostilium prohibente, destinatus animo artificis locus adiri tutò posset, summa negotij difficultas ab omnibus proponebatur. Arx enim præciso undiq; scopulo imposita, qui porrectus in mare, peninsulæ formam efficit, à continente propter oppositi montis frontem, angustiũ & abruptũ locũ habebat, omni iniuriæ tormentorum atq; telorũ expositum. Quà verò circumfluo mari alluitur, propugnacula erant idoneis in locis erecta, instructáq; maioribus colubrinis, quibus conspecta in alto nauigia interuallo etiam triginti stadiorum, è destinato petiporterant: simulq; lunata facie pateſcens portus, & operosa moles quæ in altum excurrens frontem ostendit, adeo infesta reddebantur, vt nec humile quidem nauigium in portu consistere auderet, atq; vniuersa classis ad Carinniani litus, quod obiectu molis tegebatur, suspecta et male fida in statione agere cogeretur. Hac etiã rerum iniquitate proposita, quum humanis artibus locorum asperitates audendo agendóque superari posse existimarent, eodem Hetrusco authore, nauigium ad Pontonis formam adificant planiore carina latiũ capaxq; & ingentis etiam molis patiens: huius latera cingebantur

bantur continenti & perpetua saccorum serie, in queis lanea tormenta aq; inerant, at q; id genus rerum quæ molliter cedendo vim tormentorum facilè excipere atq; eludere consueuerunt. Id noctu ad arcis scopulos, impunè adigi posse sperabant, quò si peruenirent, quod nullus tormentorum ictus ab alta arce in subiectos foret, pluteis ac modica testudine tectis fossoribus excauari tutò posse suppositam rupẽ omniũ opinione confirmabant. Igitur paratis ad hoc ferramẽtis fabros imponunt, addunt q; præsidio cum delectis militibus Gigantem Corsum singularis animi centurionem. Ratio autem adigendi nauigij hæc vna reperiebatur si noctu ingentem anchoram lembo aduectam sub arce profundo mergerent, indeque ductarium & longissimum funem ad nauigium perducerent, ea spe vt cum versatili machina colligere funem cœpissent, resistente anchora nauigium necessario pertraheretur. Hæc quum imperata atq; feliciter perfecta fuissent, & quieto mari intempestaq; nocte nauigium adigeretur. Galli in omnes hostium motus excubantes, vtpote qui per suæ factionis homines, multum antea cognitis eorum consilijs Pontonis aduentum senserant, subitò saxa, tormenta atque animos ad id certamen præparauerunt. Enimuerò, vt postea ab ipsis Gallis cognitum est, summa audacia vrinatores non deerant,

qui noctu ſtationem fallerent, & literas in arcem deferrent. Iam dimidium itineris nauis confecerat, quum Galli extructam in ſummis propugnaculis ingentem pyram continuò ſuccenderunt, cuius late relucens flamma ſubiectum mare diſcuſſis tenebris illuſtrauit, tanta claritate, vt tormentorum certiſſimis ſemper ictibus nauigium peteretur, & penitus tranſuerberaretur. Qua res omnium animos fregit, quòd ſe noctis tenebris tectos fore, & obiecta remedia omnem eam vim impunè latura crediderant: quod ſecus accidit, nam prima pila adacta in proram, dilaceratis aliquot militibus & fabris, à puppe etiam euaſit. Secunda pariter & tertia ac quarta innumerabileſque aliæ, horrenda intus ſtrage editæ, diſiectis miſerabiliter humanis artubus, cruore, cadaueribus & deſperatione totum nauigium compleuerunt. Ita quum quiſque metu mortis ab officio deceſſiſſet, nec vlla iam ſpes ſalutis conſternatis corpore atque animo relinqueretur, in mare precipites deſiliunt: Ibi plures ſcaphis excepti quæ ad ferendum auxilium periclitantibus ſuis aduolauerant. Alij verò, in queis fuere Gigas & Heteruſcus nantes, oppugnati etiam undis multis falconum ictibus, incolumes tamen ad litus peruenerunt. Nauigium verò quaſſatum pertuſumque variis in locis, paulo poſt eſt demerſum

merſum. Ac tunc maximè vſus rerũ omnium magiſter edocuit nihil validum aduerſus vim atque impetum tormentorum, humana ſolertia poſſe comparari. Inclinante autem æſtate, quum Octauianus ſumma diligentia qua Pharus terreſtri itinere aditur, diſpoſitis inſtatione cohortibus, & triplici claſſe in alto conſtituta veluti lunari acie circumiecta maria clauſiſſet, cuſtodes ad deditionem compulit: nunque intolerantia famis Gallorum corpora aduerſa valitudo tentauerat, atque ea vis morbi ingruente autumno & deſperatis vitæ ſubſidijs, grauiſſimè graſſatura videbatur. His verò conditionibus arce exceſſum eſt, vt præſidiarijs ſtipendium ab Octauiano populóque Genuenſi continuò perſolueretur, & ſine fraude nauibus Maſſiliam adueherentur. Ita tradita arce & recepto ſtipendio incolumes in Galliam tranſportati. Populus verò leuatus tanto onere ac cura, quanquam ſuperis gratias ageret, & plurimum ea victoria lætaretur, omnes tamen quum memoria repeterent, quo dolore, quantáque pecunia eam arcem impotenti Imperio victoris regis in collum propriósque humeros erexiſſent, illam demum captam pauidis etiam animis horrebant. Apparebatq; eam maiores calamitates quandoq; allaturã liberæ ciuitati, niſi

nisi quàm primum veluti excusso seruitutis iugo, fortes atque optimi ciues in memoriam recuperatæ libertatis, tanquam suspectam & exitiabilem excinderent atque delerent. Vnus quo minus id fieret Octauianus prohibere poterat, quum arma præsidiaq; teneret. Sed is magno & liberali animo priuatis ambitionibus publicum decus prætulit, maximoq; suo fauore omnium à fundamentis arcem euertit, aliquanto tamen maiore virtutis indole desiderio ciuium satisfecit, quàm postea dignitati patriæ atque Italiæ consuluerit.

PAV

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum sui temporis
LIBER XIII.

ANNVS qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quartuſdecimus, vniuerſam in primis Italiam cæteras q; prouincias quæ proximè bello exarſerant, quietiſſimas habuit: nulla tamen ſpe futuræ pacis: quandoquidem diuturnitate bellorum feſſi principes, quum haud dubiè attritæ omnium vires facilè reparari non poſſent, veluti conſenſu quodam arma poſuerant, quæ mox infenſioribus animis reſumerent. Adeò acerba inter ſe odia victi victoresq; exercebant, & veteres controuerſias, quibus nouas etiam belli cauſas in tanta varietate caſuum addiderant, finituri minimè viderentur, niſi alterutris nihil reliquum Fortuna faceret, vel vtriq;

Vtrique per mutuas clades ad internitionem bellando conciderent. Sed quantum pacatæ Italiæ Occidentisq; prouinciæ leuatæ bello videbantur, tantum Septentrio, & magna pars Orientis, eo belli incendio deflagrarunt, quòd continenti veluti flamma, à Viginti annis vniuersum terrarum orbem peruagatum, & magna imperia, & nobilissimas gentes, cladibus terroreque concusserat. Ortum primò bellum in Pannonia atrocitate sceleris potius nouitateque periculi, quàm rei gestæ successu memorabile. Imperabat tunc Pannonijs Vladislaus Sigismundi Sarmatarum regis frater. Matthiæ Coruino Hunniadis filio, cui successerat, omnino dissimilis. Nanq; Matthias rei militaris peritia, magnitudine animi, & felicitate rerum gestarum veterum Imperatorum gloriam aquauerat: hic verò discordia atque ambitione procerum, & vidua regina libidine, quæ formosi & maximè illustris noui regis nuptias appetebat, potius quã insigni virtute à Bohemico ad Pannonicum Imperium euectus cum singulari prouinciæ detrimento & fortissima gentis ignominia, sæpe pudendam paeem atq; otium necessario bello prætulit. Siquidem Turcarum incursionibus sæpe lacessitus, qui finitimos agros exurere, & magnam captiuorum multitudinem quotannis abducere consueuerunt, semel aut bis

bis iustum exercitum instruxit: quo terrore repressis hostibus, præsenti metu potius finitimos soluit, quam quòd exemplo Hunniadis, hostile solum infestis armis ingressus populando Grenadoq;, eos quoque similes clades timere docuerit. Sed quum Selymus Turcarum imperator Persico bello implicitus (vt mox ex ordine rerum memorabimus) omnes Europæ copias per Hellespontum in Asiam traiecturus esset, vigeretq; etiam tunc belli in Croatia, plerique regni proceres, & in primis Thomas cardinalis Strigoniensis, excitato rege, propulsandi atq; inferendi belli consilium cœperunt, quasi nutu Deorũ bene gerendæ rei facultas offerretur: quòd nudatæ præsidio Mœsia, & Illyrij Triballiq; infensissimi Pannonijs hostes, abducto à Selymo flore militum, inualidi ad resistendum videbantur. Verùm ea tempestate adeò affectus Pannonicarum rerum status erat, vt opulentissimũ paulò antè imperium, commutatæ cum rege fortuna, intestinis malis corruptũ, ignobile exhaustumq; iaceret. Nanque Vladislaus cum senio, tum multa obesi corporis aruina oppressus, & solis confisus Dei Diuorumq; auxilijs, quos summa pietate pro salute sua atque incolumitate imperij iam pridem accuratis precibus fatigabat, omnem regni administrationem omiserat, ab vna tantum innocentia, facilitate, indulg

indulgentia, & quòd plerunq; sui ac imperij obliuisceretur, à proceribus commendatus. Quam occasionem nacti complures reguli, & quisque in prouincia potentissimus, qui Matthia viâ functo, atque extincta cum eo militia, otio atque auaritiæ se corrumpendos dederant, fraude & malis artibus regnum prædæ loco habere cœperunt, oppugnare oppida & vrbes, plebem & miseros agricolas impotenti dominatu & intolerandis exactionibus exagitare, non armis non equis, aut denique militari gloria (vti mos gentis erat) sed vni tantum rapinæ atque auaritiæ studere. Quibus de causis quum regni opes fœdissimè dilaberentur neque reditibus imminutis atque euersis vectigalibus pecuniæ bellorum nerui pacis q; subsidia vlla iam apud regem essent, neque propositi belli rationem, neque modum cogendi exercitus facilè reperiebant. In ea difficultate negotij, quum res ad consilium deferretur, aliqui suadebant nihil temere audendum contra eum hostem, qui si Asiatico bello se explicet, aut diuisis viribus retrospiciat, aduersus tyronem & collectitium exercitum robustissimas Ianizarorum legiones, et exercitatum atque innumerabilem equitatum tanquam ad certam paratamq; victoriam ducturus sit. Proinde ea maturius consideratius q; tractarent, pertinere eandem belli

belli causam ad Cæsarem & Sigismundum Sarmatarum regem qui in Carinthia atque Polonia hisdem quoq; periculis miscerentur. Itaque explorarent eorum animos, voluntatesq; perspicerent: quum nihil rectè aut ordine fieri posset, nisi communi consilio & viribus bellum geratur. Erant vera hæc: sed vanum aut difficile videbatur sera ab his expectare auxilia, qui proprijs bellis distinerentur. Nam Cæsarem Italiæ rebus intentũ Venetus multò pertinacius quàm vnquam antea, amissas vrbes bello repetens exercebat. Sigismundum verò in finibus Lithuaniæ, Moscorum & Scytharum arma, qui superiore æstate incursiones fecerãt, & Smolenchum oppidum occupauerant, suarum rerum solicitum alienos casus respicere minimè patiebãtur. At cùm Tinninum Illyricæ Croatiæ oppidum propter maximam loci opportunitatem totius regionis propugnaculum, interea Turcarum impetum ægrè sustineret, appareretq; Turcas qui è proximis præsidijs vni huic curæ animos intenderant vt loco potirentur, nullo postea negotio ad vlteriores gentes peruasuros, in consilio decernitur euocandos esse milites qui Christianæ religionis auspicijs militent, & gratuita opera regni fines tueantur, maximeq; Tinninum atq; omnem Croatiam ab iniuria defendãt. Ea regio ad Illyricũ per-

tinet, ab Aquilone latos habet campos, ab Austro ad Iulias alpes vsq; ad Lyburnicæ orâ se extendit. Introrsus Sauus flumen ex Carnicis Alpibus per Illyricos placido cursu effusus, simul Cetinna & Hunna minores amnes prouinciâ claudunt. Igitur Thomas, qui nuper à Leone Pontifice legatione susceptâ ad Vladislaum Venerat, aduocata frequenti concione, et recitatis sacris diplomatibus, pollicetur eis qui arma induerint, & pro Christo Deo aduersus Turcas in acie steterint eorũ criminũ veniam, quæ humana fragilitate præter instituta legis impiè cõmisissent: & denique egregiam morte occumbentibus æternâ cum diuis felicitatem. Ad huius edicti famâ multi mortales conuere, quibus Cardinalis purpurea cruce obsignari pectus iubet, eosq; crucigeros milites appellat. Sed mox quũ latius per regni fines ea fama vagaretur, innumerabilis agrestiũ multitudo relictis pagis arma sumpsit, etenim dirum laborẽ assernati, & tunc maximè nobiliũ odio deflagrantes, pars multò maxima tædio vitæ potius quã pietate religionis adducti, ad vrbẽ Pestum confluebãt. Ea vrbs in vlteriore ripa Danubij sita, interlabente fluuio Buda cõtrà respicit. Nec Pesti sõlũ, sed in vicis atq; oppidis, vbi primi hisdem persuasionibus domo exciti ex itinere alios atq; alios sibi associauerãt, non cõtemnenda manus armabantur.

tur. Igitur barbara atq; incondita multarum gentiũ colluuies, quæ sicuti non vna causa arma ceperat, ita nullo salubri cõsilio gerebatur. primò insolescere aduersus nobiles, ac iactare venisse tempus quo serui cũ dominis vitæ conditionẽ cõmutarent. Postremò summa procacitate poscere commeatũ rapto passim viuere, & cominari nobilibus excidiũ, nisi continuò eorũ siculæ tibus iuuarentur. Thomas qui ab initio ad duo millia equitũ & peditũ ægrè se cõscripturũ putauerat, vbi renũciatũ est passim manus cogi, exciri sedibus remotas etiam gẽtes, & breui demũ si sparsæ vires in vnum conferãtur supra quadraginta millia bellatorum in armis fore, tanta territus multitudine, publico edicto vetat superuenientes cruce signari, si qui priuato consilio sibi cruces affixerint, his aqua & igni interdicit, atq; eadem cæteris cõminatur, si his tanquam impijs & sceleratis nõ decesserint. Primi ex voluntarijs in queis erant plerique viri honesti, qui pietate & promerendis cælestis vitæ præmijs nomina dederant, & à Cardinale cruces sumpserãt. Ambrosio duce continuò secesserũt, atq; arma posuerũt. Cæterũ alia multitudo quũ neq; diris & execrationibus, neq; vlla denũciatione supplicij permoueretur, nequaquam à tam fœdo incepto absistere, populari vicos, expugnare villas, capere & per omnes cruciatus in-

terficere nobiles, atque eorum agros omni belli clade vastare. Nec mora feroces & turbidi neglecta religione, & spreta authoritate regis atque legati, ne sine imperatore, sine auspicijs exercitus esset, regē deligunt Georgium quendam Sechelum, virum fortem, intrepidum, omnis sceleris audentem, nec ignarum militiæ: & super hæc, nobilitatis hostem acerrimum. Is bipartito exercitu quo latius terrorem spargeret, & quā effusè grassaretur minoribus copijs Lucatiū fratrem præesse iubet, ipse cū robore exercitus sublato crucis vexillo ad urbem Varadinū hostiliter ducit, in itinere cuncta in prædam vertit, nobiles quos cepit, adacta per sedem præacuta sude, miserabili supplicio enecat: matronas, ingenuas virgines vniuerso exercitui prostituit. Varadinenses cognita agrestiū immanitate equitatum omnem urbanum emittunt, vt agrū ab iniuria defendāt: cū his agrestes ineunt pugnā, ac primo impetu temerè inuectos equites fundūt, magna ex parte trucidāt. In ea rerū perturbatione Vladislaus & Thomas cōsilij prope inopes, quòd ex insperato omnia fœda aduersaq; obuenerant, trepidare, armare prætorianos, præsidia ab finibus Turcarū reuocare, quod Pesti quod Budæ equitum erat colligere, atque auxilia demum à Cæsare, à Sigismundo, à Bohemis postulare. Interea Georgius ad Cian

Cianadium contendit, eam urbem, quòd vt pleraque regionis ædificia ex cratibus materiaq; constabat, cumulo sarmentorū & stramenti struibus circumuallare instituit, vt nec tētata quidē oppugnatione subitis flammis inclusos, atque ædificia simul absumeret. Vrbis Episcopus, qui ex apparatu hostium futuram calamitatem præsenserat clam ex oppido in proximas syluas effugit. Cæteri ferè omnes pars fumo, pars igne aut telis circumfusæ stationis, quæ ne vllum miseris pateret effugium loca flammis intecta atq; omnes exitus obseruabat, cum oppido miserabiliter perierunt. Postridie verò Georgius Cianadiēsem Episcopū quem repertum in syluis agrestes vinctum in castra perduxerāt, coràm multis affectū probris & contumelijs ferrea clava percussit, & semianimē palo infixum spectandū exercitui præbuit. Simili quoq; rabie quosq; clarissimos genere & opibus, aut sacerdotijs insignes consectatus, vt in manus venerāt exquisitissimis tormētis dilaniauit. His acceptis incōmodis, & maioris etiam cladis metu perculsa nobilitas passim per urbes habitis consilijs, quibus tanto discrimini atq; imminetibus malis obuiā iretur, arma, tela, equos, tormenta, quāfieri potuit celeritate aduersus hostes comparauit. Primus omnium Ioannes Bornemissa, vir inter eas gentes vt barbarum nomē sonat

maximè sobrius, delectus à rege cum Budano exercitu Danubium traiecit, & in patētibus campis contra agrestes quibus Lucatius præerat, aciem instruxit. Sed non prius solerti Viri ingenio pugnandum sibi cum efferis hostibus iudicauit, quàm eorum animos pertentaret, experiretuŕq; an vllis persuasionibus sanari possent. Igitur circumemisso præcone, qui proposita venia & ostentatis præmijs liberā transeundi ad se potestatem pronunciaret, eos verò qui apud Lucatium mansissent, nullam spem posteà salutis habituros, breui non contenendam eorum manum in deditionem acceptam in castra recepit. Mox Lucatium, & cæteros crebris suorū transfugijs territos, eminus tormentis oppugnare adortus, quum inter munimenta carrorum quos illi pro vallo Budanis obiecerāt, pilarum procella magnam stragem edidisset, & mox collatis signis & circumfuso equitatu fusos & disiectos late occidisset, magnam eorum partem deleuit. Lucatius ab initio pugnæ, quum haud dubiè fortuna hostium esset, cum paucis celeri fuga ad Georgium fratrem se cōtulit. Bornemissa ea parte victoria, Budam triumphanti similis inuectus, deditios magistratibus tradidit, vt ij ex iure & æquo quam maturè decernerent impijs ne data fide seruanda, an ab his qui tot calamitates intulissent, nobilium sanguis paribus supplicijs

plicijs repetendus. Mediū quoddā censuere patres, vt in defectionis authores, atque aliquos maleficijs insignes animaduerteretur, ne fallendo publicā fidem, ius gentiū violare viderētur: paucorū tamē exemplo terrerēt cæteros, plureśq; seruatos vellent, ne sublata spe veniæ, esse ratos tam multis immanibus factis aliorum animos, ad maiora scelera in ea desperatione salutis accenderēt. Itaq; octo fermè securi percussi, quinq; sudibus infixi, gratissimū nobilitū oculis spectaculū præbuerunt. Nec multo post nobiles successu Bornemissæ aucti animis: quum vagi & in plures exercitus diuisi agrestes eadem sæuitia igne ferróq; omnia popularētur, prope ad internitionē gentis aliquot secunda prælia fecerunt. Dimicauere primo ad Nagelacū vicū feliciter, mox apud Agriam vrbem aliquanto maioribus viribus & pleniore victoria. Varadinenses quoq; dolore interfectorum ciuiū, ac vindictæ cupiditate accensi prospero pugnæ euentu recentē iniuriā expiarūt. At Georgius tametsi tot cladibus acceptis, & vires, & ex aduersa fortuna omnē suā existimationē, quæ maxima sæpe rerum momēta in ipsis negotijs afferre cōsueuit, fratris vitio atq; imperitia legatorū amiserāt, nihilominus ipse animo non deficit, contractis reliquijs ac accitis nouis auxilijs bellū reparat, & ad Tybiscū amnem progreditur. Oritur is in finibus Sarmata

maturũ, delatusq; per Vlteriorẽ Pannoniam, recepta prius Temesa, haud ignobili flumine apud Furtarchũ Danubio miscetur. Ea erat natura rapidissimi fluminis, vt propter aquarũ multitudinẽ vado transiri non posset. Itaq; Georgius ex proximis adificijs dolea ligneа, catenas ferreas tigna, trabesq; conquirit, ex his repentè pontẽ fabricat, tabulisq; consternit tãta operis firmitudine, vt tormenta ænea, onustos comeatibus currus, atq; omnia impedimẽta exercitus facilè pateretur, atque ita omnes copias traducit, eo consilio, vt in pacatiora loca abscedẽdo, nouas vires acquireret, occuparetq; aliquod oppidũ in finibus Turcarũ, quo se recipere, frustrari hostium impetus, atq; inde tanquã ex munita tutaq; arce bellum in hyemẽ extrahere posset. Nanq; ex Bohemia omni bellico apparatu instructas copias ad se opprimendũ aduentare: præterea omnes nobiles & episcopos qui ex sacris reditibus turmas equitũ alere consueuerũt, cũ regio equitatu cõferre in vnũ vires audierat. Erat Temesuar oppidũ ab flumine Temesa præterlabente nomẽ accipiẽs, arte naturaq; munitũ, quod maximo Pannoniorum studio propter finitimos Turcas valido præsidio tenebatur, id Georgius sibi animo proposuerat expugnandũ, ratus si eo potiretur venia & pacis magnã mercedem habiturũ, vel si Rex pacem abnueret, ipse demum tradito oppido

oppido cum insigni munere ad Turcas deficeret. Igitur prolatis tormentis quæ vel bello ceperat, vel ipse in castris conflauerat, mœnia quatit. Mox vbi parum proficere visus est propter loci iniquitatẽ, suorum imperitiã propugnatorumq; virtutẽ, consilium cepit, inuadendi ab ea parte oppidi, qua flumine muniebatur, quod ibi nec altitudine muri, nec omnino arduo ascensu tutam, facilem & expeditã victoriã ostendebat. Ergo in idoneum locum magna suorum multitudine ad opus ducta, fossas plures facere instituit, quibus Temesam paulò suprà oppidum defixis in vado sublicis atq; aggestis cratibus obstructũ magna ex parte auerteret. Nec successus deerat, nisi industria obsessorum, & prouinciali perfidia, ea res in irritũ cessisset: si quidã magnis pollicitationibus atq; pecunijs empti aliquot eius regionis agricolæ, qui in castris officij causa versabantur, noctu trãsgressi in aggerem, quũ nulla ibi militũ statio excubaret, effractis obicibus, quibus ab priore vado repellebatur amnis, omnem illam aquarum molem veteri alueo reddiderũt. Georgius spe potiundi oppidi sua etiam confessione deiectus, quum huc atq; illuc raptando exercitum animo varius & conscientia scelerũ exæstuãs, nullum salubre exitũ malè sanis consilijs suis inueniret, per exploratores fit certior appropinquare cum magnis copijs Ioannem Transyl-

uania præfectum, quem Pannonij Vayuodam vocãt. Is nuncius Georgiũ quanquã ad omnia impauidũ maximè perculit, & vim omnem agrestium & spiritus fregit. Erat enim Vayuoda, qui sibi postea regis nomen parauit, tametsi adhuc imberbis, propria indole & virtute paterna, multis fortibus factis apud Turcas aquè atque apud Pannonios clarus, magnaq; erat eius exercitus opinio, quo cum Turcis Zapolius pater in finibus Transyluaniæ multos annos cõtinenter bella gesserat. Transyluania vltra Danubium longè lateq; patens regio, Seteres Dacos & inferioris Mysiæ partẽ, extinctis priscis nominibus, occupat, eius solum varijs in locis auriferos surculos, & glebulas aureas passim gignit. Cæterùm pauca vrbes, multa verò oppida, nec rara passim ædificia visuntur. In vniuersum, armentorũ diues est, & militariũ equorum ferax. Vladislaus regionẽ obtinet maiore gloria quàm prouẽtu. Siquidem veteribus prouincia terminis ab Aquilone Sarmatas, ab Ortu Vulachos, Getas, & Turcarũ fines attingit. Igitur Georgius vt vidit instare fatale prælium, quo haud dubiè supremis conatibus sibi agendũ pro salute, aut egregiè cadendum iudicabat, circumeundo exercitũ, capere arma milites iubet, & in æquũ locũ deducit. Inde aduocata concione breuissimè docet quæ supplicia & cruciatus eos maneant, qui ab suo

ab suo rege defecerint, & nobilibus tot calamitates intulerint, nisi vnum omnes sentiãt: & desperata salutis conditione, forti animo prælij fortunã periclitẽtur. Nihil iam cõmeatus, nihil spei, nihil denig; consilij in castris superesse præter vnã virtutem & audaciã: qua freti se obstinatè in animũ inducant, aut vincendũ egregiè, aut in vestigio moriendũ, commeatus abundè, tutos receptus, amicas gentes, & ex victoria salutẽ, opes, gloriã, inuenirent. Ex aduerso Vayuoda nulla magis ad milites cohortatione vsus quã vt inermes sceleratosq; latrones despicerent, neq; alicuius negotij futurã victoriã arbitraretur, qui multos annos bellando pugnandoq; cũ Turcis & Valachis, fortissimarũ gentiũ victores discessissent, propius exercitum admouit, immissis q; leuis armaturæ equitibus, qui expedientes arma hostes iniecta trepidatione turbarent, acie direxit, extensis ab cornibus quantũ maximè poterat equitũ alis: vt à fronte simul & à lateribus imperitã multitudinem adoriretur. Georgius vt in trepida re infracto animo quicquid roboris in exercitu erat, in fronte collocat: cæteros quibus parum fidebat in subsidijs & in postremo agmine agere iubet & citato equo ad primos aduehitur. Ibi continuò, & propositum pugnæ signum & acriter strinq; procursum, stetere aliquantulum vtraque acies incerta victoria

sed

sed quum Vayuodani virtute, armorum vsu, & belli causa longè superiores essent, circumfuso equitatu primos qui peruicaci audacia aliquandiu conseruatis ordinibus restiterant protriuerunt: mox alios primorũ cæde territos, acri impetu loco pulsos, in fugã verterũt. Georgius cũ Lucatio fratre, quibus vt parceretur Vayuoda iusserat viuus capitur, alij fœdissima fuga toto campo sparsi ab equitatu passim interficiuntur. Magna tamẽ pars eorũ quũ proiectis ad terram armis flentes salutem peterent, conseruati fuerunt. Vayuoda ad internitionem Cruciferi nominis confecto prælio, Georgium tortoribus excruciandũ tradit. Illi nudũ & catenis vinctum in equuleo constituũt, & corona candenti ex vomere constata, vt Regũ mos est, coronant: veniq; dissectis, profluẽtem sanguinem potandum Lucatio præbent. Deinde ad viginti agrestes qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogunt, vt dentibus spirantis ductis artus dilacerent, atq; diglutiant. Ille mira cõstantia, neq; gemitu edere neq; in miserabili mortis genere quicquã horrescere, vnũ tantũ deprecari, ne insontẽ Lucatium quem ipse renitentem ad id bellum perduxisset, his cruciatibus dignum existimarẽt. Postremò laniatis omnibus membris, quũ diutius grauissimos dolores vel immani spiritu sustinere non posset extra-

ctis visceribus exenterant, in frusta secant, atque ahenis & verubus coctum, comedendũ militibus suis apponunt. Eos verò talibus epulis satiatos cum Lucatio omnibus supplicijs dilaceratos interficiũt, horrendum sanè spectaculum, & ante memoriam nostram inauditum Barbarici supplicij genus, à quo tamen, & si Georgius extrema quaque meruerat, viri Christiani animũ atq; oculos auertere debuissent. Ea miserabili carnificina deletis agrestibus qui duorum fratrum signa secuti fuerant, cæteri earũ partium per Pannoniam in plures manus sparsi, cognita suorum fortuna, suas quisq; domos detractis crucibus abierunt. Enimuerò & duces sibi fecerant, & coæliturí crescente etiam tum perditorum multitudine, bellumq; priore atrocius iunctis viribus tracturi videbantur, nisi ab incœpto deteritos quã maturè Vayuodanus exercitus oppressisset. Tot verò tantisq; successibus elata nobilitas, quum adhuc arma retineret, in Cardinalem penè bellum conuertit, authorem enim eum tantorũ malorũ calamitatumq; fuisse dictitabant. Nec abstinebant à probris & cõtumelijs, quòd is summa auaritia, intolerandæ superbia atq; ambitione reg. opes afflictasset, & Regem vix mente integra & senectæ vitijs affectũ, peruersis consultationibus in eam periculã conijceret, vnde sibi cũ excidio prouincialium

cialium ingentia auri argentiq; pondera. & quàm latissimos fines paret: cessisse auaritiæ atque libidini eius Strigonium nobilissimam vrbem profano iure abolito, & breui quoque cessuram Budam atq; vniuersam Pannoniã, nisi semel temeritati atq; auaritiæ suspectissimi hominis occurratur. Thomas consensum atque iudiciũ id totius nobilitatis existimans ne authoritatem suam atque salutẽ temerè Fortunæ casibus obiectaret, plures dies Strigoniĩ mœnibus se continuit. Inde per literas atq; legationes apud Regem his diluendis quæ nobiles obijcerent, docuit nihil minus sibi seni ditissimo, & maioribus sacerdotijs insigni conuenire, quàm dolum, auaritiam, aut libidinẽ proferendæ potentiæ, quæ tanta esset, quantam ipse ex humili fortuna ad summos honores euectus, nunquam desiderasset. Extare fidei atq; virtutis suæ monumenta, nec sibi pro beneficijs contumeliam ignominiámque reddendam, quòd pro dignitate Pannonici Imperij, & commodo Reipub. Christianæ, id summa fide, & syncera pietate voluntate tentandũ agẽdumq; existimauerit, quod postea (fatis ita iubentibus) corruptissimi omnium mortalium, summa impietate atque perfidia perturbassent. Dum hæc strinq; iactarentur, Bohemi iam pridem in auxilium aduersus agrestes Cruciferos ab Vladislao acciti superuenere, virtute

& genere armorum Germanis atq; Hungaris pares. Ii duce Bartholomæo professi se tuturos regiã dignitatem, & vindicaturos armis quæ Rex fraude & furto procerum amisisset, quum omniũ animos in se conuertissent, intestini belli initia sustulerũt, maximè quòd Vladislaum cũ Strigoniensi consentire & fauere illius causæ, neq; passurũ vt ille procerum armis oppugnaretur, apparebat. Nobis autem persuasum est Bohemos postquàm Cruciferorum nomen interierat, domo tam excitos pecunia Cardinalis, in Pannoniam peruenisse, ea de causa, vt nobilium ferociam qui insolentiores spiritus sumpserant, reprimeret, & dignitatem suam certissimis præsidijs aduersus eorũ inuidiã tueretur. At dum Vladislaus egregia de Cruciferis parta victoria, atq; intestini belli compressis initijs, Pannoniam pristinæ paci quietiq; restituit, Sigismundus frater aduersus Moscouitas maiore fama ac viribus bellum gerebat. Exarserat id multis ante annis tradita per manus à maioribus controuersia, quam de finibus Casimirus pater, ac mox fratres Albertus & Alexander vario euentu atq; interpositis nõnunquã inducijs cũ eius gẽtis regibus exercuerant. Moscouita inter Sarmatas et Scythas positi ad Riphæos mõtes pertinẽt, vltimosq; Europæ atq; Asiæ terminos ad Septẽtrionẽ incolũt, exiẽdisturq; supra Tanais

fontes

fontes vsque ad Hyperboreos & glaciale Oceanum. Vastæ sunt eius regionis solitudines, attamen solum multis in locis frumenti atque ordei ferax: ac passim herbidum, vnde illis cera ac mellis magna copia, & ex armentis præcipuæ facultates. Cæterùm quum introrsus processeris, vitium pomorumq; & melioris frugis impatiens, quòd terra omnis, Aquilonis flatibus exposita & perpetuis inculta frigoribus, nō multum agricultura subleuatur. Metallorum varia sunt apud eos sectura quibus æs, plumbum, ferrumq; educuntur, nulla auri vel argenti fœcunditate. Pro his tamē raro ac diuerso munere smaragdos & margaritas naturā tribuit, & tenuissimas quoque pelles, cebellinas vocant: Ea sunt tergora paruorum felium colore subfulno & mirabili leuore conspicua, adeò apud nos insigni raritate ac pretio, vt in fulctura vestium à solis principibus vsurpentur. Mosca vrbs Regia, atque eam alluens Moscus amnis vniuersæ genti nomen indiderunt. Influit Moscus in Volgam amnem qui prisco vocabulo Rha fuit. Oritur is in Hyperboreis, ac directo in occasum cursu, campos Tanai proximos alluit. Inde curuatur, & retrò deflectit in Orientem ingenti sinu effecto: ac mox in Hircanum præceps euoluitur, Ab eo mari emporióque Citracham, & aduerso flumine Volga Persarum merces panni serico & auro

auro intexti, quibus Moscouitæ sumptuosius vestiuntur, in Moscouiam perueniunt. Circa Volgam longè latéque solitudines patent quas Tartari Scythæ incolunt, gens inhumana feritate, & incertis semper sedibus errans, ignara diuitiarum atq; insciа voluptatum, quippe qui in curribus degant: & solis tecti centonibus, frigora & perpetuas niues tolerent: quin & equina carne, eaq; sepius cruda vescantur. Cæterum equitandi peritissima gens, quum arcum tenet, aut acinacem stringit, cæteros mortales in prælio contemnere consueuit. Ante Tamerlanem eorum Imperatorem, qui Baiazetem Othomanum ingenti prælio superatum cepit, atque Asiam Syriamque victore exercitu populatus est, quum nullis religionibus addicti, nec Christianos nec Turcicos ritus aut vix fama nouissent, maiora sydera pro Dijs, & conspicuas stellas venerabantur, quarum obseruatione in ea vastitate camporum recta itinera tenere didicerant. Vltra Volgam constat plures esse Scytharum imperatores, qui ad Imaum vsq; immensa terrarum spatia diuisis imperijs obtineant. Vnus ex eis cognomento Mingaresius paulò antè patrum nostrorum memoriam, cum amplius octuaginta millibus equitum Tanaim traiecit: victorque oram Mæotidis vsque ad Borysthenem fluuium populatus. Tauricam Chersonesum occupauit, in

quæ est Theodosia nobilissima Genuensium colonia, quæ Capha dicitur. Sed hæc aliquanto posteà Turcarum armis cessit. Porrò Mingaresius quo tutius in Europæ consisteret, aduersus Sarmatarum Roxolanorumq; impetum, in Isthmo à Mæotida in Pontum fossam perduxit, atque perpetuo aggere communiuit. Id angustiæ terræ spatium antiqui Dromon Achillis vocabant, ab eáque intercisa peninsulæ cervice Tartaros Tauricæ incolas, Roxolani hodie Præcopitas appellant. Igitur Moscouitæ ad Orientem Tartaros habent: ab Aquilone autem vltimi mortalium perhibentur: ab Oceano mare Sarmaticum attingunt: habentq; in ora supra Liuonicum litus, Nogardiam vrbem totius Aquilonis emporium. Ab continenti Moscouiæ, terra ingens enormi ac flexuoso litore ad peninsulæ formam, in Occiduas partes excurrit, adeò oblongis litorum spatijs vt extremo promontorio quod Nodrosiū vocant, Orcadas atq; ipsam Thulem attingere videatur. In eo terrarum tractu sunt Norueigia atque Suetia latæ nec omnino inculte prouincia, & ignotæ priscis authoribus. Eæ gentes maximè piscibus viuunt, quorum magna captura est, dum piger Oceanus gelu cogitur, vel æstiuis caloribus resolutæ glacie colliquescit. Brumalibus diebus vix horarum trium lucem habent. Interuum mare vadosum est, & certis anni

anni temporibus irremigabile. In eo quoq; sinu innumerabiles insulæ conspiciuntur, inter quas Gothia origine Gothorum clara. Ea ab Riga Liuoniæ insigni vrbe modico freto dirimitur. Secundum Gothiam Selandia est in Venedico sinu contra Vistulæ ostium, antiqui Scandauiam vocauere, vnde nonnulli Longobardos profectos existimant, qui posteà sedes in Gallia Cisalpina tenuerint. In hac Insula Cobena est Regia Christierni Dacorum regis, omnium disciplinarum gymnasio insignis. Distant paribus interuallis atque vnius diei nauigatione à Norueigia, à Prutenico litore, & ab Cimbrica Chersoneso. Ad austrum verò Moscouia Russiæ & Lithuaniæ finibus terminatur. Russiæ autem duæ sunt, altera ad Hercinium saltum, & ad vtranque Axiacis flaminis ripam vergit, Poloniæ & Transyluaniæ proxima. Tenuere quondam regionem Getæ, Daci, & Bastarnæ, triumphis atque victorijs Romanorum celebrati. Altera quam Barbari Albam vocant, vltra Borysthenem iuxtà eandem Hercyniam ad Tanaim vsque porrigitur, à Roxolanis populis nomen accipiens, qui in eo tractu maximè bellicosi, ab Othomanis ducibus clade accepta, clarū apud Romanos gentis nomen fecerunt. Hæc quam Albam vlteriorémque vocamus, Basilij Moscouitarum regis imperio paret. Illa verò Po-

lonici regni pars est. At Lithuania Poloniæ iungitur, adiacet q3 Liuoniæ quæ tota fermè litoralis est. Nanq; ab intimo sinu Cimbrica (quæ hodie Dacia est) vbi Lubeca celeberrima ciuitas, vsq3 ad Norvegiæ Isthmum & Suetiæ initio, Pomerani, inde Pruteni ac Liuones tanti ambitus maris perpetuam oram tenent. Sic Poloni nouo vocabulo, quòd patentes incolant campos, pro Sarmatis appellati à Prutenis & à Liuonibus, Lithuani introrsus à Sarmatico mari summouentur. Lithuaniæ caput Vilna antiquorum ducum sedes. Vniuersa regio nemorosa est & palustris, æstate vix peruia glacie & nimbis in lacunas abeuntibus: hyeme autem sæuo Boreæ duratæ niues, expeditis etiã curribus iter præbent. Vltimi in Europa qui Gentilium ritus exuerint fuere Lithuani, tempestate Vitoldi ducis tunc primùm Christianorum sacris initiati. Ea gens equitatu maximè valet, vnde magna Polono auxilia. Sed vt leuis armaturæ omnes egregium tamen subsidij genus cataphractis equitibus, quibus Poloni Germanico more vtuntur. Polonia verò ea est quæ olim Sarmatia, tota fermè circa Vistulam patens, eam etiam complexa Germaniæ partem, quæ ab Odera ad Vistulam vergit. Hic amnis veteris Germaniæ & Sarmatiæ terminus erat, nunc prouinciam medius secat, ac receptis amplius quatuordecim flumi-

nibus

nibus, in Venedicum sinum apud Dantiscum celeberrimam vrbem effunditur. Sarmatarũ regia Cracouia est, quam idem Vistula amnis interfluit. Ibi Mathematicarum studia maximè florent. Publicè enim literarum studiosi bonas artes docentur, & in primis supputare syderum cursus atq3 inde temporum vices, incerta bellorum, & in vtranq3 hominum fortunã arcana fatorum aperire consueuerunt. Regnũ diuitijs, vbertate agri atq3 virorum ingenijs, Pannonico vix cedit. Adepta quoque gens est magnam bellicæ virtutis opinionem pluribus ac difficillimis expeditionibus. Prutenos quondam auxiliares q3 Germanos ingenti prælio victos, interfecto Prutenicæ militiæ magistro, occidione deleuerunt. Amurathen Turcarum imperatorem ad Euxinum vsq3 promotis castris, ad cogitationem inferendæ sibi mortis quandoq3 compulerunt. Nostra verò memoria vicere Valachos, à quibus paulò antè infelici prælio insignem cladem acceperant, quum eis Albertus rex diro consilio Sarmatiæ nobilitatem trucidandam obiecisset, nec multis inde annis magnam Tartarorum multitudinem, qui ab Taurica populabundi Sarmatiæ fines inuaserant, quum onusti præda redire trans fossam pararent: circumuentos ad internitionem deleuerunt. De Moscouitis verò cum quibus continenter bella gerunt, frequentiores victoriæ

enumerant, nam semper de ea gente triumphi acti, quoties iusto prælio dimicatum. Cæterum Poloni, Moscouitæ, Lithuani & Roxolani non multum cultu corporis, genere armorum, lingua ac moribus inter se differunt. Vestes omnibus longa more Turcarum, sagittas, velitarem hastam, & curuatos enses armorum potiora existimant: equitatuique confidunt, peditatus inutilis æstimatur. Poloni tamen in aciem cataphracti prodeunt, & maiores equos ad stataria pugnam magis quam ad excursiones idoneos habent: quorum anteriora ferreis laminis tegunt. Ipsi duobus cinguntur gladijs, altero oblongo & quadrato, quo punctim, altero autem lato ac breui quo cæsim feriant. Quin et legionem, in qua magna pars peditum sclopetarij sunt, Germanicè instructam ad longinquum etiam bellum ducere consueuerunt. Lingua Illyrica vtuntur omnes, corrupta tamen, vtpote quam diuersi inter se populi, diuersis vocum inflexionibus inuerterint. Christum Deum omnes colunt, Verùm Moscouitæ, & vtrique Roxolani Græcorum ritus sequuntur. Moscouitæ verò equorum atque hominum multitudine cæteros antecedunt, etenim eos posse conficere centum & quinquaginta millia equitum constat, quod fortè supra veri fidem positum videbitur. Nobis sanè retulerunt Petrus Aretinus architectus, & Paulmius Insuber tormentorum

torum & bellicarum machinarum egregius artifex, centum millia equitum in castris vidisse, quum Ioannes, Basilij pater, apud quem plures annos stipendia meruerunt, aduersus Tartaros bellum gereret. Id quoque prolixè confirmauit Demetrius Basilij regis legatus ad Clementem missus, quo docente, inuentaque Pontifice Moscorum mores & eorum regionis situm, peculiari libello descripsimus. Sed vt ad institutum operis reuertamur, erat in finibus Moscouitarum Smolenchum oppidum, quod propter crebras eius gentis incursiones, Sigismundi præsidijs tenebatur. Adiacet opportuno in loco vlteriori Borysthenis ripæ, non autem Ruboni amni, sicuti perperam collocauere qui Ptolemæi libris nouas incogniti orbis tabulas inseruerunt. Nanque Smolenchum neque Liuonio mari proximum est, neque Moschæ vrbi comparatum ad Septentriones vergit, vt ab expertissimis prouincialibus qui huic quoque bello interfuerunt, didicimus. Id oppidum Basilius sicuti pleraque alia Russiæ & Lithuaniæ loca, veteri quodam iure pertinere ad Moscouitarum imperium ratus, superiore anno oppugnauerat, obsederatque per aliquot menses tanta pertinacia, vt munitissimæ arci cessurâ acerrimo hosti appareret, nisi summa virtute præsidij defensa fuisset, & in tempore à

Sigismundo Lithuanorum auxilia superuenissent. Quorum aduentu Moscouita irrito incepto abscedere coactus, quòd viribus inferior erat & brumales dies suberant in ipsa profectionis festinatione relictis pluribus tormentis, & multò maxima impedimentorum parte amissa, in regionis vlteriora concessit. Eam verò quæ secuta est hyemem in apparatu noui belli totam absumpsit, animo agitans quibus consilijs ac viribus Smolencho potiri posset, ratus ea arce semel capta propter maximam loci opportunitatẽ se liberè Lithuaniam omnem, atq; Poloniam infesto agmine peruagaturum. Itaque quum tam vernum tempus appeteret coactis supra quadraginta millibus equitum ad oppugnandum Smolenchum descendit. Nec multo post nactus quosdam summæ perfidiæ præsidiarios, quorum animos per occulta colloquia maximis pollicitationibus diu antè tẽtauerat, per proditionem oppidum cepit. Occupato Smolencho, Basilius tres equitum manus circum emisit, populatusq; proximos hostium fines Lithuaniam irrupit, cuncta simili belli clade vastaturus. At Sigismundus qui tum sub ipsam aduentus hostium famam è Cracouia Vilnam venerat, vt ex propinquo intentus in omnes rerum casus facilius bellum administraret, cum valido exercitu Constantinum Rutenum ad hostes progredi iubet.

Erat

Erat Constantinus inter eas gentes celeberrimi nominis Imperator, multum consilio & virtute animi, sed maximè corporis viribus pollens, qui bello quondam captus vulneratusq; apud Moscouitas in catenis atque compedibus septem annos fuerat. Vnde illi ex dolore vinculorum et vulnerum, vindictæ cupidine summus ardor, & singularis industria in eo bello incomparabilem gloriam pepererunt. Sexcentis millibus passuum à Vilna Smolenchum distat, tantundem fermè itineris est è Smolencho Moscam, pariterq; à Cracouia Vilnam, si recta inter Ortum & Septentrionem processeris. Sed è Vilna Smolenchum vsq; itinera palustria, inculta, solitudine vasta ducendo exercitui maximas afferunt difficultates, nisi in multos dies prouiso commeatu, & longitudini itineris & locorum sterilitati, quàm maturè consulant, qui copijs præsunt. Vsu enim apud eos compertum est, nulla re magis quàm commeatus inopia exercitus vinci, propterea ingentem quadrigarum numerum, quibus homini iumentoq; victus feratur, ducere consueuerunt, in queis & salsi exercitus & vincendi spes omnis collocatur. Constantinus his omnibus summa diligentia comparatis, ad Borysthenem decimis quartis castris peruenit. Ibi Moscouita vlteriorem ripam perpetua militum acie communiuerat, & idoneis in locis

tormenta collocauerat, sperans Polonos pugnæ auidos, ingressuros temere amnem, et iniquissimo etiam loco prælium commissuros. Caterùm Constantinus quum biduo antè citrà amnem cum antecursoribus hostium, qui ad explorandum quales quantæq; Polonorum copiæ essent, superiore vado transierant, secundum prælium fecisset, edito in loco subsistit, iudicans, non temere incertis rapidi fluminis vadis exercitum committendum, ne sibi cum parato hoste, cum tormentis, ac simul cum ipso vorticoso amnis impetu vno tempore res foret. Siquidem Borysthenes recepto Neprio amne ingentem aquarum molem trahens, cæca vada & abruptas passim ripas limoso inæqualiq; alueo trãseuntibus præbet. Quibus de causis Constantinus paulò supra castrorum locum missis exploratoribus qui altitudinem fluminis perconstarentur, vadum reperit, & ab æquiore fluminis cursu non omnino difficilem locum, quo equitatũ transduceret. Ergo contractis quam occultè lintribus, ac lembis, atque ex his subitario ponte effecto, peditatum & tormenta traducit, equitatum verò omnem conferta acie, vno impetu ingredi amnem iubet, progressúsque ante alios vniuersum agmen ne vno quidem milite amisso in aduersam ripam ducit. Moscouitæ qui satis in tempore cognito per exploratores hostium consilio ducere eo

instructas acies, interscindere pontem, atque equitatum transitu prohibere poterãt, ne loco nec vestigio se mouerunt, neque vnum quidem telum in hostes emiserunt, tanta hostium contentione, vt præ insita Barbarorum animis arrogantia (sicuti ab captiuis postea cognitum est) tertiam suorum partem satis esse ad delendum Polonorum exercitum existimarent. Enimuerò exploratores retulerant dimidio minores esse hostium copias, in queis etiam pedites essent, neque tam paruam manum tanti equitatus impetum esse toleraturam. Habebat Constantinus duo millia Polonorum equitum grauis armaturæ ad duodecim verò millia Lithuanorum, qui hippotoxotæ fermè omnes erant. Præterea peditum tria millia, in quorũ virtute dum aciem instrueret, eius diei victoriam constare admonuit. Erant ij partim hastati, partim sclopettarij. At Moscouitæ qui supra quadraginta millia equitũ erãt, cũ numero longè superiores essẽt, neq; sibi Polonos aut Lithuanos virtute bellica pares existimarent, nihil de euentu imminentis prælij dubitabãt, quin quo maior ea victoria atque præclarior pararetur, præmissis præconibus ad transeuntes Polonos tota acie pronũtiari iusserunt, ne dolũ, ne occultas insidiarũ fraudes suspensis animis timerẽt, pararent arma, atq; aciẽ quieti instruerẽt. Basilius

ea die

ea die Vt progenitores consueuissent, vera virtute dimicaturũ. Poloni tametsi magnã spem atq; fiduciã in armis, atq; virtute posuerant, stupentibus tamẽ similes ab eo hoste qui sæpius rupto fœdere & violatis inducijs fidẽ fefellisset, dolos et insidias suspectabãt. Etenim quisque sanæ mentis, aut magno cõsilio, aut certa stolida ac barbara ratione tantã occasionem prætermissam ab hostibus iudicabat, quũ impeditos flumine ac ripis inuadere, & primos saltem tantæ multitudinis impetu, proterere potuissent. Sed adeò ferocibus elati animis erant, Vt in præcipiti temporis articulo, omnẽ æquioris loci conditionẽ despicerent, quasi non ea plena veraq; victoria existimanda, quæ ducis ingenio, atq; artibus magis, quàm quæ aperta virtute atq; audacia militũ comparetur. Sic Romani quondam omniũ gentium victores, ferocia atq; immania eius cæli corpora solis cõsisa viribus, atq; lacertis, sæpe prælio superarunt, quũ illi disciplinã atq; æstus imperatorios antecapere locũ castris, circumuallare exercitus, non ordine, non acie iniussu ducis excedere, ex iniquo loco nunquã dimicare, nihil ex prouocatione cõmoueri plures ex insidijs paucos circumuenire, dolũ, timorẽ, ignauiam, proditionẽ appellare cõsueuissent. Igitur Basilius vana spe victoriæ inflatus, quũ transisse Polonos omneis ab exploratoribus referretur, conuer

conuersus ad duces, præfectósque, transiuêre (inquit) hostes amnẽ, non redituri, si viri eritis. Quare fortissimi cõmilitones accepto signo statim irrumpite quammaximè conferti & quum hostium agmini sagittarũ nubẽ superfuderitis, singulos bini circumsistite, atque ex hodierna victoria opulentas vrbes Vilnã atq; Cracouiam diripiendas vobis proponite. Hæc vbi dixit, ex vniuerso exercitu ad septem millia fortissimorum equitum delegit. Quibus imperat, Vt hostes à tergo circumueniant: atq; illinc quum in fronte prælium ardere cognouerint, auersos, ac nihil tale timentes totis viribus adoriantur. Erat enius ab læua modica vallis ad occultandas similes insidias nata, quam perpetui colles vestiti densissimis vepribus contegebant. Is molli ac demisso sensim iugo ad ripam Borysthenis extendebantur, nec ab equitatu superari poterant dumetis ac fruticibus cõtinenti vepriũ serie cuncta tenentibus. Eo itinere equites proficisci iubet, ex alijs verò copijs tres acies facit. Primã in qua fuere ad duodecim millia equitũ, in dextro cornu collocat, eiq; Michaelem Golizam virum strenuum præficit. Secundã pro sinistro cornu constituit iuxta colles tanquã subsidiariam, apud sarcinas atque alia impedimenta exercitus, ipse cum robore virorum mediã tenuit. Ex aduerso Constantinus nõ ignarus in-

ermem

ermem hostem sibi nulla ex parte parem futurum, si ad primũ eius procursum sagittarum multitudinem sustineret, & res ipsa collato pede, et cominus consertis equis geri posset, omnes cataphractos in fronte constituit, qui primã vim sagittarum exciperent, utrunque autem cornu Lithuanis, terga verò pedite firmauit. Inde prouectos equo singulis ordinibus adequitãs, Nõ iãiquit, aut pro gloria, aut quo modo Smolenchũ fraude amissum armis recuperetis, sed ne perfidi & fœdissimi Moscouitæ Lithuanis atq; Polonis imperitent, vobis hodie dimicandum. Neq; ego vos mei cõmilitones vlla magis abhortatione ad virtutem atque victoriam accendã, quam vt memineritis esse in tergo Borysthenem amnem, quem si cedendo, aut turpiter fugiendo ab armato hoste pulsi ignauiq; transiri iterum posse putaueritis, cum maxima gentis ignominia atq; insigni vestra clade nobilitabitis. Sed ne tantum dedecus atque flagitiũ admitti meis auspicijs patiamini, oro obtestorq; te Deus Opt. Max. vosq; Polonici imperij vindices tutoresq; certissimi, diue Ladislae ac Casimire, voueoq; ambobus aram ac templum, si vobis cordi erit Polonum vincere, ac mihi fas fuerit fusis fugatisq; perduellibus, maturã plenãq; victoriã reportare. Dicente adhuc Cõstantino à Moscouitis signa cecinerunt, ac simul ab dextro

xtro cornu Michael equitatũ suum procurrere, & dirigere sagittas iussit. Nec Constantinus (vt in ordinãda acie præfectos docuerat) cataphractos cõtinuit. Sed continuò inclinatis hastis impetum facere, & rẽ ad gladios celeriter adducere iussit, tanta fuit eorum celeritas, vt spatia cadentiũ sagittarum præterueherent, magna ex parte ingruentẽ illum imbrem effugerint, ac mox equorũ pectoribus armisq; tergentes, hostem hippotoxotis vsum arcus & secũdas sagittas, in quibus summopere confidebãt, ademerint. Cõtrà Lithuani quàm maxime expansis alis in latus hostium inuecti, in confertissimam eorum aciem innumerabiles sagittas emiserunt, quo casu oppressi Moscouitæ, quum nec à fronte perrumpere instantibus cataphractis, nec cedere premẽtibus extremis possent, soluta acie in vtrunq; Lithuanorum cornu sese præcipites effuderunt. Ibiq; duo simul prælia diuersis in locis inierunt. Eodem quoq; tempore equites, ques per occultam vallem in terga Polonorum à Basilio missos docuimus cum ingente clamore & maximis tubarum clangoribus, quo maioris multitudinis speciem facerent adorti, nouissimos in tergo pugnare cœperũt: quod vbi animaduersum fuit, præfecti quidam viri fortes inter quos fuit Polosca regulus, tametsi Constantinus ne se loco mouerent, ne pugnam intussu capesserent,

rent, edixerat, rati tamen in subitis & difficillimis pugnæ casibus, non ad præscriptum agenda omnia, sed occurrendum præsenti rerum occasioni, quòd imperatorem alia in parte pugnantem consulere, aut omnino certiorem facere in ea temporis exiguitate non poterant phalangem peditum in hostem conuerterunt. Phalanx suo ordine immobilis & firma tametsi ab sagittis aliquod detrimentum acceperat, attamen dissolsis omnibus sclopetis, stratisq; ea pilarum procella primis hostium ordinibus, ad contos alabardasq; deuenit: atq; equitatũ impulsu ac virtute repulit. Equites quum sua impediti multitudine explicare se persultareq; non possent, cum magna cæde in angustijs prælium sustinebant. Ibi ardente certamine, videre erat viros equosq; singulis ictibus transfodi, proturbari, ingentes cadauerum tumulos passim accumulari, cruore & morientium gemitu cuncta compleri. At in altera parte Constantinus perruptis hostium ordinibus, & Michaëlis equitatu prope deleto, iam ad medium agmen peruenerat: contractoq; acri certamine primos impetu ac cæde turbauerat, quum Basilius tertia aciei ac viribus suis diffidens retrocessit: nec tamen terga vertit, summa rei euentum expectans. Nanque equitatum, quem in terga hostium præmiserat ab ea parte improuidis

uidis subitum ex insperato, atque eo maiorem trepidationem iniecturum putabat. Sed pedites qui eos pepulerant, conuersis ordinibus in subsidiariam aciem, pleno gradu illati, omnẽ eius reliquam spem atq; animum fregerũt. Itz Basilius cum globo nobilium equitũ prælio excedens, citatis equis effugit. Fugientem secuta est ea acies, quam in subsidijs ad colles fuisse collocatam demonstrauimus, quum nec aspectum quidem cruenti atque victoris peditis sustinere potuisset. Inde fœda fuga toto campo facta, media tamen acies acriter irruentes summa constantia excepit. Nam Basilius armatum quemque & pugnacissimos totius exercitus circa signa, & in eius agminis fronte posuerat. Diu itaq; pugnatum est incerto euentu ac summa omnium contentione, periereq; nonnulli clari equites Polonj & duo reguli adolescẽtes, dum ardentius in confertam hostium aciem equos concitassent. Tandem quum Lithuani & pedites profligatis cum quibus pugnauerant ab diuerso loco infestis cuspidibus superuenirent, Moscouita arteguã in tergo pugnare cogerentur, sibi celerrima fuga consuluerũt. Poloni victores, potiti hostiũ castris, magnã prædã ex regio apparatu, & quinq; millia equorũ ceperunt. Supra septem hominũ millia interfecerunt. Michaël quoq;, & cum eo illustres aliquot duces capti,

quos posteà Sigismundus Vinctos cum signis militaribus triumphans Vilnã inuexit. Confecto prælio, ad oppugnandum Smolenchum exercitus ductus, Sed non eadem fortuna bellum à Constantino administratum est: namque Basilius ex fuga intromissis delectis equitibus, oppidum nouo præsidio firmauerat: existimans si primos oppugnationis impetus præsidiarij sustinerent, Polonos posteà quod anni tempore excludcrentur, de obsidione minimè cogitaturos: enimuerò sexto idus Septẽbris pugnatum est. Quamobrem Constantinus quum sua spe difficiliorem oppugnationem inuenisset neque natura gelidæ regionis sub pellibus atque tentorijs contineri milites paterẽtur, desperata obsidione citra Boryslhenem in hybernæ reduxit exercitũ. Paucis antè diebus quàm ab Boryslhenem pugnatum esset, Selymus Turcarum imperator cũ Persis in Armenia ad Calderanos cæmpos secundo prælio dimicauit. Exarsitq; subinde Vniuersa Asia duobus maximis bellis, quorum motus, causas, euentusq; tametsi nullo confinio rem Christianam attigerint, breuiter recensere non alienũ ab instituto opere existimaui, cum propter varietatẽ atq; amplitudinẽ rerũ gestarũ, tum vt principes Christiani, si diutius inter se ferro sæuierint, cũ eo hoste quãdoq; sibi rem futurã intelligãt, qui duos longe potentissimos

mos terrarũ orbis reges in aliena prouincia, iusta acie superarit. Consultò quoque hæc in Vnũ locum contulimus, ne confusa rerũ serie, perpetuus historiæ cursus abrumperetur, & externa suo digesta ordine, cognosci facilius possent. Post bellũ Peloponesiacũ quo (vt suprà memoratiuimus) Naupactus, Coron, Pylus, Crysseum, Methoneq; Turcarum armis cesserunt, quum Veneti redditã Neritho, quam ad Leucadẽ vi ceperant, authore Andrea Gritto, cum hoste pacẽ pepigissent, Baiazetes in posterum Europa abstinuit, toto animo in Asiam versus, vt illinc nouis bellorũ motibus occurreret, quibus sub aduentũ Techellis noui prophetæ, viri apud eas gentes admirabilis, iam tum Lycaoniæ & Cappadociæ vrbes agitabãtur, magno quidẽ cõmodo Venetorũ & Hungarorum, quibus Baiazetes nisi Asiatico tumultu reuocatus, pacem nequaquã daturus esse credebatur. Erat autem Techellis origine Persa, regiæ gentis cognatione antea clarus, sed longe illi maiorẽ famam et claritudinem addiderant studia literarũ, vitæ integritas, & summa religio, ob quæ posteà diuini vatis nomen promeruit. Fuerat Aidaris cognomento Hardzellis discipulus viri doctrina & probitate insignis, quẽ Iacuppus Chiorzeynal (id est, Persica lingua, strabo) magni Vssumcassanis filius crudeliter interfecit. De quo Hard-

duelle breuiter aliquid memorandum existimauimus, vt quibus procellis iactatũ sit Persarum imperium, quantóque periculo Turcæ Techellis fama ac viribus tumultuantem minorem Asiam retinuerint prodita rerum origine cognoscatur. Fuit Harduelles inter Persas regulus haud ignobilis, cæterùm ingenio ac moribus propè diuinus. Qui quum honores, diuitias, voluptates, & cultioris vitæ cõmoda (quæ vulgo munera humanæ felicitatis appellantur) veras erumnas, fortunæq; ludibria existimaret, eaq; palàm ageret mira animi fortitudine, quæ populus continentiæ & doloris impatiens miraretur, magis quàm imitari posse consideret: tantam excellentis virtutis opinionem adeptus est, vt eum, quanquã imparem regiæ stirpi Asimbeius Vssumcassanes in generũ sibi asciuerit, tradita ei Marta quam ex Despina Caloiannis Trapezontiorum & Ponti regis filia susceperat. Eius autẽ connubij lex fuit, vt Vssumcassanes Despinam paterno more Christum Deum colere pateretur, atque ita facilè euenit, vt Martæ Despinæ matris autoritatem secuta, legis nostræ ritus perdisceret, vnde posteà obortam in Europa opinionem videmus, Hysmaelem Sophum tanquam auiæ matrisque disciplina imbutum, Christianos homines nusquam improbatis eorum sacris, in honore semper habuisse.

buisse. Cur autem Caloiannes Rex Christianus, Vssumcassani, viro Mahometano filiam nuptu dederit, & ille conditionem acceperit, præclarè intelligi potest, vtrunque rebus suis timentem, ex ea cognatione mutua præsidia comparare voluisse aduersus impotentem vim Othomani Mahometis, qui deleto Græcorum Imperio in Orientem vires extenderat. Sed Mahometes nouo, ideóque Persis terribili tormentorum fretus apparatu, quum Vssumcassanem ad Tabendam quæ Toccata hodie dicitur, in Anserinis campis profligasset, facilè posteà Caloiannem oppressit. Trapezontisq; & totius Ponti Imperio vsque ad Colchos in prouinciam redacto, eum Constantinopolim perductum in carcere necauit. Cæterùm vt ad Iacuppum Harduellemq; reuertamur, existimauere plerique regẽ metu potius rerum nouarũ, quàm optimi eius viri obseruantia eas filiæ nuptias quæsiuisse, quoniam Harduelles vulgata noua religione, immutatisq; priscæ legis mysteriis apud Taurisium, quum è totæ Perside Armeniaq; visendi hominis studio innumeri mortales confluerent, tantum sibi nominis ac viriũ cõparauerat, vt si sectatores suos cogere atque armare vellet, magnas eum copias breui collecturũ appareret. Illud in primis veluti diuino spiritu afflatus persuaserat, neminem ex his post mortem

cælestia regna petiturum qui Mahometem colerent, nisi eos legis ritus sequerentur, quas Haly Mahometis interpres & socius scribendo ac docendo posteris tradidisset. Ea erant magna ex parte diuersa atque aliena penitus ab persuasionibus atque mysterijs quibus Asia omnis & Africa ea tempestate tenebantur. Nam Homarem alterum ex Mahometis discipulis, tanquam grauius & certius leges interpretantem, Halys doctrinæ præferebant. Nec multum postea temporis intercessit, quum Iacuppes, Vssumcassane vitæ functo, in paternum regnum assumptus, Harduellis potentiam atque eius religionis cœtus hominum suspectos habere, ac vereri cœpit, ne Persæ qui antiquorum regum stirpi occultè fauebant, sub specie religionis atque sacrorum coirent, & excitatis factionibus nouas res nondum firmato imperio molirentur. Nanque Assimbeius Vssumcassanes quondam Armeniæ procurator & dux, Saldæ equitum manus, interfecto Molaonchre legitimo rege, vi fraudeq; regnum adeptus fuerat: putabatur enim Malaoncher ex stirpe Gempsæ, maximi Partorum Sultani, què in Oriente latum imperium vsque ad Bactrianos & Aracosios tenuerat. Vnde postea orta duæ hominum factiones, nam alij nouis regibus, alij antem prisco & regio sanguini fauere videbantur. Quibus de

bus de causis Iacuppes, vt erat suspicaci turbidoq; ingenio, quum regnandi causa neque necessitudine neq; optimi viri innocentia permoueretur, Harduellem nihil tale timentem submissis percursoribus interfecit, sectatoribusq; eius aut cæsis aut pulsis, in posterum vano metu, atq; inani solicitudine crudelem animum liberauit. Hysmael Harduellis filius, qui nunc cognomento Sophus maximo terrarum orbis imperio potitur, eo tempore puer adhuc, per tumultum fato quodam seruatus auunculi sæuitiam vitauit, confugitq; in Hyrcaniæ ad Pyrchalim amicum paternum, qui supra Caspium mare, paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis vero discipulis vnus ante alios Techellis, qui postea Cuselbas, hoc est, Rubrum caput, cognominatus est, virtute doctrinæq; notitia magistro comparandus, eam quoque tempestatem aufugiens, superato Euphrate in minorem Armeniam peruenit: posuitq; sedem in Antitzuro monte, vbi ad radices perfossæ rupes natura atque arte hominum, opacos specus habent, qui Rubra saxa ab incolis nuncupantur. Ea est salubris & peramœna loci facies propter frequentiam varietatemq; pomiferarum arborum ac perennes aquarum fontes, quibus & plana rigantur, & colles toto anni tempore vestiuntur. Ibi Techellis procul à commercio hominum in altitudinem

contemplationis conditus, dum diuina cælestiáque rimatur, per aliquot annos durissimam vitam egit, contentus his quæ sponte terræ atque ipsius naturæ benignitate nascebantur. Is primò à pastoribus visus & agnitus, deinde ab agricolis qui victus duritiem pietatemq; hominis admirabantur, necessarijs ad vitam rebus donatus est, ac demum quum responsa daret, & iam maior homine videretur, gliscente in immensum diuinitatis opinione à curiosis in pagos tractus, ac mox inuito similis in proximas deductus vrbes, omnem prouinciam sui fama admiratione q; compleuit. Nec publicatis semel nouæ legis interpretationibus mortales defuerunt, qui (vti apud Persas Harduelli acciderat) hominem adorarent, arbitrarenturque nisi ea tussa præceptáque capesserent, animas post interitum corporis, æternos ignis cruciatus subituras. Talia frequentissimis concionibus atque responsis quum omnibus facilè persuasisset, mobilem gentem ac superstitionibus deditam, breui ad sui studium pertraxit, iussitq; vt sectatores turbinatum capitis tegumentum linthea in spiras circundante fascia pro insigni nouæ religionis rubro colore distinguerent, ita vt nouæ huius hæreseos studiosi à rubro colore pileorum, Cuselbasæ toto Oriente vocitentur. Simili quoque sed meliore fortuna Hysmael eosdem

eosdem ritus quos pater in Perside tradidisset, ingenuo animo complexus est: nanque ipse posscentibus fatis, vt primum adoleuit admirabili virtutis indole patris vestigia secutus, quum iam eloquio, decore vultus, sapientia, atque animi magnitudine Diuis ipsis quàm mortalibus propior haberetur, & maximum nomen & ingentes vires apud eas gentes comparârat. Nec ignobile tantum vulgus, sed plerique natalibus ac diuitijs clari, semel capti nouitate religionis, vt præclarius eorum studium videretur, postquàm ab vetere disciplina discessissent, eum in summâ virtutis & dignitatis existimationem euexerât. Ipse quoque nondum pubescens supra veras virtutes, inani etiam morum specie in sui admirationem compositus, opes, gloriam, imperium quæ cupere videri nollet, vt simulator egregius abnuenti persimilis adsequebatur. Non defuere etiam qui iurarent Harduellem patrem (vt erat syderalis scientiæ peritissimus) inspecta filij genitura Hysmaelem, & prophetam summum & veræ legis conditorem futurum. subactáque maxima parte Orientis, Mahometis gloriam pietate & rebus bellicis æquaturum, quæ haud temerè iactata in vulgus altiorem materiam sermonibus præbuerunt. Nec multo post Hysmaeli cognomentum Sophus, quod ab admiratione assentationéque familiarium

multum antea iam cæperat, omnium cõsensu inditum est, Vt credi par sit petitum ab vetere Magorum memoria, qui quondam apud Persas ipsis etiam regibus imperabant. Nam Sophus apud eas gentes Deorum interpretem sapientémque significat. His auspicijs haud dubiè in magnam spem gerendarum rerum erectus, auunculo Iacuppo veneficæ vxoris fraude sublato, paternos agros & modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit, armatisq; suæ sectæ promptioribus, & à Pyrchale regulo sumptis auxilijs, ingressus Armeniam, fama magis atque hominum beneuolentia quàm viribus, breui paternam ditionem vendicauit. Mox eo successu firmior factus, quum multi qui Haduellis dogmata alieno periculoseq; tempore metu mortis deseruerant, tunc oblato duce fiducia pleni eandem hæresim sequerentur, adauctis copijs ad vrbem Sumachiam quæ est in finibus Mediæ duxit: atque eam vi captam hostiliter diripuit. Capta Sumachia maximam consecutus est nominis existimationem, quæ fortia & præalta facinora nauiter audentes, ex primis rerũ motibus ad summam victoriæ sæpenumero perducere consueuit: & quod posteà plurimum contulisse iudicatum est inermem magna ex parte exercitum ditatum prædâ, militariter instruxit. Inde non

iam vrbes, sed Persarum imperium animo voluens, quum iam Fortuna quæ cuncta detulerat, tum quoque melioribus satis aperiret, ad Taurisium nobilissimam maioris Armeniæ vrbem contendit. Ea vrbs Persarum regia est numero hominum atque opibus totius Orientis celeberrima, quæ antiquitus Tenua vocabatur, distans à proximo litore Caspij maris itinere expediti equitis quatuor dierum, non longè ab Emporio Derbento: vbi portæ ferreæ inter montes & mare angustias arcendis eo aditu Scythis præcludant. Inuasit autem Sophus Hysmael Persarum imperium, nouáque Mahometanæ superstitionis opinio, quam à patre captam aliquandiu supplicij metus oppresserat, promulgata & late disseminata est, anno Christianæ salutis supra milleſimum & quadringentesimum nonagesimo nono, quo Italia Gallorum aduentu maximas adijt clades, & Veneti cum Turcarum classe ad Protum insulam congressi, fœdissimè rem gesserunt. Nec multo post exarsit in Germania authore Luthero dira hæresis, quæ populis, vt in Perside acciderat, ad insaniam versis, Christiani dogmatis placita, & veteres sacrorum ritus vehementissimè conturbauit. Ita vt facilè crediderim ab occulta cæli potestate, malignóque syderum concursu prouenisse, vt religiones toto terrarum orbe enatis factionibus,

vno

Vno tempore scinderentur, quando non Mahometani modò Christianiq; sed & remotissimæ gentes idololatræ aut sydera aut portenta pro Dijs Venerantes, cum in India quæ ad Orientem vergit, tum in Nouo orbe ad Occiduam plagam reperto nouas sacrorum opiniones induerint, aduentante Hysmaele, Taurisij erat Aluantes Iacuppi filius, qui paulò ante de regni possessione cum Moratchamo fratre armis contenderat eúmque prælio victum Armenia Persidéque pepulerat. Is, vt ciuilibus discordijs plerunque accidit, quum primores ciuium qui in Moratchami partibus fuerant armis persecutus occidendo aut proscribendo, in ipsa victoria totam vrbem mœrore atque funeribus compleuisset, magnam sibi inuidiã conflauerat. Quam occasionẽ nactus Hysmael, quo ciuiũ animos odio sæuissimi regis (si propius accessisset) res nouas in vrbe moliturus intelligebat, instructo exercitu protinus ad vrbis portas perrexit. Nec Aluanti, qui repentino bello oppressus, aut milites comparare, aut vllo satis opportuno præsidio mœnia firmare nequiuerat, tantum animi ac virtutis fuit, vt aduersus eam belli molem persistendum: aut de vita cum imperio dimicandum esse censeret. Quamobrem diffisus rebus suis, dum tumultum atque arma iratorum ciuium ex merito pertimescit, trepidanti atq; attonito simi-

lis, vrbe excedit: portæq; Hysmaeli statim aperiuntur. Nanque ciues, qui luctuosis temporibus quibus inter se de imperio reges decertarũt, maxima ex mutuis cladibus damna pertulerant, tutam in eo periculo atque vtilem pacem habere malebant ab victore tanti nominis, quàm pro cruento rege ad internitionẽ iterum dissentire, maximè quòd vna omnibus incolumitas proponebatur, patebátque amplissimus gratiæ locus apud nouum regem, his qui eius religionis disciplinam profiterentur. Hysmael ingressus vrbem aliquot prætorianis per tumultũ interfectis, qui fugientem regem sequi nequiuerant, sepulchrum eximij operis, quo auunculus more Persarum conditus fuerat, euertit, ossibúsque disiectis, & abrasis totæ vrbe eius titulis, quò dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Interea dũ Sophus Hysmael, Aluante incolumi minimè debellatum esse existimans, maiores etiam copias parat, eásque aperto veteri armamentario militariter instruit crebris rumoribus ac nuncijs asserebatur aduẽtare Aluantem, quem ex fuga petisse Seyras vrbem, atque in vltimas regni partes ad mare penitus concessisse fama cognouerat: trahere q; illũ præter innumerabiles pedites, sex millia cataphractorum equitum, & magnum numerum

sagit

sagittariorum, qui partim equis, partim camelis insideant, & Moratchamum quoque fratrem in Assyria, ad Vrbem Bazadad (Semiramidis Babylon hæc olim fuit) exercitum comparasse, positisq; in communi periculo priuatis contentionibus, vniuersas mox vires cũ fratre iunctũrum. Hæc tametsi omnium sermonibus celebrabantur nihil tamen eo apparatu territus Hysmael, quo Deorum auspicijs, & maiore aliquanto fiducia, quàm propriis viribus posset, bellum gerere videretur, ad hostem ire constituit, prouisaq; re frumentaria, ac lustrato exercitu Vrbe egreditur, nulla magis oratione vsus, qua militum animos alacri spe compleret, quam vt maturarẽt, & se ducem quem Dij dedissent ad certam victoriam sequerentur. Aberat Aluantes à Taurisio itinere decem dierum, quum Hysmael sui famam incredibili celeritate pretergressus, ad Niphates mõtes peruenit, qui Armeniam ab Assyria disterminant. Eos Aluãtes magnam molem exercitus, & plurima impedimenta more Persarum trahens, præmissis exploratoribus, qui vbi transitus difficiles forent, munirent vias, & saltũ non vno in loco cæsis arboribus aperirent, breui superare decreuerat, quod vbi cognouit Hysmael iudicans secum imparato hoste ex æquissimo loco dimicaturũ, si prior ipse transcenderet, hostemq; apud quẽ,

vt in nulla metu neglecta solutáque omnia futura essent, inuaderet, cõtinuò in aduersos mõtes primũ agmen erexit, ac deiectis è summo vertice hostium præsidijs, eo ipso die vix dum refectis ex labore militibus, Aluantis castra, quæ ad vlteriores montiũ radices erant, adortus est. Tanta è conspectu appropinquantium hostium in castris perturbatio exorta, vt prætumultu ac trepidatione militũ arma poscentium, quibus fœminarum greges, lixæ, calonesq; pauidum genus immiscebantur, vix Aluantes, quid fieri vellet, præfectos docere, aut milites cohortari, aut denique aciem explicare potuerit. Ita irruentibus recta fronte Armenis, magnum atque atrox prælium cœptum. Neque Hysmaeli cui nunquam animus virtusq; defuerat, eo die etiã fortuna defuit. Nanque per cuneos tribus simul locis aggressus hostem, antequam cataphracti equites, quorum magna pars non stratos, non frænatos equos habebant, arma induerent in aciemque prodirent, prostrata prima acie peditatum in fugam vertit. Aluantes qui nihil earum rerũ antè prouiderat, quod ad famam tanti comparati exercitus nec Taurisij quidem, nec in Armenia omnino se inuenturum hostem putasset, concursare, appellare milites, retentare couersam aciem, ac multum ipse pugnare. Sed quum subita eius consilia quæ in ipso periculo capere

capere cogebatur, nec duces, nec milites exequerentur, pudore ac desperatione victus, dum in primo agmine acrius pugnat, obtruncatur. Interfecto Aluante cæsisq; Persarũ promptissimis, cataphractis, qua parte virium Aluantes superior erat, cum iam non esset pro quo depugnarent, effugere non dubitarunt. Idem fecere sagittarij, & cæteri postremi agminis milites qui audito statim tumultu, fugæ magis quam prælio arma atque animos præparant. Hysmael cum minore aliquanto hostium cæde quã pro tanta victoria quis crederet, castris potitus, quòd antequam fugatum hostem sectaretur, exanimatos milites defatigatione itineris ac labore prælij reficiendos esse existimabat, eo in loco per aliquot dies statiua habuit. Inde quum ab finitimis populis legati ad dedendas vrbes superuenirent, & quò victoria eò etiam gentium fauor inclinaret, ad vrbem Scyras exercitum duxit. Nec ciues multùm antè ad famam ingentis victoriæ parati ea facere, quæ diuinus victor quæ Hysmael imperasset, eum vrbe recipere commeatu, pecuniáque iuuare in ea rerum commutatione recusarunt. Sophus ab supplici ciuitate omnibus diuinis atq; humanis honoribus affectus, sæpe ad populum de veritate atque præstantia nouæ religionis concionatus est, edixitq; se pro hostibus habiturum, qui intra trigesimum diem

diem antiquos ritus minimè reliquissent. Quamobrem quando illinc ex successu victoriæ certissima præmia, hinc verò si pertinacius abnuerent, exilia aut cruciatus proponebantur, breui omnem propè multitudinem in partes deduxit. Mox ex opulentissimæ vrbis diuitijs persoluto militi stipendio, veteres nouosque milites quibus arma, equi, tela, vestisve deerant, omnibus rebus instructos exornauit. Nanq; in vrbe quæ inter cæteras Orientis summam obtinet claritatem, frequentes erant officinæ omnis generis armorum plenissimæ, ea mirabili ingenio artifices ex ferro calybeq; recoctis, & ex herbarum succis additæ insigni temperatura, longe elegantius, quàm apud nos id fiat, fabricare consueuerunt: nec galeas tantum, thoraces, & ocreas, sed equorum etiã perpetua ex tenuissimis laminis tegumenta. Post receptam vrbem Scyras, Sapham quoq; quæ Susa antiquitus fuisse existimatur, & Sulthantam, quam propter admirabiles ingentium ædificiorum reliquias Tigranocertam fuisse arbitramur, in fidem accepit. His rebus celeriter confectis, constitutisque per singulas vrbes suæ sectæ magistratibus, Hysmael superato Tigri in Mesopotamiam profectus est, vt Moratchamum Babyloniæ possessione depelleret, arma adhuc exercitúmque tenentem, quo (vt suprà memorauimus) iunctis cum Aluante

uante Viribus in Armeniam transire statuerat. Sed ss fraternæ calamitatis exemplo territus, quando Aluantes & Persarum exercitus cum amplissimis regni facultatibus, è tanto fastigio Vnius diei negotio corruissent, iudicauit minimè sibi armis Fortunam periclitandam: sed in Vlteriora regni ad melioret casus expectandos, continuò fugiendum, quòd Victori hosti ac tum ingentes trahenti copias, qui numerosum exercitum parua manu cæcidisset, minimè se parem futurum intelligebat. Igitur Sophus Hysmael tantæ Virtutis fama magnitudine copiarum, & ipso denique Deorum immortalium fauore terribilis, Mesopotamiam ingressus cedente Moratchamo, & certantibus inter se populis, quinam primi Victoris gratiam deditionis celeritate mererentur, omnem prouinciam in deditionem accepit. Porrò Moratchamus nec copijs suis, terrore perculsus, satis fidens, nec Vllis se Vrbium mœnibus credere tutum existimans, collecta supellectile cum Vxoribus ac liberis in Arabiam profugit. At Hysmael maximam Orientis partem Victricibus armis peruagatus, ab Assyria in Mediam transcendit. Vrbes, castellaque aliquot in Zagro monte, quæ Aluantis præsidijs tenebantur, expugnauit, regressúsque in Armeniam, Albanis, Hiberis, & Scythis, qui Vlteriorem Caspij maris oram tenent, bellum

lum intulit: quòd eæ gentes tributariæ quondam Persarum regum ex occasione ciuilis belli, quo Persis totus ó3 Oriens cum excidio regiæ domus proximè conflagrarant, neque tributa quartum iam annum persoluissent, neque solitas omnino legationes in tanta præsertim Victoria misissent. Dum hæc ab Hysmaele geruntur, Techellis Cusellas, quem ex eremo in Vrbes ductum Armeniam, minoris ó2 Asiæ magnam partem nouæ religione complesse paulò antè memorauimus, conflato exercitu ex fœderatis eius disciplinæ hominibus, Turcarum fines inuasit. Enimuerò quum Techellis in cœtu mortalium futura sæpius mira felicitate prædixisset, Sophus ó3 Hysmael dudum exul et profugus non sorte, non humano subsidio, sed pietate ac certissimæ religionis auspicijs, in eam rerum amplitudinem creuisse videretur, tanta suscipiendæ eius superstitionis omnium animos cupido incesserat, vt circumiecta Vrbes atque oppida iam plena essent his hominibus, qui pro tessera nouæ professionis rubris pileis Vterentur. Conuenère primo apud Tasciam Vrbem, quæ ad Antitauri radices sita est, supra sex millia hominum, vbi à Techelli persuasi vt arma capesserent, quibus si quid durius ab impijs Turcis accideret, sese & Veram religionem tuerentur, omnes iureiurando affirmauerunt se neque ducem in Vlla fortuna

tunæ acerbitate deserturos, neq; pro sanctissimæ hæreseos dignitate, cui iam pridem corpora atque animos deuouissent, laborem vllum aut vlla vitæ pericula recusaturos. Techellis postquam videt suorum animos singulari omnium consensu summaq; virtutis fiducia confirmatos, quum pecuniæ quæ liberaliter à prouincialibus pietatis studio erogabatur, ad alendam tantam multitudinẽ non sufficerent, edixit, vt frumentatum quaq; versum irent, & eorum maximè facultatibus atq; diuitijs vterentur, qui nouis sacris initiari nollent. Itaq; in plures manus diducti, è proximis agris magnam vim comeatus & pecoris in castra conuexerunt, ac mox crescente multitudine, è finibus Cappadociæ in Lycaoniæ vbertate agri & accolarum frequentia per nobilem regionẽ profecti sunt. Vbi multis diebus eo terrore belli per agros impunè circunducto, seipsos aluerunt, tantumq; formidinis omnibus intulerunt, vt qui oppida & vicos incolebant instante metu, omnes fortunas suas cum vxoribus ac liberis in vrbẽ Iconium comportare cogerentur. Nanque edictum Techellis nomine pluribus locis propositum erat, quo diuina humanaque præmia his omnibus ostendebantur, qui continuo in partes transirent, & vulgatam multum antea Persarum religionẽ sequerentur. Quòd si qui pertinacius in errore persisterent, eos quum

quum gladium semel eduxerit, faces q; succenderit, nullum posteà veniæ aut saluti locum inuenturos. Omnibus tam atroci denunciatione perterritis, alij mortis metu, alij mobilitate animi, alij res suas agros q; omni religione potiora existimantes, alij verò obærati, infames, capitalia ausi, præterea serui complures, fuga facta quotidie ad Techellim transibant. Nec multo post, Turcis contra arma parantibus, auxilia quoque equitum ab Hysmaele missa opportunissimo tempore superuenerũt. Nam quæ Hysmael ex fœdere communis disciplinæ tantum antea per legatos Techellim fuerat adhortatus, vt sacrosanctis cœptis insisteret, introductaq; religioni vim armaq; adderet, ac magno animo progrederetur. Se enim negotio minimè defuturum, & peritos rei militaris qui ordines ducerent, & pecuniam qua castrensis apparatus comparari posset, continuè submini straturum. Hæc haud occultè Sophus Hysmael contra Baiazetem moliebatur, vt paruis initijs, maioris belli causas fereret. Nanq; & veteribus odijs quæ propter bella continua cum Turcis intercedebant, & ex priuata quoque religionis dissensione Baiazeti infensus, nihil magis in maxima virium amplitudine, et in secundissimo rerum cursu, iuuentæ ettam calore præseruidus, quàm Othomannicum bellum animo volutabat. Quin & legatos ad Se-

natum Venetias misit, qui fœdus atq; amicitiam peteret, in eam maximè formulam, qua Catarinus Zenus, Iosaphates Barbarus, & Ambrosius Contarenus legati in Armeniā cum Vssumcassane materno auo quondam pepigissent. Ii enim diuersa via totum Orientem peruagati, efficiorum suorum ac itinerum commentarios posteris reliquerunt. Id in primis Hysmuel postulabat, vt artifices qui aenea tormenta conflarent ab Italia sibi per Syriam mitterentur, & decreta in Graciam atque Asiam valida classe, Baiazetem maritimo bello distinerent, se verò terrestribus copijs minorem Asiam completurum prabiturumq; pulcherrimam occasionem Veneta classi ad ea recipienda, quæ in ora Graciæ superiore & recenti bello amisissent. Senatus legatis perhumanè ac liberaliter habitis respondit, neq; veteris amicitiæ, neq; fœderis quæ sibi cum Persarum regibus fuissent obliuisci, gratámque semper futuram apud Senatum eius rei memoriam, sed eo summopere latari, quòd nouus Rex Sophus Turcarum hostis esset. quod cura haberet communicare belli causam, atque eapolliceri, quæ si Vssumcassanes Iacuppusq; filius præstitissent, nequaquam sibi bellum cum Othomannis gerendum foret. Caterum eas esse rerum vices, vt sicuti Persarum reges domi ea tempestate ociosi occupato in Europa Baiazete

zete, nihil sibi mouendum existimauerint, ita Senatum in deteriore & periniqua temporum conditione quod velit ac maximè optet præstare non posse, quòd pacem quinquennio ante cum Baiazete factam sibi minimè violandam existimet: occupari enim se grauissimo bello, quod præferoces Europæ gentes coniuratione facta, & maximi reges nullis lacessiti iniurijs, sed sola concitati Venetæ felicitatis inuidia, nuper intulerint, sperare tamen futuros à iustiori causa Deos immortales, & Rempublicam quam vlla vis per septingentos amplius annos non fregisset, ab immanitate tot hostium seruaturos. Proinde suo regi referrent Senatum, quum per occasionem posset, daturum operam, vt Sophus intelligeret nihil sibi Persarum amicitia antiquius esse, aut speciosius quicquam futurum, quam Turcas Christiani nominis hostes, quibus ipse infensus esset, mutuis consilijs ac paribus armis oppugnare. Legati paulò post cum spe magis ineundi fœderis, quàm quod re ipsa quicquam impetrassent, donati muneribus in Cyprum triremibus reuecti, in Syriam traiecerunt, habuereque occulta colloquia cum Petro Zeno (is Catarini legatione Persica clari filius fuit) qui tunc Damasci negotiatoribus Venetis præerat. Qua de causa Baiazetes cognita legatorum profectione, per oratores

res & literas quæstus est apud Campsonem Gaurum Aegypti regem, cum minus amicè facere, quòd Persarum legatos per mediam Syriam ad communes hostes ad concitanda externa arma trãsire permitteret. Vnde mox irato Aegyptio omnes Veneti mercatores, & ante alios ipse Zenus, qui Tripoli, Alepi, Berytí atque Alexandriæ agebant perducti Memphim coram Campsone sæpius causam ex catenis dicere coacti sunt, vixq; post annum quo omnes contumelias ab immanibus Mamaluchis pertulerant, vitam & libertatem impetrarunt. At Techellis Persarum auxilij firmato exercitu, ad Iconium celeberrimam Lycaoniæ vrbem iam peruenerat, populatusq; vniuersum agrum, magnam hominum multitudinem ac cultum nouæ religionis perduxerat. Quibus de rebus Orcanes & Mahometes Baiazetis nepotes, qui Alemsaco & Sciaensciao patribus morbo extinctis, his regionibus imperabãt, coactis copijs ne tantam ignominiam in conspectu nobilissimæ vrbis à latronibus paterentur, in aciem descenderunt. Sed illi adolescentiæ ardore præproperi, quum iniquo in loco prælium commisissent, ab hoste fusi fugatiq; sunt. Neq; in ea victoria Techellis ab oppugnatione Iconij temperasset, nisi tormenta apparatusq; expugnandarum vrbium tumultuario exercitui defuissent. Inde conuerso

agmine

agmine per mediam latitudinẽ minoris Asiæ ad Ancyram, quam hodie Angorim dicunt, profectus est. Nec Corcuthus Baiazetis filius qui Thyatiræ, Sypilli, Magnesiæ, Phoceæq; exercitum comparauerat quum latè effusus hostis in proximo esset, aut procedendum, aut de prælio sibi omnino cogitandum existimauit. Techellis per Galatiam infesto exercitu in Bithyniam contendens, non longè à Sangario flumine Caragius Bassam, qui Bellerbechus tunc erat (hoc est totius Asiatici equitatus magister) cum instructis copijs obuium habuit. Parauerat is paulò antè haud mediocrem exercitum ad famam imminentis belli, iusserátque Achomatem natu maximum Baiazetis filium, Cappadociæ Ponticque præfectum conscribere nouos milites, & in tergo moliri bellum, vt Techellis si semel pelleretur, neque se in tutum recipere, neque in prouincia, obstante in tergo exercitu conquiescere, aut morari omnino posset. Sed hæc consilia Techellis sua celeritate præuertit, nanque maioribus itineribus ad hostem progressus, tum delectibus habendis intentum, alias q; tanquam ad iustum bellum copias expectantem, ad Horminium montem adeptus est. Nec Bellerbechus pugnam detrectauit, tametsi non prius quam maioribus copijs exercitum suppleisset, prælio decertare decreuerat. Erat enim in eius

exercitu incondita peditum multitudo, homines ex Paphlagonia, Galatia, Bithynia & Ponto ignari militiæ, & magna ex parte inermes, vt fermè sunt qui imperati vrbibus atque oppidis inuiti militant, atque vno nomine Asappi à Turcis nuncupantur. Virtuti autem veteranorum equitum summopere confidebat, quarum opera si aduersi quicquam accideret, cessurum se prælio & signa seruaturum arbitrabatur. Ex aduerso Techellis cui robur totum in pedite erat, nihil spei in fuga habere: sed in suorum virtute victoriam collocare, adhortari suos, vt reminiscerentur quam in regionem venissent: quæ, inquit, sociæ vrbes, qui noui exercitus, qui alij Dij tutelares, si pro his hodie malè pugnaueritis, vos excipient, aut iuuabunt? Agite viri fortissimi atque acriter irrumpite, vt vincendo & religionis dignitatem pro qua corpora atque animos deuouistis, & salutem vestram tueamini. Hæc quum diceret, tota acie horrendus clamor sublatus est statimque concursum Bellerbechus peditatum in medio, equites in cornibus collocauit, quibus hostilem aciem circumueniret. Techellis autem vno corpore atque vno impetu quadratam suorum aciem induxit, equites quos Hysmael paucis antè diebus miserat, in subsidijs reliquit. Non tulere Asappi impetum neque aspectum quidem Techellini

lini exercitus, nanque in fronte quique optimè armati constiterant, & pileata acies vno colore rubro conspicua, quòd tota cruore consperſa videbatur, tyronibus & imperitis hominibus formidinem intenderat. Ita quum vix horæ dimidio prælium Asappi sustinere potuissent, tota media acies cæsa fugataque est. Equites Turcæ qui in latera hostium vtrinque magno impetu incurrerat, tametsi multos sagittis lanceisq; confixerant, at q; ordines aliquantum turbarant, quòd pedites loco excederе & procurrere cogebantur, nihilominus quũ deiectis Asappis, Techellini in cohortes atque manipulos sese diduxissent & comminus prælongis hastis equos petere cœpissent, & ipsi continuò in fugam conuersi sunt. Perſæ equites qui spectatores pugnæ fuerant, è subsidijs in fugientes turbatosq; inuecti, multos protriuerunt, longiusque progressi, Bellerbechum sistentem fugam, nec vers quicquam in densissimo puluere discernentem, circumuenerunt, cepissentq; eum, ni à fortissimis stipatoribus periculo exemptus fuisset. Equites paucis amissis fuga sibi consuluere. Asappi supra septem millia interfecti, præterea omnia peditum signa & vis ingens commeatus capta, Techellis quiete vnius diei militibus data, ad vrbẽ Cutheiam quæ ad Horminium est, exercitũ admouit. Ea vrbs totius minoris Asiæ vmbilicũ tenet, Anatoliaq;

liaeq; Magistri equitum sedes est, sicuti in Europa quæ Romana dicitur apud Sophianam Mæsiæ vrbem, alterum Bellerbechum considere videmus. Fama enim erat magnas opes propter munitionis opinionem eo à finitimis vrbibus in ipso terrore belli fuisse comportatas, & cognouerant, Bellerbechi se ex fuga in eam vrbem cum nobilissimis equitum contulisse. Nec dubium erat ditari posse exercitum, si aduerso prælij successu consternatis metu hostibus, omnes vires vno tempore admouerentur. Igitur Techellis dignam eam vrbem ratus, quæ aliquo periculo peteretur, tormenta minora quæ bello ceperat, & sagittarios idoneis locis imponit, vt propugnatores è muro destinatis ictibus deijcerentur. Demum comportari scalas, & tota acie pronunciari iubet, omnem prædam militum fore, his verò qui primi conscenderent, maiora præmia tributurum. Ea spe murum subeunt, nulli vt hostium, nulla telorum multitudine, nullo mortis metu deterrentur, quin certatim scalas aut conscendant, aut per confragosa muri alij aliorum innixi humeris comitantur. Supernè verò ingentia saxa, ardentes faces, & toto passim muro feruentis aquæ, calcis, ac arenæ vis ingens in subiectos continuè prouoluebantur. Nec in tanta certaminis iniquitate, quum multi ipso molarium pondere comminutis scalis, laceri, exanimes,

nimes, atque omnibus denique incommodis conflictati è muro præcipitarentur, quisquam tamen in eo periculo tot ingruentibus telis, pedem referebat. Ignauiæ enim virtutisq; militum testes spectatoresq; aderant Bellerbeches atque Techellis, hic ne irrito incepto abscederet, ira & pudore accensus: ille vt dignitatem, salutem, ac omnes denique fortunas suas in eo discrimine tueretur, pari animo ducis atq; optimi militis officia implebat. Tandem fessis & magna ex parte saucijs propugnatoribus, quib. Techellis integros milites qui prælium exciperent, ac vulneratos reuocaret, continuè summitteret, facto impetu duobus simul locis per aceruos cæsorum in vrbem peruaserunt, obtruncatis q; propugnatoribus, ac refracta porta omnem exercitum introduxerunt. Inde per omnes domos miserabilis Turcarum cædes edita, expugnatumq; eodem impetu prætorium, quo se cum familia Bellerbechus receperat. Dux ipse cum vxoribus captus, & prætorium secto marmore & nobili structura insigne concrematum. Cutheia capta & Turcarum spolijs ornato exercitu, Techellis in animum induxit expugnari posse Prusiam Bithyniæ caput, si priusquam hostium vires coalescerent, aut ciues perterritis omnibus, aliquid consilij pro tuenda patria capere possent, ipse confestim eo contenderet: & in ea fortuna

fortuna studio atq; ardore militum ꝙteretur. Quamobrem indicta profectionis die, militibus imperauit, ꝛt corpora curarent scalas, arma, telaq; pararent, quibus opulentissimã ꝛbem, nec mœnibus tutam, nec ꝛllo firmatam præsidio, hostiũ opinione celerius aggrederẽtur. Hæc parantẽ nouus Turcarum exercitus, qui nuper ab Gallipoli per Hellespontũ in Asiam trauecerat, à proposito oppugnãdæ ꝛbis auertit. Nanq; Baiazetes multum antea, ad Techellis nomẽ, & ad Persicæ religionis famam excitatus filijs, nepotibus ac Bellerbecho Asiæ præfecto scripserat, ꝛt pararẽt arma, nouæ superstitionis initia opprimerent: darentq; operam, ne quid detrimẽti in ea prouincia caperetur. Postquam verò Techellum ex eremita Imperatorẽ factũ, innitiq; eum haud obscurè Persarũ ꝛiribus, & ardere bello Asiam ꝛidit, Halybassam cum Europeis copijs eò emisit. Erat Halybassa genere Macedo, tametsi eunuchus, ꝛirtute tamen fortissimis hominibus cõparandus, qui sub Mahomete multis fortibus factis militarẽ gloriam, atq; optimi ducis nomẽ adeptus fuerat. Is deducto flore equitũ ex Epiro, Macedonia, Mœsia, Illyrico, Thracia q;, ac adiunctis sibi prætorianorum septem millibus (Ianizari ij Turcica lingua ꝟocantur) in queis ob cõfirmatã bellicæ laudis opinionẽ in omni Turcarũ expeditione, & summa

ma ꝛirium, & ꝟincẽdi certissima ratio semper fuit, ex Chersoneso in Phrigiam profectus est, scripsitq; ex itinere Corchuto, & Acomati Baiazetis filijs, omnibusq; equitum præfectis (quos Sanzacos ꝟocant) ꝛt quàm maxima possent celeritate copias cõpararent, & in Galatiam progrederentur. At Techellis de aduentu hostium certior factus, excedendum Ponto, ac sibi omnino multis de causis in pacatam regionem redeundum existimauit, ne coeuntibus ꝟndique Turcarum copijs, circumueniretur, neue cogeretur iniquissima belli conditione dimicare. Nanque, nec tutum iter nec pacatum quicquam si ꝟel paruam aliquam moram traheret, se habiturum arbitrabatur, quum tantum terrarum in tergo relinqueret, tot hostiles ꝟrbes, tot flumina, tot infensos populos, quæ omnia paulò ante primus hominum fauor, ꝟictoriaque celeritas aperuissent. Igitur re ad consilium delata, quod præfecti omnes tantulis copijs sine iusto equitatu, cum eo hoste qui & locorũ notitia, & genere ac numero militũ longè superior erat, prælio decertare summa demẽtia, aut extrema necessitatis consilium esse censebant collecta pretiosiore præda, ab Hormimio per Galatiã citatiore itinere regredi cœpit. At Halybassa, cui, ꝛt statim in Asiam ꝟentum singulis propè horis à prouincialibus de

abscessu

abscessu itinereq; hostium litera, pernicibus tabellarijs afferebantur, cognita eorum profectione, Sangvarium fluuen superat: ac trãsuersis itineribus recta iter Cutheiam & Ancyram, qua transituros hostes coniectura iudicabat, pergit. Inde quum minimũ tempus, aut naturæ desiderio, aut lassitudini militum tribueret, quintis castris ad Caraassar in plana Galatiæ peruenit, & nouissimos agminis hostium fessos, vulneribus debilitatos adeptus, interficit. Ibi Techellis, vt hostes atroci spectaculo edito, aut demoraretur, aut à persequendo deterreret, Bellerbechum quem vinctum trahebat, media in via sequentibus spectandum palo infixit. Nec Halybassa horrendo clarissimi viri interitu permotus, quicquam tamen de celeritate sibi remittendum existimauit. Quin milites consolatus vt æquo animo itineris laborem ferrent, ac paululum adniterentur, vt supplicium sumerent de immanissimis latronibus qui euastata prouincia, nec impuberibus quidem, aut Deorum templis pepercissent, sequente die in Ancyreorũ agrum descendit. Achomates quoque cum decẽ millibus armatorũ, vt vires iungeret, eo ipso die superuenit. Quamobrem Halybassa qui nec continuo quidẽ cursu magnis itineribus antecedentẽ toto exercitu consequi poterat, iniquo animo ferens sæuissimũ hostem impunè elabi

è manibus

è manibus insistere hisuẽ fugientiũ vestigijt, cum expedito equitatu cõstituit. Itaq; relictis pedestribus copijs & Achomati cõmissa exercitus cura, cum octo millibus equitũ abeuntes celeritatissimo cursu persecutus, extremũ eorum agmẽ ad Olygam montẽ, qui ab Ancyra parũ distat lacessere, & inito acri prælio perturbare cœpit. Techellis, qui in edito idoneum locum castris paulò antè ceperat, tametsi lassitudine atq; æstu torrentis Solis exanimatos esse milites intelligebat, nihilominus, quum æquissimo in loco, cum solis equitibus sibi rem futuram sciret, conuerso agmine, ac constitutis pro natura loci & tẽporis exigvit. ate suorum ordinibus Turcarũ impetu egregiè excepit, inuectósq; equites prælongis hastis sagittisque summouit, apparebatque hastatum peditum phalange facta, insultante equitatu, nec cessurum loco, neque indignum quicquam superiore victoria commissurum, nisi Halybassa mille amplius sclopettarios equites induxisset, qui per vices alij alijs turmatim miro ordine succedentes, plumbeas glandes in confertissimam hostium aciem spargerent. Qua procella, quum magnus eorum numerus sterneretur, necesse fuit phalangem solui. Inde hastati equites, qua dissipatis cæsisq; militibus densa & stabilis ea acies laxabatur, vehementiore illati impetu cædendo sternendóque

totum propè primum agmen deleuerunt. Techellis in media suorum strage vbique conspicuus, quod vnum in tantis malis remedium relinquebatur, ex promptissimis atq; optimè armatis nouã aciem facit, eámq; à nouissimo agmine in frontem ductã, equitatui opponit, iubétq; pronũciari, vt milites pleno gradu pugnando in colles sese recipiant, eo cõsilio vt milites timore adducti, non metu ipso, sed iussu Imperat. id facere viderentur. Ita existimare natura loci diffisos hostes, vrgendi insequendi que finem esse facturos. Halybassa primo prælij successu ferox, haud dubiè iam inclinata victoria equites cohortatus, ne spatium euadendi in montẽ fugientibus relinquerent, premendo vrgendo q; instarent: ac breuissimi laboris operam, qua bellũ vel vno eo prælio finiretur, sibi ac Baiazeti Imperatori præstarent, Hac proclamans cum globo equitum per mediam hostium aciem perequitauit, vt cæteros accenderet, ac sibi non deesse virilem animum, insigni virtutis facinore edito testaretur. Quod quum speciosius quàm pro disciplina iterum eodem ardore fieri posse confideret, intercluſus, & in medio circũuentus interficitur. Cæso Halybassa, paucis tẽporis prælij fortuna cõmutata est: manq; Turcæ, qui dudũ pulsis stratisq; hostibus acerrimè prælabantur, ducit morte perterriti remittere pugnãdi ardorem.

rem, sensim cedere, ac demũ conuersis equis pugnæ loco excedere cœperũt. Ex aduerso Techelluni qui plus spei in loci munitione, ac montibus, quàm in armis atq; virtute posuerãt, ausi, nouã spe animis, & in segni iam pugna collectis viribus procurrere, truci vlulatu victoriã cõclamare, atq; hostem in fugã vertere. Ita fortissimi equites pugna atq; itineris labore cõfecti, quum fessis ac fluentibus sudore equis persistere non possent, insignẽ certámq; victoriã, quã dux ipse virtute partam: morte postea temeritate q; corruperat, reliquerunt. Techellis tametsi nec refici equos, nec in patentibus campis tuto cõsistere hostem posse, si vestigijs insisteret, sperabat: orbatus tamẽ suorum promptissimis, atq; vniuerso exercitu, medius, vigilijs, & vulneribus affecto, in Olyga nõte coquiescere statuit. Inde paucos post dies trans Halyn flumen ductis copijs ad Tasciã, & in Rubra demum saxa sẽ recepit, non procul ab vrbe Celenis, quã Marsia amnis Poetarũ carminibus inclytus medium interluit, hodiéque Maras Aladoli principis regia vocatur. Turcæ vlti magis iniurias, quàm plenã adepti victoriã, ad Achomatẽ, vbi signa & prætoriani milites erant, redierũt. Nec multo post Iunusbassa summæ virtutis Epirota, qui magnũ in militia vsum habere dicebatur, à Baiazete delectus, cum imperio ad exercitum venit. Is

statim, quũ sibi copias omnes Achomates tradidisset, in Cappadociã profectus, dextrorsum ad Antitaurum iter flectẽs, paucis diebus ad Tasciã peruenit, Vrendóq; ac Vastãdo passim Vniuersum agrum sub radicibus mõtis posuit castra. Habebat Iunusbassã supra quadraginta milla equitum ac peditum: præterea magnum numerum currulium tormentorum, ingentémq; Vim omnis generis cõmeatus. Quo apparatu territus Techellis, quòd nulla auxilia ab Hysmaele mitteb antur, quòd nullã tormentorum copiã habebat, quòd clade ad Olygam accepta saucios consternatósq; metu milites, tantæ multitudini hostiũ obÿcere miserrimum putabat, montibus, ac syluis se tenere constituit, sperans si munito in loco cunctaretur, aut Ventura interim Persarum auxilia, aut temeritate hostiũ non omnino iniquã pugnandi occasionem aliquando haud sibi defuturam. Interea singulis diebus haud satis digna memoratu prælia Varÿs in locis conserebantur, Nanq; Turcæ explorando quæritandóq; faciles aditus circumuecti mõtes, sæpius arctiùs collibus ad hostes perueniebant. Techellini cõtra syluis euolabant, & è præruptis locis, quæ ipsi in castellorum specìem communiuerant, acerrimè depugnabant. Tandem, quum diu quotidiana consuetudine Veluti per lusum leuibus prælÿs Vtrinque Vires tentaretur animad-

animaduertère nonnulli milites itinera duo non omnino difficilia, per quæ haud angustis callibus exercitus sub signis duci posset. Iunusbassa loci naturã contemplatus eodẽ tempore, hinc Asappos, illinc prætorianos milites cohortatus, erigere aciem in colles non dubitauit, qui per ardua leni gradu prætentis scutis aduersus hostium missilia subeuntes magno animo ingentem telorum multitudinem sustinuerunt. Nanque hostes occupatis editioribus locis, Veluti è propugnaculis, & tela omnis generis conÿciebant, & maiores lapides prouoluebant. Sed directis in eum locum minoribus tormentis, ab ea munitione deturbati, celerrimè locum reliquerunt, quum signa scutatósque Valida sclopettariorum manus sequeretur, & Veluti grandine effusa tota acies obrueretur: mòxque Techelle receptui canẽte, in interiores ac munitiores syluas se condiderũt. Sequenti nocte Techellis haud ignarus quantum sibi authoritatis ac Virtũ ex aduerso certamine deceßisset, extinctis ignibus cum maximo silentio saltu excessit, & per aduersos montes in minorem Armeniam descẽdit. Nec prius illorum fugam Turcæ senserunt, quàm albescente iam cælo, exploratores qui saltum ingressi, impedimenta, & paucos semianimes inuenerant, renunciauère euasisse hostes eósque præcipiti fuga petere minorem Armeniam.

niam. Quod quum Iunusbassa ex captiuis etiam cognouisset impotenti ira gemens, frendénsque quòd non statim ab victoria saltum omnem indagine clausisset, equitatum qui abeuntes sectaretur plurimis itineribus emisit: nequicquam tamen persecuti hostes, quod Techellis notis tramitibus rectà in Armeniã properabat, paucis in itinere captis adducens redierũt. Pulso Techelle, Iunusbassa per omnes minoris Asiæ vrbes intentissima conquisitione habita, quos Persicæ religionis cultores inuenit, omnibus tormentis excruciatos interfecit: his verò qui bello minimè interfuissent, neque arma tractassent, inusit frontem, vt stigmate defectionis titulum præferrent, quos protinus cum affinibus, atque propinquis eorum qui secuti Techellim fuerãt in Europam traduxit: sparsitque per Macedoniam Epirum, & Peloponesi oram, ne si Techellis, qui ad Hysmaelem in finibus Scytharum bellum gerentem confugerat, copias comparare aliàs, & bellum renouare vellet, coirent rursus, & nouas res, noua defectione molirentur. Vix dum pulso Techelli bellum aliud statim ortum atrox cruentúmque inteſtinis cadibus, quo clarissima terrarum orbis Othomannorum domus, vnius ambitione atque sæuitia ab stirpe propè interijt. Præcessere imminentes calamitates prodigij loco habitæ, ingens

gens atque terribilis, si vnquam antea, terramotus, ac subinde repentina & maximè grauis pestilentia, quæ Bizantium imperij caput ruinis atque funeribus compleuerũt. Quibus periculis territus Baiazetes, ab pestilenti maris ora, in saluberrima Thraciæ loca secessit, egitq; complures menses sub Rhodope monte apud Hadrianopolim: vbi quum minimè prospera valetudine vteretur, nec dolore pedum, & senecta inualidus munia imperij obiret, de successore deligendo cum purpuratis & familiaribus agitare cœpit, diffisus maximè filiorum ingenijs, quos præpotentes ferocesq; de imperio dimicaturos arbitrabatur: nisi se superstite in principatum vnus asciscceretur, qui conciliato fauore militum, opportunas regni arces, pecuniam publicam, classes atque exercitus obtineret. Supererant Baiazeti filij tres, Sciansciao, Mahumeto, & Alemsciaco iam pridem morbo absumptis: Achomates, Corchutus atque Selymus, florenti ætate omnes. Sed diuersis inter se vitijs, atque virtutibus insignes, Achomates consilio, æquitate, belli & pacis artibus pollens, claruſq; quòd duobus iam regiæ indolis adolescentibus filijs stiparetur, secunda nominis fama ipsos præsertim Asiæ populos & principes aulæ, paternúmque animum occuparat. At Corchutus ob mite ingenium, tranquilliorémque natu-

ram ſapientiæ ſtudijs deditus, tametſi cognitione humanarum rerum, ac ætatis prærogatiua ab Achomate ſuperabatur, nihilominus quum apud patrem Veteris pietatis, & ſummi beneficij memoriam non omnino obliteratam eſſe conſideret, imperiũ triginta ante annis apud eum depoſitu, repoſcebat. Namque Mahomete Vita functo & Baiazete eius filio in Cappadocia procul agente, prætoriani milites, & nonnulli equeſtris militiæ principes, qui tunc Byzantij aderant, Iſacho & Meſithe purpuratis attollentibus Corchutum adoleſcentulum imperatorem delegerunt, & traditis arcibus, atque theſauris auito in ſolio conſtituerunt: Et ipſi tutelæ nomine, ex arbitrio cuncta imperij munia adminiſtrarent. Nec Baiazetes ab Amaſia Cappadocia reduens, quàquam ſeſe fraudatum iure imperij planeq; produtũ ab omnibus quereretur, quicquam tamen precibus & lachrymis impetraſſet, niſi in ipſo egregiè pio, modeſtiſſimoq; adoleſcente primis ſtatim imperij diebus ingenuus pudor, & parentis reuerentia, omnẽ regnandi libidinem ſuperaſſent. Siquidem Corchutus nolentibus etiam his qui detulerant, ſceptrum patri reſtituit, Vnde illi mox liberalitate patris Lycia, Caria atque Ionia, cum nobiliſſima Aſiæ ora ab Attalico ſinu Phoceam Vſq; ceſſerunt. Porrò Selymus maiores ſpiritus gereus quum priuatam fortu

fortunã minimè pateretur, Vti rei bellicæ magnopere deditus, Vna maximè liberalitate, aſtu, comitate, bonis maliſq; artibus ad imperium contendebat. Nec maximum bellum & paternũ regnum affectanti, ſtudia prætorianorum deerant, qui miſcere cuncta bellico tumultu malebant, Vnde honores, atque diuitiæ certa laboris atque audaciæ præmia peterentur, quàm ſub aquo ſedatoq; principe qui eſſet damnoſæ pacis cultor inglorius otioſam inutilemq; militiam perferre. Is habitus animorũ erat in prætoriano equite, & Ianizarorum peditum conſenſus, quũ Baiazetes qui haud dubiè Achomatẽ ſucceſſorem ſibi deſtinabat, ſparſis in aula ſuper ea re non omnino Vanis rumoribus filios pari ambitione ad imperium properãtes ſuis ſedibus exciuit. Primus omniũ Selymus claſſe in Ponto comparata ab Trapezunte Vrbe, Theodoſiam adnauigauit: Adjtq; in eadem Cherſoneſſo Mahometem Præcopitarum & Tartarorum regem, cuius filiam iam antea inuito Baiazete Vxorem duxerat. Eum detectis conſilijs ſuis obſecrat, obteſtatúrque per fœdera ſanctiſſimæ cognationis, ne ſibi genero in ſumma rerum occaſione deeſſe Velit, docétque quanta ſibi ſpes adipiſcendi imperij ab amicis prætorianiſq; militibus proponatur, ſi propius accedat, patremq; de transferendo imperio cogitãtem, aut arte conciliet,

aut ab instituto consilio eligendi constituendiq; successoris, ducto in Graciam exercitu armis deterreat. Tartarus collaudatis eius consilijs, vt socerum decuit, alias confestim naues ex Ponto atque Maotide, vicimisq; præsertim Coppa Tanaique emporijs, quæ sunt ad Tanaim amnem, cogi iubet. Quindecim millia equitum armat, atque hæc omnia Selymo attribuit, ac maiores copias si bello contendat, se continuò missurum pollicetur. His properè confectis Selymus Borysthene superato per Valachiam profectus, Danubium apud Chelam vrbem equitatum omnem traducit. Classem verò ad Varnæ portũ, quæ Dionysiopolis olim fuit, in finibus Bulgariæ & Thraciæ conuenire iubet. Ipse alias ex itinere copias conscribens simulando aliud, quo suum consilium tegeretur, expeditionem in Pannoniam edicit. At Baiazetes, qui Selymum ab Trapezunte in Europam multò antè transisse cognouerat, admiratus quòd non plane sedato Techellis & Persarum bello, ex Asia discessisset, quòd priuato consilio contractis externis auxilijs aduersus pugnacissimam Hungarorum gentem difficile bellum pararet, quòd loca Thraciæ proxima terrestri exercitu, Euxinum verò validis classibus obtineret, timere cœpit ne hæc omnia contra se pararentur. Enim verò inquieti turbidiq; hominis ingenium callidus pater

pater perspectum habebat, vel ex eo maximè, quòd se inscio superbè admodum ac insolenter ducendam sibi vxorem è Tartaris iudicasset, ac summa demum arrogatia exercitus terra mariq; parasset: intelligebatq; modico eũ imperio non contentum fore, qui amplissimũ audacia ac scelere parare posse confideret. Attamen eius vim atque ferociam dissimulatione leniendum magis, quàm eo tempore contumelijs exagitandum existimans, oratores ad eum mittit: qui doceant quanto cum periculo Turcæ superioribus temporibus ea bella tractauerint, exemplo debere esse auum Mahometem, qui infeliciter Pannoniorum arma sæpe exercuerit, proinde commodiorem rerũ occasionem opperiretur, vt maturiore ideoq; tutiore consilio, & maioribus viribus id bellum suscipere, & cũ certa propè spe victoriæ gerere posset. Ad hæc Selymus resipiendit, se Achomatis iniurijs exstimulatum, Asiâ reliquisse, transisseq; propterea in Europam, vt amplioris ditionis præfecturam pro angusta scilicet sterilitate, & tum ex inducijs pacata, quàm spectantem ad Hiberos & Colchos, inter saxa montiũ degentes pater attribuisset sibi armis ex hostili prouincia vindicaret. Quòd verò Hungaros tanquam insuperabiles bello minimè lacessendos dicerent, se non esse eius animi, vt vllis periculis, vllisue difficultatibus terreretur, quando

quando antiqua illa iam mutata essent, mutatis scilicet regibus, & nō labante modò, sed ferè euersa gētis vetere disciplina. Vladislaus dispar ingenio virtuteq; Matthia fortissimo successisset: nec ipse morte aut belli communes casus ab ineunte ætate timere didicerit, forti enim animo & honesta quidē petenti audentiq; neque Deos neq; homines defuturos. Decreuisse se pro sua dignitate, quā pater nimis fi atrum potentia confregisset, aut in acie non indecoram mortem, aut propagare imperij fines, ne omnino postremo loco natus, in Othomannica domo postremus quoque virtute, & gloria videretur. Legati tametsi Selymus omnibus sermonibus nihil pacatum ostenderat, munera tamen patris nomine, quibus ferox atque immitis animus molliretur addiderūt. Nam Samandriam, quam Scenderouiū Belgrado oppositum Hūgari vocāt, validam Mysorum vrbem in Pannoniæ finibus, & complura oppida regionis veteri eius imperio adjecit item q; sexaginta aureorum nummūm millia dinumerant. Præterea lanceas addunt, & fericas vestes mille numero, magnamq; vim cōmeatus, quibus rebus contractos milites donaret atque aleret, ne spe prædæ domo exciti graviter ferrent, si absque munere dimitteretur. Selymus oblatis opportunè muneribus acceptis, ambiguo magis responso atq; incerta spe sustēn

sustensos legatos ad patrē remisit, quàm quòd ex antiquis consilijs suis quicquam remiserit. Exacuebant animum imperij cupiditate accensum occulti ab amicis nuncij, ac literæ monentes vti properaret, atq; omnē spē in celeritate poneret, quòd sub eius profectione Achomatē à patre accersitum ex Cappadocia mouisse arma cognouerāt. Interea Baiazetes his etiam de causis permotus, ad id quod animo multum ante proposuerat descendit, ac regem successorēmque dicturum profitetur, qui se annis valitudinēque confecto, parem tanto imperio regendo vigorem integræ ætatis afferret. Ea quum per quatuor Bassas qui bello paceq; proximum regi locum obtinēt, prætorianis militibus deferrentur, extemplo ab omnibus ordinibus reclamatum est, se nullum aliū quàm Baiazetem, cuius auspicijs amplius triginta annos meruissent, imperatorem velle: non passuros priuatum eum in obscuro vitam agere qui tot victorijs, tot vrbibus bello captis, Othomannicum imperium in summam amplitudinem perduxisset. Satis in eo virium superesse si vegetæ adhuc ætatis honore, dignitatem diuturnitate imperij, & gloria rerum gestarum partam retinere vellet. Eum enim ex liberis ad imperij sedem suo tempore peruenturum qui patri legitimè successurus esset, viueret modò ipse incolumis ac multos regnaret

ret annos, Nullā quidem post fata patris futuram apud filios de regno controuersiam, quū id Othomannorum proles ueteri patrum instituto, iure tantum atque ordine, nullo ambitu & nullis adiuta suffragijs adipisci consueuerit. Quòd si forte priuato iudicio & noua tanquam inducta adoptione, eū nō deligat, quem per leges nunquam antea uiolatus populi multumq; consensus imperio destinarint, fore, ut humana diuinaq; omnia misceantur. Cæteros enim fratres, tam insignem contumeliam non laturos, nec quieturos unquam, donec impoteti patris libidine amissam dignitatem, tanquam abdicati spretiq; cum omnium rerū conturbatione armis recuperēt. Hæc milites edocti ab amicis fautoribusq; Selymi, qui centuriones & uexilliferos pecunia & pollicitationibus subornarant, palàm eloquebantur, ut Baiazetem à proposito deterrerent. Caterum ille eorum animos ab Achomate minimè alienos esse existimans, quòd illius dignitatem ad quem spectaret imperium, aduersus omnium iniurias tuturos, elato animo profiterentur. Achomatem electurum se dixit, si is ab omnibus ordinibus probaretur. Sed prætoriani qui corrupti muneribus fidem libertatemq; uendiderant, probare quidē ac laudare Achomatem, sed principem creari superstite altero, neque ex ueteri Othomannorum consuetudine, neque

neque ex commodo militū, neq; ex usu imperij esse dicere, quādo nec fratres Corchutus, atq; Selymus, nec ipsi prætoriani ullam ex infidelitatis suspitione calumniā æquo animo tolerare turi sint: si de uoluntate atq; modestia optimorum filiorum suspicios⁹ pater, aut de fide constantiaq; fidelissimi exercitus, eū sæpenumero expertus imperator, addubitet. Intolerandum quoque cunctis uideri quod præmijs per interregnum dari solitis, ex ipsa externa religionis hominum præda, odioso eius insoliti facti præiudicio, milites fraudentur. Nanq; mos est, ut defuncto statim principe, Iudæi & Christiani expositi Turcarū iniurijs, qui Bizantij, Pere, Hadrianopoli, Thessalonicæ, Prusiæue mercaturæ causa degunt, à prætorianis per tumultum mercimonijs omnibq; substantia spolientur, prædaq; habeantur. Neque prius milites sacramento rogati in uerba noui principis iurant, quàm is omnem prædam donatiui nomine concesserit, & per caput suum quod maximum apud Turcas iusiurandum existimatur, affirmarit se nullam ex sontibus petiturum pœnam, atque omnem eius maleficij memoriam aboliturum. Baiazetes postquàm omnibus consilijs suis aduersari milites uidit, ut corruptæ eorum mentes ampliore pecunia caperentur, quingenta aureorum millia prætorianis se diuisurum pollicitus est.

Se

si Achomati fauerent, neque ius, aut potestatem dicendi noui regis intercessionibus impedirent. Nec publicani redemptoresque deerāt, qui magna ex parte ab hisdē peregrinis mercatoribus, eam summam se exacturos & ingratiam Baiazetis repræsentaturos profiterentur. Vicit tamē Fortunam Achomatis improbitas & peruicacia prætoriani militis, quanquam magna erant quæ proponebantur: Siquidem vberiora præmia destinauerant animis, si pro temperato proboque principe, prodigijs ferox, & pacis impatiens, studio atque opera militum ad imperium eueheretur. Per hunc modum sua spe depulsus Baiazetes, dissimulandum sibi in præsens & compresso animi dolore ignominiam, quam occultè feredam existimauit, dum sese occasio conficiendæ rei aptior & tutior aperiret. Interea Selymus ab amicis certior factus quanto studio, quantaq; partium contentione prætoriani patris conatibus obstitissent, ne diutius hominum voluntates mora & tarditate frustraretur, nec propensissimis in se militum animis diffidere videretur, relictis Pannoniæ finibus exercituque in Thraciam ducto, non longè ab Hadrianopoli loco edito consedit. Vnde castrorum fremitus exaudiri, & tentoria è summis vrbis tectis conspici poterant. Mittitur inde ab Selymo in vrbe nuncius, qui mandata patri ferret

ferret. Eorum summa fuit desiderare se plurimum, qui per multos annos absens patrem non vidisset in eius cōplexus deuenire, antequàm Trapezontē peteturus mare traijceret, quando eum exacta & præcipiti ætate nunquam fortè esset interuisurus. Pertinere quoque ad quietem Asiæ liberorum q; concordiam si apud patrem, communem arbitrum & disceptatorem controuersiæ proponerentur, quæ sibi cum Achomate intercederent, nec tutò seruorum fidei committi possent: statueret colloquio diem locumq; deligeret, nec grauaretur exosculandæ manus facere potestatem quod obscuris & tenuibus amicis, nedum liberis, maiores tribuere cōsueuissent. Baiazetes qui paucis ante diebus cognito Selymi aduentu, planè q; perspectis eius consilijs, aliquot Sanzaccos cum delecto equitatu è proxima Græcia præsidio accuerat, & custodias in vrbe disposuerat, timens ne specie colloquij milites à filio amicis q; eius deprauati, qui iam tum onerati promissis atque muneribus occultè desciuerant, ab se penitus alienarentur, atq; ipse demum vel aperta vi, vel insidijs circumuentus opprimeretur, spem omnem colloquij tollendam iudicauit: grauiter incusato Selymo, quod alienam prouinciam introductis copijs occupasset, quod armatus colloquium postularet, quod denique sua humanitate ac patientia, tam insolenter abuteretur.

Non esse ab eo quicquam expectandum, quod ad concordiam pacemq; pertineat, qui externo equitatu circundatus, iniussu patris bellum pararet, & fidelissimas Othomannico nomini gentes, per quas iter faceret effusè popularetur, Proinde eum rectè facturum si Thracia, Europáque excederet, & dimisso exercitu in Pontum prouinciam suam reuerteretur. Hoc si faceret maiorem sibi quam vnquam antea apud patrem gratiam beneuolentiamq; paritum: si in incepto persisteret, se eum non pro filio, sed pro hoste habiturum, nec defuturos, qui tantam audaciam, summæ proximam perfidiæ statim vlciscerentur. Dimissis legatis, Baiazetes ea quæ sequuta est nocte per speculatores cognoscit Selymum motis castris recta Byzantium petiturum, quod ab amicis accersere tur, qui existimarent si ipse cum exercitu propius accederet, in vrbe intestinos motus orituros. His cognitis Byzantio timens, ne Hadrianopoli sedendo imperij sedes amitteretur, prima luce proficisci constituit. Discedente autem Baiazete, Selymus trepidantibus Hadrianopolitanis, ne si resisteret intempestiua fides exitio foret, vrbem ingreditur: recreatóque ex præsente vrbis copia vniuerso exercitu, quòd antea sibi animo agendum proposuerat, vt patrem antecederet, maioribus itineribus Byzátium versus contendit. Vix dum Baiazetes ad

vicum cui nomen est Chiurlus peruenerat (is medio fermè itinere à Byzantio viam militarem amplectitur) quum ab coactoribus agminis conclamatur adesse hostium antecursores, eos carpere nouissimos ordines, & iam lacessendo instandóque vniuersum postremum agmen demorari. Baiazetes noua re perturbatus magis, quàm territus, ne quid fugæ simile profectio habere videretur, statui signa omnémque exercitum consistere iubet, eo proposito vt si acrius instaret hostis acie decertaret. Duces & purpurati qui aderant aut vetere amicitia, aut noua inclinatione animi, aut spe cognationis atq; potentiæ in Selymum propensi, eiq; propterea obliquè callidèq; fauentes, non probare consilium imperatoris, quod leuitate atq; audacia filij vsq; adeo permoueretur, vt prælio rem committendam existimaret: funestissimam fore victoriam si inconsultè superbientem, ac nihil nociturum filium superaret. Contrà, patrem si fortè succumberet miserrimam conditionem, cum vniuerso exercitu subiturum, cuius euentus tanto periculosius instare discrimen, quanto ipse & rerum bellicarum apparatu, & numero copiarum esset inferior. Comprimeret irá, nec tot eximias laudes bello paceq; partas, in extrema ætate fœdo exitu maculare properaret. Vnum omnino consilium salubri prudétia plenum videri, si de profectione cele-

ritate q; nihil remitteret, & cõtinuò Byzantium proficisceretur. Selymum enim cito temeritatis pœnas daturum, si Byzantio excluderetur, nec dubium fore quin in reditu ab his quorum agros esset populatus, honestius quàm paterno gladio cum latronibus suis cæderetur. Huius sententiæ princeps erat Mustaphas antiquior è tribus purpuratis, qui summæ rerum consilio præpositi Bassauisir appellantur. Is tum ingrato prauóque animo Baiazetem, tanquam nimis diu regnantem fastidiens, oderat etiam propter priuatas offensiones, ex collegarum æmulatione conceptas. Selymum verò ingenij atque oris indole Mahometem auum referentem, à quo ipse fuerat educatus, tanquam imperio dignissimum occultæ properstione animi prosequebatur. Erat Mustaphas ex oppido Seres, apud Amphipolim Græco sacerdote genitus, ingenio vafro, subdolo, semperque venali, quos animi morbos maligno obtutu, distortisque oculis præferebat. Secundum Mustapham erat Bostanges hortorum præfectus, ex Ducagina familia apud Aetholos clara, & illustri, propterea Ducaginoglis appellatus, homo auaritia, ambitione, perfidia infamis, vt & postea turpissimus vitæ finis ostendit. Huic Selymus filiam ætate iam nubilem in præmium corruptæ fidei, occultæ pactione desponderat. Quibus etiam artibus Aiacem Ianizaro

rorum prætorij præfectum perpulerat, vt sibi ad imperium, quò se fatis vocari prædicabat, contendenti, studium suum operámque præstaret: centurionesque singulos opimi donatiui promissione in partes traduceret. Eodem cæteri minores duces, aut eadem præmiorum spe corrupti, aut potentioribus refragari non ausi, inclinabant. Vnus omnium Cherseoglis Bassa vir egregiè probus, sine vllis fallacijs, constanti atque integra fide erga imperatorem eundemq; socerum, Selymi impotentiam supra fas & æquum insolescentis, retundendam vt, armisque censebat. Non laturos inermes Scythas, vel numero superiores, primum prætoriani equitis impetum. Ianizaros verò quorum fides cognita, & multis periculis spectata virtus esset, inuicti imperatoris deque ipsis optimè meriti salutem et dignitatem vtique defensuros atque ab eo vindicaturos, qui nec Deum scelerum vltorem timeret, nec paricidij nomen, apud homines vereretur. Prodiret modò ipse ad milites vultu, fiducia pleno, hortaretúrque, vt acceptorum beneficiorum sacramentique meminissent. Admonet me locus postquam in mentionem Cherseoglis incidimus, vt propter viri claritatem, cum summa erga Christianos pietate coniunctam eius ad Turcas transfugij causam paucis enarrem. Non enim vt cæteri ferè omnes à prima pue-

ritia per delectus Christianis parentibus erepti, sed iam planè vir, ita à morum religione discesserit, vt nunquam ex arcano veræ pietatis obliuiscereturIs Chersechij reguli in Illyrico, ad montem Nigrum filius, quum adamata ei sponsa quæ erat è stirpe Seruiæ Despoti, ad paratas nuptias duceretur, concupiuit eam illico, quòd esset egregiæ venustatis, procaci oculo improbus pater omnemq; pudorem superante libidine, sibi statim impotenter excluso filio nuptias celebrauit, frustra reclamantibus propinquis: qui id facinus filio contumelioſum patrique & domui infame detestabantur. Itaq; inuenis tantæ iniuriæ indignitate commotus, præcipitiq; actus desperatione, ad proxima Turcarum præsidia, atq; inde Byzantium se contulit. Hinc mirari licet quantum in eo fortuna potuerit. Productum siquidem Baiazetes, cùm læto ore, quòd erat nobili claroq; patre genitus, excepisset & transfugij causam probasset, subridens, esto, inquit pucato animo generose, ab ista indole tua maiore multò quam paterna domus ferat, sorte dignissime. Iam tibi proerepta sponsa obscuri & exulis reguli propinqua maximi imperatoris filia, eaque præcellentis formæ matrimonio tradetur. Nec multò post abiurata Christi religione, Stephani q; nomine depositoAchomates & Cherseoglus vocatus, Baiazetis gener effectus est, indeq; locum summæ

summæ dignitatis inter Bassas purpuratos promeruit: tanto tamen nostræ religionis studio, redeundique desiderio, vt quum in arcano animi nostra religio conderetur, crucifixi seruatoris imaginem, in secretissima cubiculi parte armario inclusam, noctu excluſis arbitris, adoraret. Hoc nos à Ioanne Lascare, cui ipse tanquam amicissimo eam imaginem ostendit, accepimus. Hic Methone capta, patritios Venetos, quum reliqua captiuorum multitudo, crudelem in modum Baiazetis iussu in eius conspectu trucidaretur, exorato principe conseruauit, Andreamq; postea Grittum, quem aliquot post annos inclitæ virtutis nomine Veneti principem creârunt, captum Byzantij, teterrimoq; supplicio destinatum, nō modò suis precibus eripuit, sed impetrandæ pacis magno Reipublicæ Venetæ commodo authorem fecit. Innumerabiles Christianos barbaris seruientes, cùm authoritate, tum ære suo piè redemit. Nec illud quidem ergà literarum studia eximiæ benignitatis officium prætermittendum videtur, quòd Lascari, quem supra memorauimus Græcorū nobilissimo pariter atq; doctissimo antiquos codices iussu Leonis decimi conquirenti, cunctas Græciæ bibliothecas impetrato ad id regio diplomate, liberè excutiendas aperuit. Huius igitur viri Baiazetes, ea quam supra diximus adhortatione cōfirmatus, quum è prætorio in-

audientium tam hostium, suorumque trepidantium strepitum, clamoremque audiret, & sequentes nunciarent Selymum direptis aliquot sarcinis, Tartaricum equitatum extremo agmini circumfudisse, fremens & præ impotenti ira lachrymas fundens, è tabernaculo prodit. Vehiculo impositus quòd pedibus ager equo vti non poterat, conuersúsque ad prætorianos de more circumfusos, patiemini, inquit, alumni milites, custodésque corporis mei, qui triginta amplius annos mecum summa felicitate militastis, & bello pacéque ea præmia tulistis, quæ & spe vestra, & ararij facultate, ampliora consensus vester actis cumulatè gratijs iudicauit, patiemini, inquam, à nequissimo filio nihil tale meritum patrem, à fœdissimis latronibus vestrum imperatorem morbi senectæ, vitijs confectum, crudelissimè trucidari? Deseram ego in hac mea tristi cantie, extremóque ætatis actu, & per eos hostibus tradar per eos, inquam, qui quondam summa fide eximiaque virtute, & dignitatem meam aduersus Gemem fratrem, atque hoc ipsum sæpe imperium aduersus bellicosissimas gentes tutati sunt, & fortiter defensum felicissimè prolatarunt? Neque verò ego, quæ de alienatione exercitus ad aures meas, cum maximo meo dolore perferuntur tam facilè credidérim, neque si maximè credam, tanti timoris

moris sim, vt aut animo deficiam, aut durius consulendum mihi existimem. Nam quid ego de fuga cogitem? Velut alibi fideliora quàm apud vos, & maiora præsidia paraturus? Quæ porrò vestra spes est, quanquam infamis, & perdita? Si qui vestrum (neque enim omnes ita insanire crediderim) nulla sacramenti reuerentia, nullo hominum pudore, nullo cælitum metu, animum summi sceleris cogitatione maculastis maiora ne præmia ex defectione atque perfidia quàm ex fide constantique officio consecuturos vos esse confiditis? At etiam nonnulli impudentissimè suadent, vt agrum hoc & exangue corpusculum, melioribus casibus seruem, & me fugæ atque dedecori tradam, potiusq; salutem cum ignominia, quàm decorum honestúmque vitæ finem cum dignitate & gloria complectar. Quod tantum abest, vt vllo metu perterritus faciam, vt contra nullam prælio moram sim facturus. Periclitabor in meo hoc supremo discrimine fidem virtutémque vestram, & sigillatim omnium voluntates, vt aut magno Deo auspice perditissimi hominis impetum frangam, aut certè cum alijs, qui in officio fideque perstiterint, honesto vitæ exitu triginta annorum imperator à custodibus corporis fœdè scelestéque proditus ac destertus occumbam. Hac oratione permoti ex Ianizarorum ordine gregarij mili-

tes, quibus propter eorum leuitatem & multitudinem, duces atque centuriones ab Selymo pecunijs expugnati, consilia transferendi imperij minimè communicauerant, conclamare cœperunt, ne dubitaret prælium committere, & suam fidem pristinámque virtutem experiri, tantæ quidem alacritate ac studio omnium, vt voce, manibus, & telorum crepitu se fortissimam operam præstaturos significarent: & magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere viderentur. Hos cæteri eodem clamore secuti sunt, qui iam animo in Selymum inclinauerant, & illi in primis exercitus, atque aulæ principes commutatæ voluntate, siue pudore sceleris, siue eo metu, ne si intempestiuè contra multitudinis opinionem atque iudicium aliquid tentaretur, exitiabili incepto, & Selymi spem omnem abrumperent, & sese præcipites darent. Igitur, vt est eorum hominum consuetudo, qui mobilitate atque malitia animi dum conuinci, aut deprehendi maximè timent, præsenti perfidiæ secundum scelus nouámque perfidiam addunt. Mustaphas atque Bostanges ad cohortandos milites instruendámque aciem, vt palàm summum erga imperatorem studium simularent, è prætorio discedunt. Baiazetes curru vectus, monente atque instruente Cherseogle acies hoc modo constituit. Vniuersum Sanzacorum equitatum (erant enim circiter sex millia) præcedere, prætorianas verò nobilium alas, quas Spachioglanorum & Siliphtarorum vocant, ex institutæ regij agminis ratione à dextra leuáque prætoriæ phalangis vbi ipse erat, latera stipare iubet, præsidio autem impedimentis ad quatuor millia seruorum equitum relinquit (His cultu apparatúque armorum auratis cristatisque capitum tegumentis, etiam ipsos Sanzacos & purpuratos, dominos suos virtute æquantes cum præsidio, tum splendori & pompæ habentur) ac demum signa canere, rubrúmque vexillum explicari imperat. Ex aduerso Selymus Tartaris in vtroque cornu, Turcis autem in medio collocatis, lunata acie, quòd multum equitatu valebat, paternas copias ferè vndique circumplexus, impetum fecit. Tartari, quum ad hostem intra semistadij spatium peruenissent, agminatim more suo sese in gyros magnósque orbes introrsus vacuos, coronæ modo decurrentes, vt aduersi auersique pariter sagittarent, magnam vim sagittarum vniuersa propè acies superfuderunt, cum insigni vtique Turcarum equitum equorúmque maximè detrimento, quum Tartari, qui introrsus à prima ipsorum acie sunt non recta in hostem, sed in cælum sagittent, vt sagittæ grauiore impetu ponderéque decidentes

dentes, inermia capita & nudos equorum clunes armósque ex alto feriant. Sed veterani equites Sanzacorum vsu edocti, elatis supra capita scutis, veluti in coherentem testudinem constipati, eum sagittarum imbrem constantissimè pertulerunt, concitatisq; equis, & intentis hastis, ad congressum manumq; venire properarunt. Neque prætorianus eques occasioni defuit, quin in mediam Selymi aciem vbi Turcæ equites erant inueheretur, atque ita repente factum est, vt tria prælia tribus in locis vno tempore simul arderent. Nam Aiax septingentos circiter sclopettarios è Ianizarorum phalange detractos, Tartaris in extremo eorum cornu opposuerat, & seruorũ ala, quam diximus impedimentorum præsidio relicta, vti erat nauandæ operæ cupida, altero cornu Tartaros sarcinis hærentes eum multa cæde repulerat. Pugnatum est à meridie ad occasum Solis Selymo multũ in locis prælium restituente, longéque omnium acerrimè fortissimèque pugnante. Sed quum fugæ initiũ iam ortũ esset ab his Tartaris, qui sclopettariorũ procellam & creptum, pauentibus præsertim eorum equis, & retro vel inuitos sessores asportantibus, sustinere nequiuerant, reliquæ acies quin fugæ se darent, neque imperio, neque minis instictis etiam vulneribus contineri potuerunt, atque

atque ita pedites ferè omnes, quos Selymus Ianizarorum cultu armauerat, ab equitatu victore vndique circumuenti trucidatique sunt. Selymus vbi fusas prostratásque copias vidit, quòd vulnere accepto tardabatur, in recentem equum illatus, ereptusque periculo à turmis Turcarum suorum quæ superfuerant, Tartarorum ante abeuntium vestigijs insistit. Nec multo pòst victores scilicet subsequi & iam adesse ratus, cum paucis incitato perniciissimi equi cursu, sese vtriq; fatis suis reseruãs, Varnã perfugit. Erat is equus vnicolor absolutæ nigricie, cui Carabulo, id est, atræ nubi nomen fuit: huic postea Selymus tanquam emerito vacationem dedit, sic, vt in honore habitus sine sessore, sola ex textili auro stragula protectus, ad Persas vsque & mox in Aegyptũ deueheretur, eiq; demum mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplum secutus sepulchrum condidit, regio quidem animo, nisi necati ab eo fratres, sepultura honore caruissent. Baiazetes ea die ex his qui cum Selymo fuerant pauciores dimidia parte cæsa aut capta, sexcentos tantum equites peditesque desideranit, Scythicis autem sagittis amplius tria millia hominum vulnerata reperit: quod detrimentum summa crudelitate mox expiatum est: productis enim captiuis ferè omnes in conspe

conspectum, iubente eo trucidantur. Ab hac memorabili pugna Chiurleus pagus, antea obscurus & ignobilis, claritatem accepit. Sed multo quidem maiorem à fatali Selymi sorte, quum paucos post annos eodem in loco Selymus pestifero atrocique ictus morbo, immaturum acerbissimúmque vitæ finem inuenerit. magno Deo (quod credi par est) primæ temeritatis scelus vindicante, & patrati paricidij iustas exigente pœnas. Neq; enim superi eos in terris diu felices esse volunt, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerint.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XIIII.

BAiazetes secundum eam victoriam Byzantium reuersus, primum omnium donatiuum militi exoluit, coactisque ad opus circiter quindecim seruorum millibus, mœnia terræmotu multis in locis hiantia aut collapsa restituit, deditque operam mitescente iam pestilentia, vt reuocatis incolis, diu intermissus aulæ splendor, & pristina deserta vrbi frequentia redderetur. Interea Achomates, quem vix dum pacata Cappadocia propter fratris profectionem, & famam comparati exercitus ab Amasia mouisse demonstrauimus, cum viginti millibus armatorum per Galatiam atque Bithyniam, Scutarium venit, id oppidum Chalcedon olim fuit, pertinet q;

tinétque ad Thracij freti angustias contra Byzantium, positisque iuxta litus tabernaculis, quid pater ab tanta victoria consilij caperet, oppertebatur. Etenim eius animũ summa obtinendi imperij spe impleuerant, præter iuris prærogatiuam, patrisque iudicium & popularis fauor, & propria virtus. Igitur frequentes nuncios Byzantium lembis dies noctúque transmittere, Baiazetem per literas summis precibus obtestari, & orare, vt maturè quod animo destinarat, in ea rerum occasione perficeret. Amicos verò ac familiares suos solicitare, vt propensiorem sibi redderent, patrem, consilia creandi regis magis & magis laudarent: daréntque operam, vt postquam Selymi temeritatem atque impetum Dei & Fortuna ex merito cofregissent, ipse amicorum beneficio subleuatus, & suo iure, & rerum imperio potiretur. Baiazetes qui vetere suo proposito totus in Achomatem ferebatur, his quoque sermonibus ad id, quod sibi constituendum esse decreuerat, facilè perductus est. At protinus patefacto consilio triremes exornari iubet, quibus Achomates ab Chalcedone Byzantium aduheretur. Sed milites præfectique quos Selymo fauere supra docuimus, iterum refragari, eademque illa memorare, quæ apud Hadrianopolim adduxerant: in summa, non esse passuros eum tanquam ætate inutilem eiurare imperium, qui modò forti constantique animo pro imperio ac dignitate feliciter dimicasset: se Baiazete incolumi neminem alium imperatorem salutaturos, neque se tamen spem præcidere Achomati, neque verò ipsum voluntatibus militum debere diffidere, quin eorum fauore & studio, vir cognitæ probatæq; virtutis & ius æquum, & imperium, quod sine controuersia ad ipsum tanquam natu maximum pertineret, suo tempore posset adipisci: satis superque recenti prælio demonstratum esse, quantum spei ab imperatore in militum animis sit reponendum, qui pro fide atque officio offerre se morti, & iniquissimo prælio non recusarint. Hac militum consternatione Baiazetes spe sua deiectus, siue (vt aliqui crediderunt) regnandi consuetudine allectus, quòd ab recenti victoria, neque senem se, neque inualidum ad regendam eam imperij molem, veluti redintegrato quodam animo vigore iudicabat, Achomatem monuit, vt ab Chalcedone abscederet, atque in prouinciam suam reuerteretur, se tunc eum Cappadocia accersiturum, quum liberalitate mollitis prætorianorum animis, & collecta sensim principum gratia melior conficiendæ rei occasio præberetur. Achomates spe atque opinione fraudatus, seq; & à patre deluditi.

& à prætorianis militibus despici questus, nouis precibus minas addit, in patrem acerbè inuehitur, quòd se tot terrarum spacia emensum, ipsiusque præsertim literis euocatum, despectui omnibus atque ludibrio exponeret. Quòd si Baiazetes desipere perseueret, & tanti gratiam faciat prætorianorum, vt pro illa nec æquitatis, nec promissorum suorum rationem habendam putet, se dignitatē suam, quam apud parum æquum patrem obtinere non possit, armis vindicaturum. Ad ea Baiazetes per Cadilescherum sacræ legis interpretem summæ apud eos authoritatis virum, respondit, nec cautè satis, nec prudenter eum facere, qui insolentius irascatur, quum beneficium, quod sola benevolentia comparari possit, vi & contumelijs extorquere contendat: omnia esse integra reseruari: cessurumque ei proculdubio imperium, nisi præpropera festinatione spes suas corrumperet, quas tolerantia atque expectatione alere deberet. Discederet ex recenti exemplo, fortunaque Selym fratris, quod ipsi quoque vsui salutique esse posset, longè periculosius esse violentia audacia quàm considere, quàm peruersos animi impetus recta ratione moderantem opportuna temporum & rerum momenta expectare. Achomates quum mandata patris exponerentur ira atque dolore inflammatus, patris legatum

tum obliquis verborum contumelijs dehonestatum, propè violauit, crebro dictitans, & patrem commutatæ voluntatis, & proditores perfidiæ propediem pœnas daturos: motisque propere castris Bithyniam, per quam iter faciebat, hostiliter depradatus, Amasiam rediit. Ibi magis ac magis repulsæ dolore atque ignominia extimulatus, consilium cepit inuadendæ minoris Asiæ, vt si de Byzantij imperio armis certandum foret, amplissimis eius prouinciæ opibus vteretur: vel si id minus consequi posset, dimidium saltem regnum transmarinis regionibus in potestatem redactis, in omnes belli euentus occuparet. Itaq; vocatis ad se Amurathe atque Aladino adolescentibus filijs multum de inimicorum acerbitate alienationeque Baiazetis conquestus, docuit nihil sibi sperandum de successione imperij nisi protinus arma capesserent, ac dignitatem suam aduersus inimicorum iniurias tuerentur: Posse facilè minorem Asiam occupari si celeriter audendum sibi existimarent, quando Pisidia, Lycaonia, atque omnis Pamphylia & Ioniæ ora, nullis exercitibus aut classibus tenerentur. Corchutum quoque vel sua animi tranquillitate atque otio contentum fore, vel æquitatis atque iusticiæ studium partes transiturum, sin securas res suas duobus permiscendas putaret, & pararet arma,

cum protinus ad primum belli impetũ possessione ditionis excessurum: Cæteros autẽ prouinciæ regulos illius authoritatẽ vel fortunã secuturos, Proinde virilem animũ induerẽt, & in proximas regiones ad delectus habendos, & ad omnis generis præsidia cõparanda proficiscerentur. Adolescentes, & propria indole & paternis adhortationibus excitati, imperata faciũt. statimq; ex amicis militibus, seruisq; præsertim egregiam armatorum manum cogunt. Ipse verò præter veterẽ exercitum quẽ aduersus Persas habuerat, nouos milites conscribit, ex finitimis vrbibus strenuissimũ quẽque euocat, percurritque prouinciam, & se ipsum Asiæ regem declarat. Eos porrò qui nõ statim se dedere velint, ipse & Amurathes & Aladinus diuersis in locis bello persequuntur. Eo terrore circunducto multæ vrbes aut debili, aut nullo penitus muro cinctæ, pars voluntate, pars metu atq; armis expugnatæ, in potestatem Achomatis deuenerunt. Inde progressus in Lycaoniæ interioris q; Ciliciæ fines, Mahometẽ fratris filium, qui regionibus Caramanno proximis imperabat, per legatos et literas hortatur, vt sibi auxilio esse velit ad recuperandam dignitatem atq; vlciscendas iniurias aduersus eos, qui Baiazetẽ dolis malignisq; persuasionibus ad se deductũ depraua-

tumq; eo perduxerũt, vt alium quam primogenitum filium imperij hæredẽ constituendum existimarit. Dijs tamen bene iuuãtibus se præoccupaturum eorum malitiam, ac vindicaturum armis, quod sibi iure deberetur, si Mahometes arma, milites, frumentumque in castra trãsmitteret, fauerétque honestissimæ causæ, repertum eum longe meliorem patruum, quàm ipse patrem inuenerit, qui si secum amicè ac liberaliter ageret, cumulatissimas gratias in posterum esset relaturus. Mahometes aliquid earum rerum quas peteret se facturum negai, nisi aui Baiazetis literis id facere iubeatur, ad quẽ summa imperij respiceat: non esse sui iudicij discernere an iure rectéq; fecerit Baiazetes quòd se sessite regnũ filio tradere noluerit. Cæterũ non ignorare nulli alteri parendũ esse viuẽte imperatore in cuius verba et Sciãscious pater, & ipse iurauerit, propterea debere cum iracũdia modum imponere, ne quum inimicis nocere se speret, cũ magna omniũ inuidia patri noceat: & spem & dignitatẽ suam, quæ ex meritoſi patiẽtia vtatur paululúmq; cũctetur, maxima futura sit, præpropera animi perturbatione corrũpat. Achomates qui præsto sibi assuturũ Mahometem crediderat, quum postulatis suis grauius cõsideratiũsq; ab iuuene responderetur, exercitum in fines eius ducit, & regionem igne ferróque deuastat. Nec multo pòst

Mahometem ipsum cum exiguo exercitu subsidio suis venientem, supra Larandam in itinere profligauit, compulsumq; in oppidum per aliquot dies obsedit, ac demum accepto in deditionem oppido, eum cum impubere fratre Siriam cœpit: consiliarios verò atq; nutricium quorum consilio persuasum Mahometem, atq; in id discrimen adductum fuisse putabat, interfecit. Quibus de causis Baiazetes ira ac dolore perturbatus, quòd in ea ætate oppugnari ab duobus filijs calamitosum & planè miserum esse prouidebat, legatos ad Achomatem mittit, qui furentem grauibus verbis castigarēt, & Mahometē fratremq; eius è custodia educi iuberent. Si id impetrari, aut ea vis insaniæ leniri nō posset, bellum indicerent. Sed ille, qui quanto ambitiosius post repulsam ad imperiū anhelabat, tanto acerbius atq; crudelius sibi agendum arbitrabatur, principem legationis bellum atq; extrema quaq; audacius comminantem in conspectu iugulari, & cæteros ante vesperā castris excedere iussit. Ea res tunc maximè Baiazetis exulcerauit animum, & ab Achomate cōplures mortales alienauit, quòd legatos ad componendam controuersiam missos, contra ius gentium inhumanè admodum ac nulla patris reuerentia violasset. Conclamant prætoriani qui in statione erant, ita vt Baiazetes exaudiret, non ferendam esse temerarij

rarij hominis audaciam, sed protinus sceleri armis obuiam eundum. Impunitate ac mora valefacere malorum vires si cunctetur imperator ac mitius agat, eū mox auxilium atq; opera frustra à militibus imploraturum. Mustaphas quoq; & Bostanges ac cæteri qui Selymi rebus occultè fauebant, atq; hæc per idoneos homines singulari calliditate in vulgus militum spargi curauerant: Mussare primo, atrocitatem sceleris admirari, veluti damnarent quidem crudele factum, authorem verò minimè criminarentur. Mox vbi Baiazetem proprio ardore & vocibus militum satis incitatū, & ex fiducia superioris victoriæ ad vlciscendum iniuriam paratū vident, quàm acerbissimè & crudelissimè in Achomatem inuehuntur, eū, vt parricidam, vt imperij hostem, bello persequendum censent: tollentq; subinde ad cælum laudibus militum fidem atq; virtutem, qui pro salute ac dignitate imperatoris nouos vltrò labores sibi expeterent. Ita Achomates astu atq; solertia ducū, patris iracundia atq; omnium deniq; militū iudicio hostis declaratur, decernuntur prætoriana cohortes, & magna pars Europei equitatus, quibus primo quoq; tempore aduersus eum in Asia bellum geratur. At quū belli dux virtute armorum q; peritia insignis deligendus esset, atque ea maximè cura ad Bassas pertinere videretur,

cœpere omnes aspernari honorem illum, & pro se quisque id munus abnuere, atque indignum esse testari. Vt serui auspicijs imperatoris, filius oppugnaretur, milites quoque nihil se aduersus regiam prolem ausuros prædicabant, nisi vnus ex ipsa Othomannorum domo copijs & summa rerum præficeretur. Sic quondam Gemem eius fratrem in Cilicia res nouas molientem & proximè Selymum nõ alijs quàm Othomãnis ducibus debellatos. Hæc illo perspicuè pertinebant, vt Selymum, quem occulta beneuolentia prosequebantur (tametsi illum nisi probri causa nominare non licebat) obliquis artibus patri reconciliarent, viamq; ei reditus Byzantiũ hac ratione præstruerent, quoniam nec Baiazetem senecta & valetudine conflictatum, nec Corchutum hominem philosophum, eius belli prouinciã petituros arbitrabantur, vnum autem Selymum ex Othomannis superesse, ad quem nepotibus per ætatem minus idoneis exercitus imperium deferretur. Ad eas voces Baiazetes perplexo atque æstuanti similis in prætorium se contulit, morbũ & inutiles annos incusans: querensq; quòd Corchutus dum inane sapientiæ nomen & vmbratile vitæ genus sequeretur, digniores regiæ fortunæ artes, & honorationa vitæ subsidia reliquisset. Hæc dicentem, volutantemq; animo, Mustaphas lenire omnes eius curas assuetus, in varios sermones de summa belli consultatione pertractum, paratæ orationem ita allocutus est. Noli existimare Imperator etiam si per prosperã valetudinem ætatemq; liceret, aut transmittendum exercitum, aut omnino tibi in Asiam trajiciendum ne dum tota Asia vagum Achomatem bello persequeris, longè acriorẽ hostem in Europa relinquas, qui Thraciam, Græciam omnem, atq; Byzantium nudatum præsidijs inuadat. An non audimus Selymum supra Varnam alias parare copias, nouum ab socero equitatum expectare, atq; imminere iterum ceruicibus nostris? An forte illo non maiores spiritus gerit, quàm aut animo frangi possit, aut hac vna atq; fortuita dimicatione superari? aut si veteranos in Asiã transmiseris, Corchutumq; cũ suis superioris anni delectibus, qui te ægro Selymi conatibus obstet, in Europam euocaueris, timebit ille tyrones Asiaticos, aut philosophũ ducem, qui prætorianos, robora virorum toto orbe conquisita, ac te ipsum veterem & felicissimum imperatorem timere noluerit? Falleris Imperator, & ancipites rerum casus nõ perspicis, qui cũ duobus vno tempore in diuersissimis Asiæ atque Europæ partibus bellum gerendum esse non cogitas. Etenim dum illum Cappadociæ finibus exturbare contendes, hic propior & occasioni imminens à tergo, in media regni viscera bel-

lum molietur. Sin periculi magnitudine permotus, & Thraciã tueri, & prætorianos retinere volueris, ardebit in cõspectu Asia omnis, nec ille iniurijs aut bello finẽ faciet, donec sibi Asiæ imperium vẽdicarit. Ergo si nõ culpa sed fato & fortunæ tuæ datũ est, vt duo ex te geniti omniũ cõsensu, patris & patriæ hostes iudicẽtur, quorũ alter temeritate præceps, alter superbia & furore actus, belli intulerint, cur in tã impedito difficiliq; negotio, tũ consilia specio sis non anteponis? & quos vno tempore castigare viscisci q; nõ potes, eos singulos atque inter se dissidentes per occasionem aggrederis. Hæc spes vna salutis, hæc vna via est, si clauũ, (vt dicitur) clauo trudendum, at q; hoste vincendum censueris. Comprime tantisper vindictæ ardorem, & dissimulata in præsens agritudine animi, alteri inducias simulatam q; pacem concede, alterum verò alterius ausu periculoq; in vtrunq; casum prospero euentu bello persequere. Opprimes eum mox quum voles, cui signa exercitum q; tradideris, erunt enim scelerum vindices, militũ dextræ, & tu summa tua securitate bellum conficies, obiectando periculis quem & vincere velis, & eundem interire desideres. Mustapham loquentem adhuc cæteri purpurati, vt inter se constituerant, exceperunt, compositi isq; in eam sententiam orationibus, Baiazeti persuadere cœperũt, vt Selymum

lymum belli ducem deligeret, illum satis pœnarum suæ temeritatis dedisse. Proindeq; veluti castigata arrogantia in officio fidelissimè permansurum, Achomatem verò non facturum quicquam pro sano, qui patris oratores violarit, nisi & ipse armis, vt Selymus nuper victus fugatusque fuerat, tota Asia pelleretur. Baiazetes quòd in ea re admodum graui explicanda Cherseoglis solus ferè omnium fidelis sub tristi vultu mussaret, diu in incerto habuit quidnam consilij potissimum caperet. Obuersabantur animo grauissimæ offensiones, secumque ipse reputabat Selymum ex Asia inuasisse Europam, occupatam ab eo Hadrianopolim, in acie se circumuentum, petitum se Scythicis sagittis, ac solo propè Deorum beneficio discessisse victorem. Illinc contemptæ imperij, nepotes bello capti, iura legatorum violata, subactæ vrbes, atque Asia omnis perturbata, ardénsque miserabilis belli incendio, iracundiam & vindictæ desiderium acuebant. His auxium curis insignes Graco astu immaniq; perfidia consultores, vel reclamante Cherseogle, perpulerunt, vt literas ad Selymum sua manu conscriberet, quibus priorem ei gratiam obliteratæ præteritorum memoria polliceretur, deferrétque copiarum imperium si Byzantium quamprimum veniret, & aduersus Achomatẽ in Asiã proficisceretur.

retur. Dum hæc Byzantij parãtur, Corchutus ab amicis & familiaribus suis per literas edoctus, quãta imbecillitate pater senex, quibusue consilijs post declaratũ hostem Achomatem vocare ad se Selymum, atque eum ducem exercitus declarare contenderet, è Magnesia Phoceã descendit, conscensisq; triremibus Byzantiũ adnauigauit. Igitur magno comitatu amicorum progressus in intimum prætorium, postquam patrem dextra osculo petita salutauit, eum post varios sermones in hunc modum allocutus est. Trigesimus agitur annus pie atque optime pater, ex quo prærogatiua militari consensu ciuium, totiusque aulæ principum iudicio creatus, atque acclamatus imperator, hoc regnum possessionemque huius imperij lubẽs ac volens tibi de manu tradidi, quod quis tandem mortalium nisi, aut insanus, aut optimus vnquã feciſſet? Non enim vi, nõ metu impulsus, sed sola tui reuerentia id religiosi gratiq; animi specimen edidi. Neque postea me in tot annorum decursu eius singularis officij, & representatæ pietatis vnquam pœnituit, quando his quæ possidenda concesseras, & clarissimi facti laude contentus fortunam hanc tuam, & sublime mortalitatis fastigium cum tranquillitate, atque otio studiorum meorum minimè comparanda esse censebam, quæ alienum prorsus à decreto compositi animi, inan

inanéque esset ea appetere, quæ ambitiosi animi desiderium non finirent, & multo meliora cunctis imperijs contemplanti animo virtus ardua, & prædulcis diuinarum rerum cognitio polliceretur. Hæc me vadentem via, & hæc tua regna fastidientem, quum religionis ac sapientiæ causa in vltimam Arabiam ad aram Diui Mahometis, & ad Indos, tanquam exactioris disciplinæ professores contenderẽ, medio itinere per Memphiticum regem ex Aegypto in Phrygiam retraxisti, iussisq;, vt euitatis (quæ necesse erat adire) periculis, consideratius vitæ salutiq; consulerem, & pietatis erga te meæ, & tuæ erga me beneuolentiæ fructus opperirer: ceu ventura essent tẽpora quibus propter malorum ingenia, tibi atque Othomannorum familiæ vsui, atque subsidio esse posse virum innocentem atque philosophum existimares. Itaque ab eo tempore semper & parui imperijs tuis, & quantæ maximè potui curæ atque iustitiæ prouinciæ meæ satisfeci, & proximo Persarum bello paraui eduxiq; exercitum, quo fines ab incursionibus Barbarorum tueremur. At cum illis minore Asiæ pulsis profligatisq;, impij ac perditissimi fratres, alter in Europa nefario scelere te patrem ætate confectum, & neruorum dolore cruciatum, vt regno pelleret & interficeret, in acie circumuenisset, alter in Asia summa tem

ma temeritate atque perfidia illic regnum occupaturus fratris sui filios adolescentes optimos tibiq; maximè fideles obsedisset atque cepisset, existimaui huc mihi omnino esse trajiciendum: quòd non sine Dei optimi maximi prouidentia fieri intelligebam, vt eo maximè tempore à te prudentissimo atque humanissimo patre, principéque omnis æquitatis atq; iustitiæ cultore sanctissimo meorum erga te meritorum parem gratiam postularem: quo tu fratrum meorum scelera expertus id rectè & commodè præstare posses, quod etiã nullo meo simili officio prouocatus certissima ratione concedendum arbitrareris. Igitur te pater optime oro obtestorq; per fidem erga te meam perpetuámque pietatem, vt antequam Selymus aduenias, & dignitati meæ prospicere, & consulere imperio velis. Tollet ille quum armatus irruperit iura omnia constituendæ pacis, & fauore militari cuncta miscebit. Audio enim prætorianos & duces exercitus conuersis in eum studijs occasionem circumspectare, vt quem inuiti acie profligarint, eum vltrò imperatorem atque Sulthanum salutent. Proinde imperium quod optimo iure meum est, & antiquæ meæ erga te pietatis insigni merito debetur, dum potes, dũ in manu tua est, in hac eadem quàm præcipiti rerum occasione restitue. Frustra enim æquissima causa fauebis,

bis, quum recepto intra vrbem nefario ambitioſoque homine imperium & libertatem amiseris. Bajazetes Corchutum vix tenentem lachrymas, & ipse tenero confusus affectu miti oratione consolatus bono animo esse iussit, aperuitq; consiliorum suorum causas, paratum se reddere imperium: sed quominus id statim faceret, impedimento esse prætorianos, qui nuper consilijs suis obstiterint. Illos enim si vel minimam eius rei suspitionem inijceret, etiam atque etiam aduersaturos. Vno eo consilio sub specie honoris detrahi tandem ex Europa Selymum, & ablegari in Asiam prætorianos: quorum absentia sibi merum ac liberum imperium relinqueretur, traditurum se protinus sceptrum quum illi mare traiecissent. Nec credere præfectos & milites qui se nuper acie circumuentum fortiter egregiéque defenderint, aut insidias molituros, aut recentis facti gloriam turpi facinore maculaturos. Quin & sperare, superis ita volentibus qui immanium scelerum vindices semper extitissent, Selymum & Achomatem si semel acie conflixerint, mutua crudelitate perituros: Corchutus, siue probata ratione paterni consilij, siue cognita eius voluntate, verbis minimè disceptandum existimans, non sine spe potiundi imperij ad amicos rediit, egitq; Byzantij plures dies, nec tamen aut militum, aut ducum sibi quenquam

quam vel largitione vel præmiorum pollicitatione conciliauit, quod ambitione aut pretio petendum minimè iudicabat, id quod sibi iure optimo ex paterna gratia deberetur. Interea Selymi familiares, eum de Corchuti aduentu certiorem faciunt, admonentq; vt iter maturè capiat, & Byzantium approperet: imminere enim periculum ne Baiazetes, & senex & inconstans, maioris filij precibus delinitus expeditam perficiendi negotij rationem interpellet atque discutiat. Selymus qui in vnam eam curam excubabat, vt si vnquam sibi occasio adeundi exercitus præberetur, ipse statim spe ingentium præmiorum corruptis omnibus ordinibus imperium arriperet, nullam professioni moram fecit, & modico equitum comitatu, cæteris subsequi iussis, Byzantium peruenit. Corchutus cũ purpuratis primoribusq; aulæ, & magna parte prætorianorum ad portam vsque obuiam progressus, introeuntem osculo excepit, deduxitq; per mediam vrbem, effuso passim omni populo ad spectaculum hominis immani audacia scelere conspicui, crebrisq; subinde dissolis tormentis in letitiæ signum, inter faustas acclamationes puerorum atque militum: vt facilè appareret omnem recentis noxæ inuidiam decessisse, eúmque mox omnium iudicio rerum imperio potiturum. Postero die Selymus in prætorium venit,

supplex q; & pedes patris exosculatus, temeritatis suæ veniam postulauit. Ad quem Baiazetes summa lenitate subridens, errata, inquit, tua Selyme fili eo minora sunt, quòd celerem pœnitentiam inuenerunt, proinde libentius veniam do: sed in posterum age & enitere, vt qui tibi industriam fortitudinemq; tribuit Deus, & bonam quoque mentem dedisse videatur. Dignam quidem ausibus tuis belli materiam paratam habes, quò virtus tua enitescere possit. Nec multo post indicitur militare concilium de imperatore aduersus Achomatem deligendo. Selymus statim multis imperatorium nomen sibi deferentibus summo astu reluctari cœpit, negare se Corchuto fratri, qui ætatis honore prudentiaq; præstaret anteponendum, illi deberi iure honorem, illum summa authoritate sapientiáque bellum administraturum: se postquam paternam gratiam recuperarit, minimo quoq; loco contentum fore. Corchuti verò familiares, qui omnem spem suam atq; omnia consilia in discessu Selymi et prætorianorum collocauerant, eum rursus, qua si vtrinq; modestia certaretur, hortari, orarèque, vt eas partes susciperet, quæ sibi strenuo ac rei militaris peritissimo absq; vlla fratris contumelia deferrentur. Ita Selymus Corchutum fratrem atq; eius fautores miris artibus ludificatus, dum simulando aliud quàm quod

struebat, vana spe imprudentium animos pascit, omnibus suffragijs imperator exercitus declaratur. Extemplo nonnulli milites magnis acclamationibus non ducem eum modò, sed regem principemq; consalutant, & propere arma corripiunt, quibus flagitium suum atque perfidiam tuerentur, si meliores obsistere vel dissentire vellent, Selymus ipse deprecanti similis, quasi delatum imperium abnueret, & patris reuerentia permoueretur, modò se commendare militibus, donatiuumq; polliceri, modò duces orare, vt ad patrem pergerent, curarentq;, vt postquam ea mens exercitus foret, imperium sibi sine turba, & tumultu libenti animo traderetur. Mustaphas siue propria perfidia, siue mortis metu, quòd ei Selymus nisi hac patri renunciaret, mortis supplicium comminatus fuerat, ingressus ad Baiazetem qui clamoribus militum excitatus è cubiculo in apertiorem adium partem processerat, imperator, inquit, milites tui Selymum & ducem & principem in concilio salutarunt, postulantq; vt id ratum habeas, facturi mox impetum in regiam, vt te meq; trucident, nisi imperio cesseris. Petunt abs te illi summo consensu quod iam in alterius manum transtulerunt. Proinde longè periculosius est retinere quod amiseris, quam iam ereptam vltro concedere, quum id nulla vi, nulla ingenij solertia recu-

perari possit: Arma tenent, fremunt, & qui semel defecere, maiora etiam scelera meditantur, Baiazetes metu atq; ira perturbatus siccine inquit, perfidissimi tandem me proditis? summaq; mea in vos beneficia, tanta perfidia compensatis? Quin & hanc quoque animam eripitis, qui hoc corpusculum & instantem vitæ meæ finem expectare non potuistis, vt iusto legitimoq; principe eiecto, scelestissimum vobis imperatorem præficeretis? Sed habetote principem parricidam, daturi mox eo vindice perfidiæ pœnas, atq; ipse ab irato Deo maximo non dubio vltore scelerum, à scelere auspicetur imperium. Mustaphas cum Rostagne & Aiace statim reuersus ad prætorianos, nulla de dolore vel iracundia Baiazetis facta mentione, cedit, inquit, Baiazetes imperio & Selymum cui superi atque homines imperium detulerunt, sibi successorem decernit. Ea vox excepta omnium auribus, his primùm quos Selymus corruperat spiritus auxit, dehinc dubios desperato remedio in partes traduxit. Ergo quum libidine atq; impetu militum cuncta raptim agerētur, sublatus in equum Selymus, per celeberrimas vrbis regiones deducitur, & rex & imperator diuerso animorum habitu acclamantibus omnibus salutatur. Eo die milites sacramento adacti in verba Selymi præeuntibus ducibus iurauerunt. Corchutus verò,

vel dolore irritæ spei vel mortis metu, quanquam ei Selymus Mitylenas ipsámque insulam Lesbum dono dare se dixisset, solutis occultè triremibus Phoceam redijt. At Baiazetes modò terrarum orbis principum amplissimus, in tanta hominum perfidia, rerum omnium iniquitate, secedendi consilium capit, Byzantioq; excedit cum familiaribus suis collecta pretiosiore supellectile, petiturus Dimetecam Thraciæ vrbem amœnitate hortorum, salique temperie & exilio & præsenti fortunæ opportunam. Sed quum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affecta corporis vires collaberentur, medio itinere statui tabernaculum iussit, vt valetudinem quiete curaret. Ibi septuagesimo sexto ætatis suæ anno ab Hemone Iudæo medico, qui iussu Selymi salutiferæ potioni venenum miscuerat, necatur. Aliqui tamen senio & longa valetudine & ad extremum prægrauantibus curis attenuatum interijsse contendunt. Sed Antonius Vtrius Ligur a cubiculo Baiazetis, qui de his rebus commentaria ad Leonem pontificem conscripsit, referebat nobis se in expirantis corpore non dubia veneni indicia deprehendisse. Ferunt Selymum proximum paternæ vitæ exitum, vrgente etiam senio, expectare noluisse, quoniam si eo sospite in Asiam aduersus Achomatem traiecisset, nihil tutum pacatumque Byzant

Byzantij se relicturum existimabat, ratus Baiazetem, se absente ad repetendum imperium nullam moram esse facturum. Perstrinxit quoque crudelem animum auaritia supra imperij solicitudinem: nanque vasa auro argentoq; cælatæ, & præter signatam pecuniam plenos pretiosissimarum gemmarum & vnionum loculos, quæ tot progenitores reges ex immensa illa opum amplitudine reliquerant, vnus Baiazetes vniuersa asportabat, ingentia sanè atq; opportuna subsidia in proximum donatiuum, præsertim cuncta debenti militibus, qui pretio & spe futuræ liberalitatis vnius horæ momento cuncta detulissent. Paterna autem funeri delato in vrbem Byzantium summa in speciem pietate iusta persoluit, statuens illi æternos ignes, & sepulchrum cælati operis, ne cui imperium & vitam inuiderat, supremos quoq; honores inuidisse videretur. Inde pecuniam, quæ in ærario erat, recognouit, diuisitq; militibus pro donatiuo vicies centena millia aureorum, & quo magnitudinem animi perpetua liberalitate testaretur, ad veterem stipendij summam in singulos dies equiti quatuor, pediti verò duos argenteos addidit. Nec multò post cum exercitu in Asiam traiecit, progressusq; ad Ancyram vrbem, vt Achomatem persequeretur, ea æstate nihil memorabile gessit. Nanq; Achomates haud ignarus

rues non adesse sibi iustas vires quibus fraterni exercitus impetum sustineret, in Armeniæ minoris fines & montana Cappadociæ penitus concesserat, passim fidem populorum implorans, milites conscribens, arma, pecuniam, auxilia etiam ab infimis externisq; postulans: Vt ea omnia in tempore parata atq; expedita haberet, quæ ad gerendum bellum, atque obtinendam Asiam necessaria videbantur. At Selymus exacta æstate, quum in locis Tauro proximis propter niues atq; acerbissima frigora hyemare non posset, neque si progrederetur Achomate nusquam consistente, posse conficere bellum speraret, in Bithyniam rediit: dimissoq; ad loca maritima Europeo equitatu, & prætorianis Byzantium reuerti iussis, ipse cum cæteris Prusiæ hyemare constituit. Quo tempore, quum totus in Achomatem imperij æmulum atroci animo deferretur, ne sibi in Asiam bellum gerenti, quicquam hostile ab Europa timendum foret, pacem cum Venetis hisdem legibus, quibus eam Baiazetes pater sanciuerat, confirmauit, et cum Vladislao Pannoniæ, Sigismundoq; Sarmatiæ regibus, cæteres inducias ad aliquot annos extendit. Nec multò post Selymus, quum nullam pro firmando imperio suspicionem, etiam de pueris superfluam existimaret, quinque egregiæ indolis adolescentes fratrum filios necari iussit, inter quos

quos erat Mahometes, quem paulò ante ad Larandam captum, Achomates audita morte Baiazetis dimiserat. Erat is primi filij Baiazetis liberorum natu maximus, alterum & vigesimum natus annum, specie corporis et vigore animi Othomannorum præstantissimus. Quæ omnia sicut ei militum ac populi fauorem conciliabant, ita vno inuidente Selymo exitium pepererunt. Ferunt Mahometem ingressos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum esse denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterum calamario cultello confecisse, alterum iam vulneratum interfecturum fuisse, nisi alij satellites irrupissent, qui frustra reluctantem strangularunt. De Osarne Alensciaci & Zilubo Mahumeti, duobus q; alij tenellis adhuc pariter supplicium sumptum, adeo consternatis eo scelere omnium animis, vt complures milites tacita inuidia, per aliquot dies regis conspectum exhorruerint. Nec tot propinquis vno furore absumptis immitis animus ab crudeli rabie conquieuit. Nam q; vt clarissima Othomannorum sobole extincta, vacuam sæuitiæ suæ domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazetis nepotibus Amurathem & Aladinum per insidias interficere cogitauit. Receperant illi nuper Amasiam, qua vrbe ab Selymo, superiore æstate pulsi fuerant, quum Achomates pater in montana Cappadociæ

perfugisset. Ad eos opprimendos ualidam equitum manum delegit, qui magnis itineribus Amasiam contenderent, adolescentesq; imparatos, ac nihil de præsenti periculo cogitantes comprehenderent. Neq; id erat factu difficile, quum expeditus equitatus omnem ferè aduentus sui famam celeritate præuenturus esset, nec urbs ipsa aut munita mœnibus, aut tuta præsidio militum foret, quòd eo tempore Achomates in loca Caramaniæ proxima ad conducendos milites profectus erat. Sed Mustaphas consilij particeps, cuius singulari studio atque opera Selymum ad imperium euectum docuimus, quum indigna morte Bajazetis & tot insontium puerorum cæde permotus, totum se animo ab amicitia crudelissimi hominis auertisset, imminentem miseris iuuenibus calamitatem miseratus, per celeres tabellarios de aduentu equitum eos certiores fecit. Quibus acceptis literis, illi statim patre reuocato, occulta præsidia comparauerunt, quibus hostes exciperentur. Ita quum paucos pòst dies Selymiani Amasiam peruenissent, & fortè eodem tempore reuertisset Achomates, præcipitati in insidias facile trucidati captiq; sunt. Accidit autem ut serus Achomatis, quum Selymianis captiuis illuderent omnem insidiarum & rei gestæ ordinem aperuerint, usq; adeò malè in aula principum consilia etiam de maximis rebus

bus occultantur, iactantes non deesse sibi amicos etiam ex intimis Selymi familiaribus, qui meliori causæ fauerent, & grassari sæuireque bellum illam non paterentur. Illi autem postquam redempti, Prusiam redière, quæ ab hostibus cognouerant, regi detulerunt. Nec mora Selymus neminem præter unum Mustapham authorem detegendi arcani consilij existimãs, siue quòd iam ei tædio esse cœperat hominis gloria siue, ut insigne beneficium cui par gratia reddi non poterat, exitio compensaret, eum inauditum interfici, & cadauer nudum in tantæ modò felicitatis ludibrium in publicum abijci iussit. Interfecto Mustapha, & imminente iam uere, ne quid de instituta immanitate remitteret, ad tollendum Corchutum fratrem, crudelem animum adiecit. Agebat ille Magnesiæ, nec aduersus Selymum abrupta spe imperij quidquam hostile moliebatur, regressus ad philosophiæ studia à quibus ambitione corruptus intempestiuè discesserat. Igitur præfectis edicit ut sex millia fortissimorum equitum deligant, qui in tertiam diem corpora, arma, equos, profectioni parent, se in Cappadociam celerem excursionem esse facturum. Statuto die Selymus Prusia mouit conuersò in dextram suorum agmine, ita ut equites qui rectà Amasiam petere credebant, tum demum in Lydiam se abduci perspicerent. Unus ex

equitibus egregij animi, quicunque ille fuerit coniectura indicans, ad opprimendum Corchutum iri, velocissimo equo usus, per compendia viarum regem antecessit, Magnesiamque peruenit. Cuius monitu Corchutus de periculo certior factus, relicta familia cum duobus seruis ad mare contendit, vt aliquod in litore nauigium nactus, in Cretam aduehetur: aut certe vel piscatoria nauicula Rhodum perfugeret. Caterum Selymus improuiso aduentu suo perterrefactis Magnesijs prætorium fratris corona equitum septum, vt exitus præcluderentur, nullo resistente cepit. Quum verò vnum omnes Corchutum per singulas domus latebras frustra perquirerent, quæstione de suis habita, cognouit eum monitu ignoti equitis intempesta nocte discessisse. Quamobrem sua spe frustratus, equitibus mille præsidio Magnesiæ relictis, qui summa celeritate atq; diligentia circumiectam regionem percurrerent, cum thesauris atque omni fratris familia Prusiam eadem celeritate reuersus est. At Corchutus spe fugæ erepta, quòd Bostanges Selymi gener ducta classe omnia litora custodiret, neque vlla iam spes fallendi hostis relinqueretur, non longe à Smyrna in speluncam mari proximam se condidit, sperans si interpositis aliquot diebus statione classis abscederet, elaben

elabendi occasionem, vel fortunæ beneficio, vel Deorum benignitate sibi minimè defuturã. Sed quum diu agrestibus pomis inediam toleraisset, victumque à pastorali tugurio per seruum quærere cogeretur indicante agricola ab inquisitoribus comprehenditur, Prusiámque perducitur, vbi eum Selymus necari iussit. Cõstat Corchutum, quum fidibus gutturi admotis à carnifice strangularetur, impetrasse horam cuius spatio amarulenta in Selymum carmina intrepido constantique animo conscripsit, quibus exprobrata seuitia, eius capiti omnes diras imprecabatur, Selymus verò quem viuum videre noluerat, necatum spectare sustinuit, perlegitque carmina de se conscripta, nec temperauit à lachrymis, visusque est lugubri veste, vt immanis animi crudelitatem in tanta omnium inuidia falso dolore contegeret. Iam ver appetebat, quũ Achomates comparato exercitu ab Amasia mouit, literis amicorum euocatus qui Selymũ solis suorũ cædibus intentũ, posse in hybernis opprimi confirmabant, si Prusiam cum expedito exercitu cõuolaret: abesse enim prætorianos Europeúmque equitatum robora exercitus, neque Selymum Dijs aduersis, infensisq; hominibus, in eo periculo quod minimè timeret, salubre consilium esse capturum. Maturaret, neque mitiora veris tempora cunctanter opperiretur,

ne

ne vel minimo eo temporis spatio hostiles copiæ ab diuersis hybernis ad signa venire inberentur. Solere Deos ipsos, & præstare occasionem, & præbere consilia gerendis rebus: ceterum neque ea exequi, neque humanas mentes erepta libertate peruertere consueuisse. Proinde Fortunam quæ paulò antè paternū imperium abstulisset, celeritate atque audacia subleuandam esse cēseret, Ingruente enim æstate, aut bello vincendum fore, aut omnino sibi Cappadocia & tota minore Asia decedendum. Achomates qui cuncta eo bello secundiora sibi pollicebatur, quòd magnas habebat copias, quòd ab Hysmaele Persarum equitum auxilia impetrauerat, quòd denique Selymum ob recentia scelera, omnibus inuisum esse, atq; ob eā causam cœpto statim bello militibus desertum iri putabat, amicis pulchra dictu, factu verò aspera suadentibus obtemperauit. Igitur, quum in Galatiam peditatu minoribus itineribus subsequi iusso, cum amplius quindecim millibus equitum peruenisset, Selymus de eius aduentu certior factus, per celeres tabellarios equitatum omnē Prusia conuenire iubet. Interim dum Asappos cogit, atque vniuersas expectat copias. Fortuna quæ semper omnibus in rebus Selymo fauit, tunc quoque periculum quod suorum fraude parabatur, discussit, & expeditam victoriæ ratio

rationem ostendit. Nanque amici Achomatis qui in castris Selymi erant, à superiore in eum studio suo non recedentes, euocatū illum cum exercitu, & iam progressum in Paphlagoniam, etiam atque etiam literis admonebant festinaret, antequam Selymi copiæ conuenirent, acciri enim prætorianos, contrahi equitatum, atque omnia ab Selymo impigrè parari, ei tamen sera omnia fore, si ipse inexpectata celeritate improuisus accessisset. Quibus fortè literis interceptis, Selymus de fratris consilio eius q; aduentu, & de suorū perfidia certius cognouit. Itaq; necatis, qui literas conscripserant, gemma eorum ad obsignandas epistolas vtitur, scribitq; interfectorum nomine ad Achomatem, vt maturaret proficisci, peditatúmque relinqueret: vel modica enim equitum manu opprimi posse Selymum, si se celeriter conspiciendum amicis, & coniuratis daret. Fore enim vt ad datum signum excitato in castris tumultu seditionem militarem inducerent, atque illum turbatis rebus, incautè ordines circumeuntem aggrederentur. Achomates fide literis adhibita, vt qui plurimum viribus suis fidebat, pedestres copias quæ cum Amurathe tardius subsequebantur, relinquere non dubitauit, profectus q; ad Horminium, in ripa Parthenij amnis castra fecit. Selymus quoq; Prusia egreditur, & recep

receptis in castra prætorianis cohortibus, quæ nuper mari transuectæ fuerãt. Sinambassum præfectũ Asiatici equitatus cum ualida equitum manu ad cognoscendas tentandasq; hostium uires præmittit. Selymiani, quũ adhuc qua in parte constitissẽt. Achomates, & quales quantæq; eius copiæ forent, exploratũ non haberent, matutina caligine decepti, in iniquum locum delati sunt. Vbi Achomates prosperè cum eis cõflixit, occiditq; ad mille equites, cæteros præcipites in fugam dedit. Neque tamen eo accepto detrimento Selymus, aut omnino perturbatur, aut summæ rei victoria diffidit, sed protinus ad Elatam flumen promouet castra. Labitur Elata ex Horminio monte, & rectà decurrit in Pontum, irrigans à dextra latissimos campos: quæ terræ noua plana ab incolis hodie nuncupantur. Idem quoq; facit Achomates, qui tametsi fratrem equitatu peditatuq; præstare, atque omni ex parte superiorem esse intelligebat, recenti tamẽ victoriæ prouentu alacrior factus, quòd amicos suos qui apud Selymum erant, aliquod insigne facinus in ipso negotio patraturos arbitrabatur, quòd pro se tanquã legitimo rege staturos superos iudicabat, neque cedendum, neq; reliquum exercitum expectandum existimauit. Intererat flumen inter bina castra, & à speculatoribus utrinque certus hostium numerus

rus referebatur, neque tamen Achomates, cui tutum ad suos receptum patentes campi præstare poterant, conspecta magnitudine periculi, ut saluti suæ ac militũ maturè consuleret, fatali insania correptus, adduci poterat, ita ut eum obijcere periculis & destinato exitio Fortuna uideretur. Selymus inclinante iam Sole exercitum Elatam traducit, milites curare corpora, & in sequentem diem parare arma atq; animos ad pugnam iubet, cæterùm in proximam syluã mille equites mittit, quibus præerat Ganoglis uxoris frater eximia uirtutis iuuenis, quem pater ab Taurica cum lectissima ala Tartarorum equitum paulò antè ad generum miserat. His iniungit ut quum intenti omnes ad pugnam forent, à tergo se ostendant, & auersos hostes adoriantur. Ita illi silenti agmine ad radices montis profecti, loco opportuno proceris arboribus tecto considunt. Nam Horminius qua parte Pontum, et Septentriones spectat, nemorosus est, & complures habet colles interiectis uallibus, quibus magnus exercitus facilè conderetur. Prima luce Selymus aperto in loco aciem instruit, in cornibus equitatũ omnẽ, ita ut in dextro hastati omnes, in læuo sagittarij & sclopettarij essent: in media uerò acie prætorianos pedites atq; Asappos collocat. Ex aduerso Achomates duo tantũ agmina cõstituit, & primos in dextrum

xtrum hostium cornu procurrere iubet. Eorum primum impetum Selymiani magna cõstantia exceperunt, sed quũ ad gladios ventũ esset, quòd cum Persis ferro tectis, qui in ipsa fronte locum sibi depoposcerant, collatis equorũ pectoribus res ageretur, diutius sustinere nõ potuerunt, ac mox pulsi turbatiq; cedere, & in suos ruere cæperunt. Id Selymus statim conspicatus increpãdo adhortandoq; confirmatis suis, læuum cornu inducit, et sclopettarios in locum hastatorum succedere iubet. producitq; prætorias cohortes, quarum aspectu totum hostium agmen sagittarũ, ac sclopettorũ multitudine iam territũ, dare terga coactũ est. Achomates & ipse periculo intentus, aliquanto maiore virtute quàm fortuna, subsidio suis reliquos equites adducit, quorum vi atq; impetu prælium exæquatur. Sed dum irrumpendo sternendoq; victoria imminet, Canoglis aduersos adoritur: clamore edito hostes tum maximè pugnãtes in se cõuertit, ab frõte pedites cõglobati gradũ inferũt, equites verò hastati, quos ab initio à Persis pulsos diximus, pudore adducti in prælium reuertuntur. Ita Achomatis acies circumuenta vndiq; caditur: & vexillis stratis omnia cade fugaq; cõplentur. Achomates desperatis rebus aufugiens, dum saluti sero consulit, in fossam, quàm pridiani imbres aquis cænoq; compleuerant, labente equo præcip-

præcipitatur. Ibi agnitus à multitudine atque comprehensus vt se statim interficerent, impetrare non potuit. Quem Selymus iam antea neci destinatum sequenti nocte hisdem carnificibus, qui Corchutum cæterosq; necauerant traditũ, chorda arcus elysis ceruicibus interfici iussit, Amurathes in itinere à Persis, qui cum magna parte equitum densata acie perruptis iterum Turcarum ordinibus euaserãt, de fortuna patris, & prælij euentu edoctus Amasiam redijt, atque inito de fuga consilio cum Aladino fratre, ipse cum equitibus Persis tralecto Euphrate ad Hysmaelẽ confugit. Aladinus verò in Cilicia Amano monte superato, vt ad Campsonem Gaurũ Aegypti regem se conferret, in Syriam profectus est. At Selymus secundum eam pugnam præmissis in prouincias qua ab Achomate tenebantur singulis equitũ præfectis, breui omnem minorem Asiam in potestatem redegit. Mox reuersus Byzantium paucis post diebus quòd ibi recrudescente pestilentia in singulos dies quingenti ferè homines absumebantur, Hadrianopolim concessit, vbi reliquum æstatis, atque hyemem venationibus intẽtus, transegit. Interea Sophes Hysmael à Persico Oceano ad Seruanorũ fines, atq; ipsum Caucasum montem, & per Hyrcani maris Meridionalem orã ad Coraxenos omni regione perdemita, Zagataisq;

Tartarii, qui olim fuere Bactriani & Sogdiani ad Oxum Iaxartemq; flumina pertinentes, sæpe per tres annos acie superatis, in Armeniã reuersus est, Amurathemq; apud Taurisium obuium habuit. Venerat eò miserrimus adolescens post aduersam pugnam, patremq; interfectum, Vnius horæ momento regia fortuna expoliatus, & à potentissimo rege in tantis calamitatibus auxilia aduersus patruũ imploraret: Hysmael dignũ fama sua ratus, si summæ spei adolescentem ad se profugum exciperet, atque omnibus iuuaret auxilijs, bono eum animo esse iussit. & vt ampliore spe confirmaret, filiam ei in matrimonium collocauit. Siquidem Othomannorũ domus concursu calamitatũ labefactata atq; conuulsa, si Selymus fato fungeretur, nemine imperio Amurathe potiorẽ esset habitura. Quin etiam ad primos bellorũ motus, si ipse à Perside arma inferret defecturam à Selymo minorem Asiam apparebat, quòd propter insitam animo eius immanitatem ac sæua facinora, Dijs pariter atq; hominibus esset inuisus. Igitur Sophus Hysmael primo statim vere Amurathẽ cum decẽ millibus equitũ ad Harsengam superare Euphratem et peruadere in Cappadociam iubet: vt cognitis prouincialium animis, atq; exploratis hostiũ viribus de tota mole belli certiora cõsilia sumerentur. Vstaoglum

glum verò apud Persas clarissimum ducem, cum valida parte exercitus Amurathẽ vnius diei itineris interuallo subsequi imperat. Ipse in Armenia cum maioribus copijs substitit, ne rei frumentariæ angustia laboraret, quum per loca sterilia inculta q; amplissimus exercitus ducendus foret. Amurathes ex improuiso per minorẽ Armeniam Cappadociæ fines ingressus, quum tentatis amicorum voluntatibus quædam oppida recepisset, quædam igne ferroq; vastasset, magnum toti prouinciæ terrorem intulit, quo metu iniecto deficientibus passim populis Amasium vsque peruasurus esse videbatur, nisi Chendemus vir bello egregius, quem Asiæ præsidio Selymus reliquerat, Persis cuncta bellico tumultu miscentibus ad Sebastam, quæ hodie Suias dicitur, cum magis copijs occurrisset. Scripserat quoque Chendemus multùm antea ad Selymum de apparatu aduentuq; hostium, quum eos superasse Euphratem per exploratores cognouisset. Quibus vulgatis rumoribus, Selymus ab Hadrianopoli in Asiam profectus, omnes copias Pruſiæ conuenire iusserat, habitisq; summa celeritate delectibus supra quadraginta milia Aspporum peditum armauerat. Quod vbi per captiuos & veteres clientes suos Amurathes cognouit, tametsi cum Chendemo confligere magnopere cupiebat, ne tamen

si forte Selymus sua celeritate ad se opprimendum contenderet, in Antitauri angustijs deprehenderetur, ad Vstaoglum regressus est. At Selymus qui toto eo anno egregiũ ac maximum bellum, dignámque ausibus suis expeditionem ingenti animo secum ipse voluta-rat, diu incertus Pannoniam Rhodúmue, an ipsam Italiam discordia nostra labantem afflictamq; tot bellorũ incommodis, terra, mariq; inuaderet, oblata occasione Persici belli, ad Orientem se conuertit, atque Arsengam, quam aliqui Comanam Ponticam fuisse iudicant, trigesimis castris peruenit: Vbi iunctis cum Chendemo viribus, quam retrocessisse hostes, vastatamq; continenti incendio eam regionem comperisset, dolore iniuriæ & victoriæ fiducia incitatus, vestigijs fugientium insistere, ac vltrò in maiorem Armeniam penetrare constituit. Erant maximæ omnium rerum difficultates, quas huic bello à peritis regionum in consilio proponebantur, quæ postea trepidãtibus cæteris, ipse propria quadã felicitate & sola animi magnitudine superauit. Nauq; militibus qui ab Illyrico, Mysia, Epiro, Macedoniaq; terrestri semper itinere in Cappadociam venerant, nouos labores subire, vt ad Taurum sauissima frigora, & mox in patentibus campis vehementissimos calores, sitim, inediam, atq; imam propè omnium rerum

rum desperationem subire necesse erat, præsertim quòd Persæ in regressu euastatis agris, vt hostis solitudinem facerent, quicquid vsui esse poterat, corruperant. Magnam quoq; peritus atq; prudentibus ducibus solicitudinem intendebant, Minoris Armeniæ & Aladulorum reges quos haud satis clarè perspectis eorum voluntatibus, in tergo relicturi erant, neq; putabant eos quicquã pro amicis esse facturos: si quid Selymo aut impugna, aut insuebendis cõmeatibus, aut in locorũ angustijs parum feliciter accidisset. Armenius magnã subministrandi cõmeatus facultatem habebat. Aladulo verò copiæ aderãt, & numero & exercitatione nõ contẽnendæ, præterea angustiæ, claustra omnia, & singuli aditus qui è Cappadocia in Armeniam & Persidẽ ducũt, aut opportunis arcibus, aut firmis eius præsidijs tenebantur. Montana enim ei parẽt: protenditurq; eius imperium à Scordiscis, qui Ponto imminent, perpetuo Tauri dorso ad Amanum montem quo Cilicia Syriæ committitur. Inter cæteros Chendemus, qui plurimum apud Selymũ gratia authoritateq; polleb.at, suadere cæpit, vt in Cappadocia subsisteret, exercitum ab labore viæ reficeret: atque illic hostium aduentum opperiretur: Non est, inquit, imperator existimandum quòd illi metu refugerint, qui nec viso quidem hoste retrocesse-

runt: Nectunt dolos, & insidias apertè moliuntur, dum fugâ timorem simulant. An non scimus quæ ingenia, quæ robora hominum Persis ferat? Timebunt illi nudum Turcam, hastatum vel sagittarium, qui validioribus equis ferro tectis, ipse galeati loricatiq; Scytharum sagittas non timuerunt? Vel si hoc parum est, qui tot gentibus bello victis fortissimo imperatori suo maximum imperium virtute pepererunt? An te maiores vel meliores copias habere existimas, quàm Cassemus quondam patruus tuus, atque auus Mahometes habuerint? qui me in eorum castris militante ad Trapezuntem, & ad Nicopolis montes nõ vna clade accepta, cum hoste sæpius dimicarunt? Neque tormenta, quæ trahimus, habere in se magnum ad victoriam vsum inficiabor, modò explicadis tot curribus, idonea loca patuerint. Sed exustum hoc solum rigentes atque abrupti montes, & immensa post eos terrarum spatia me perterrent, quem armata hostium acies iniquiore etiam in loco terrere non potuerunt. Neque Armenio vel Aladulo ambiguæ fidei regibus quicquam credendum putes, tametsi primo ingressu amica omnia pacatáq; ostenderint. Circumspectabunt enim occasionem, vt te imparatum per insidias aggrediantur. At si te illic explorata omnino victoria expectat, quanto tibi ea tuorum sanguine constabit? quo

quo alio milite, quibus alijs viribus Graciam tueberis si te studio proferendi imperij, vel ardore comparandæ laudis abductum, in penitissimam Armeniam Christiani reges audierint? Proinde si tueri tua prius est atque præstantius, quàm aliena cum periculo appetere, si prudentissimi imperatores nõ in multa cæde hostium, sed in salute atque incolumitate suorum militum victoriæ gloriam posuerunt, desine te atque exercitum obiectare periculis atque omnia temere vni Fortunæ committere: quæ si inconstans & lubrica audaciæ tuæ semel illuserit, rues insania ab tanto fastigio longè celerius, quàm illuc paulò antè virtute conscenderis. Selymus qui vt erat asperi atque immitis ingenij, cuncta consilio atque auspicijs suis administrari volebat, quanquam vehementer ea oratione permouebatur, atque aliquos duces in ipsa periculi cogitatione suspensos videbat, paucis tamen peracundiam confutatis, prætorium dimisit, testatus se iturum per pacata infestáq; & victoriam omnino relaturum, postquam senex tantopere de vita solicitus, honestissimã mortem timeret. Hæc dicentem regem excepere statim alij duces assentari soliti, qui propter amulationem Chendemi gloriæ atque opibus inuidebant. Ii enim orsi à magnitudine copiarum à militum genere, ab apparatu tormẽtorum,

& ab ipsa quoque fortuna inuicti exercitus, cuncta ex difficillimis plana atque facilia reddere: quæ verò de virtute hostium dicebantur verbis magnificis eleuare contendebant: mox, vt iniecta suspicione perfidiæ, Chendemi authoritatem conuellerēt, eum dictitare virum fortem atque omnibus bellis intrepidum non timore aliquo, nō angusta spe victoriæ adductū, sed promissis Amurathis, & hostili auro oneratum & corruptum, tantæ expeditionis cursum, & paratæ victoriæ spem omnem abrumpere voluisse. Proinde caueret senis astucias atque perfidiam, progrederetur q; audentius, nec putaret milites, aut pericula, aut labores esse recusaturos, modò ipse animo non deficeret. Paratos enim esse vel acerbissimas quasq; belli difficultates subire, nihilq; magis exoptare, quam vt in eas regiones ducerentur, vbi editis veræ virtutis operibus, Selymum imperatorem suū Alexandro & se in eadem belli gloria Macedonibus exæquarent. Ad hæc, vt Chendemum opprimerent, indices subornarunt qui dicerent eum ab Amurathe pecuniā accepisse, nec in tempore Persis prædatoribus qui eo duce fines irruperant, occurrere voluisse vnde tantum detrimenti prouinciæ illatum. Quibus de causis Selymus præpropera crudelitate præceps, Chendemum inauditum, ac vera monentem interfici iussit, vt cæteros ab simili

mili dicendi libertate deterreret, doceret q; ea esse optima consilia, quæ imperator diuina veluti ratione reperisset. Interfecto Chendemo, occulto statim metu perculsæ omnium mentes, quòd clarissimus vir tanta modo apud regem existimationis & gratiæ, indicta causa concidisset, quem paterno ac mox fraterno bello Selymi in partibus virtute atque consilio floruisse meminerant: quasi eadem sæuitia Selymus, vel in minimis rerum suspicionibus, obscuros esset oppressurus, qui ne amicis quidem antiquissimis peperciisset. Inde promotis castris, in fines Armeniorum & Aladulorum peruenit: vbi per legatos earum gentium reges qui tum in armis erant hortatus est, vt communi secum consilio & viribus, bellum aduersus Persas susciperent, ac secum in maiorem Armeniam proficiscerentur. Se enim perfecto bello ipsis omnem agrum, & proximam regionem, quam de hoste cepissent, in præmium virtutis atque nauatæ operæ concessurum. Reges qui Hysmaeli pariter ac Selymo infensi erant propter finium iniurias, inter quos medij & inualidi (vt tenuiores à potentioribus solent) quotidie premebantur, quum animos in vtrunque belli euentum astutè intentos nudare nollent, responderunt quas ipsi copias contraxissent, ad sui regionisque præsidium comparasse, non vt temere in am-

bigua belli fortuna, alterum ex amicis finitimisq; regibus oppugnarent: se verò tanti non esse, vt sui iudicij putarent discernere, quisnam iustiorem belli causam sequeretur. Caterum si absque maleficio duceretur exercitus, & munita itinera & commeatus propcia regionis, ingresso maiorem Armeniam, præbiturus. Selymus hac prima spe deiectus quòd eos sibi voluntate aut metu omnibus officijs affuturos putauerat dissimulandum in præsens existimauit, ne qui totus corpore atque animo ad Hysmaelem ferebatur, ambiguæ fidei reges si facto eos verbóue læsisset, in tergo pro certis hostibus esset habiturus. Igitur Selymus à Scordiscis profectus, octauo die ad Moschos montes peruenit: quos ingentem aquarum molem trahens Euphrates, ab Antitauro magnis effectis crepidinibus abrumpit. Percurrunt ij perpetuis iugis in Iberum & Colchidem: & ab ortu maiorem Armeniam aperiunt. Ductus est sub signis exercitus per aduersi fluminis ripam, neque vnquà à profluete discessum, quòd sitis in ignota regione timebatur. Ita in Orientem directo itinere, vt à læua minor Armenia, Aladuli verò regis fines, & iuxta decurrens Euphrates à dextra relinqueretur, quousque ad Periardem montem peruentum fuit. Periardes duorum clarissimorum fluminum origine inclytus

clytus propter miram omnium rerum fœcunditatem, Leprus, id est, frugifer à barbaris hodie nuncupatur. Nanque Euphrates & Araxes singulis atque aduersis emissi paludibus, tampestrem aridamq; regionem emissariorũ copia, & summa frugum felicitate nobilitant. Selymus tantis confectis itineribus, quum nec fama quidem vbi Hysmaelis exercitus consedisset, quẽ validum numerosumq; paulò antè è Cappadocia discessisse cognouerat scire posset, cunctabundus ac timenti similis supra fluminis fontẽ castra fecit, atq; exploratum velocissimos equites qui aliquos ex obsijs exciperent, vndiq; emisit. Sed quum incolæ Armenij vel metu appropinquãtis hostis, vel iussu Hysmaelis omni ea regione, quæ ad iter patebat, decessissent, desertisq; ædificijs, & asportatis, aut crematis omnibus victui necessarijs, pabulum quoq; & quicquid herbidũ in proximis agris fuerat, euastassent, Turcæ equites nemine hostiũ intercepto biduo post redierunt, nunciantes eã vastitatem omniũ frugum, latissimos tantũ campos, & immensam occurrere solitudinẽ: nec vlla hominũ aut equorũ vestigia reperiri. Proinde existimare se, aut locorum errore deceptos, aut perfidia Armeniorũ qui duces itineris erãt, in deserta peruenisse: vbi amissa spe alendi equitatus, ac mox cessantibus humanis alimẽtis fame exercitus ab

sume

sumeretur. Auxerant quoque præsentem metum duo reges relicti in tergo, & in primis Aladulus, qui, vel pudore & metu adductus primis diebus commeatu adiuuerat, procedèti verò in intimam Armeniam nihil ex fide officióque præstiterat, iam tum inde gratiam Hysmaelis captans cuius virtuti ac viribus haud dubiè cessuros Turcas sicuti totus propè Oriens paulò ante cessisset, arbitrabatur. At Selymus ingenti cura anxius suspectare insidias, medium timere, horrere solitudinem & cuncta quæ Chendemus senex edixerat memoria volutare: vultum tamen alacrem impauidúmque militibus ostentare, quæ constantia prosperos rerum successus, & maturam de hoste victoriam deiectis etiam militum animis pollicebatur. Ergo coactis via ducibus, & per regionis peritissimos explicata itinerum ratione, quum à dextris vltra Periardem subesse fertilissimam Armeniæ partem audiisset, castra mouit: circumuectúsque montis initia quà Boream spectat, ad Araxem deflexit & supra Choim oppidum equites vado, pedites verò modicis effectis pontibus transmisit. Nanq; Araxes antequā receptis amnibus, qui à Periardis paludibus oriūtur, ampliores vndas trahat, humilē alueū, & faciles ascensu passim ripas transeuntibus ostendit. Vix dū Selymus traducto exercitu castra posuerat, quum

quum Vstaoglus, qui cum Amurathe iunctis copijs idoneo in loco substiterat, Choi oppido atque inermibus oppidanis timens, ne repentino hostis aduentu opprimerentur, celeriter inde mouit, & ad hostem profectus est. Nanque id oppidum fontium atque amnium perennitate totius regionis amœnissimum, quòd propter omnis generis fructuum copiam cælíq; temperiem, Persarum reges relicto Taurisio magnā æstatis partem his in locis agere consueuerūt, ditissimos oppidanos habet, & pulcherrima ædificia, quibus in eo prælio succurrendum Vstaoglus arbitrabatur, ne simul contra suam existimationem in conspectu celebre oppidum amitteretur, atque hostis eo potitus, confectum fame exercitum omnium rerum copia recrearet. Choim antiquitus fuisse Artaxata clarissimam quondam vrbem à Domitio Corbulone deletam, Cassius natione Armenius, qui huic bello interfuit, pluribus coniecturis nobis indicauit. Nec Sophus Hysmael quanquam maiorem copiarum partem aduersus Coraxenos, Hyrcani maris accolas tumultuantes paulò ante præmiserat, vt qui Turcas despiceret, nec eos in Armeniam venturos arbitraretur, audito statim Selymi nomine in castra venire cūctatus est. Fortè tum Vstaoglus, qui ineam vsque diem & prælio & conspectu hostium contra suorum opinionem

nem abstinuerat. Vt magis ac magis & labore itineris & desperatione commeatus attritis hostium viribus, sine pugna, & sine suorum vulnere bellum conficeret, contra oppidum castra locauerat, quum sub aduentum Hysmaelis Turcæ exploratores conspecta pulueris nube, auditisq; equorum hinnitibus, adesse hostem senserunt. Quod vbi in castra nunciatum est, tum verò omnes gestire lætitia, tum primum spem concipere certissimam de salute atque victoria: Dijs grates agere quòd prolabore, inedia, cæterisq; incommodis, tandem obluto hoste egregiæ mortis facultatē tribuissent. Enimuero Europei præsertim equites, equis macie confectis, Asappiq; pedites longo itinere fatigati, quibus vulgato morbo ventres fluebant, quòd in magnis solis ardoribus polentæ ex farina acetoque confectæ, & pomorum agrestium succis vitam diu toleraranr, angente simul dolore animi consternati, quòd ne viso quidem hoste cadendum foret, passim morierentur, Hysmael vt in conspectu hostium venit, cùm suorum virtuti, tum fortunæ suæ plurimum confisus quò plus terroris incuteret prælium minimè differendum existimauit, missitq; ad Selymum caduceatorem: & cum eo aliquot militares viros, qui diligenter, quales quantaq; hostium copiæ, quot turmæ, quæ forma castrorū essent, specularentur. Ceterum Selymo nunciarent ambigui iuris nō esse Armeniā: neq; vnquā cum Turcis de eius possessione fuisse disceptatū. Proinde se mirari cur infesto exercitu in prouinciam venisset. Quòd si fortè antiquæ virtutis æmulus imitatus Alexandrum Macedonē, tantū soli terrarumq; iure suū futurum existimet, quantum sibi promotis armis victoria Fortunaq; pepererint, pararet arma, & in crastinum diem suas atque alienas vires periclitaretur. Selymus ad ea respondit, extare recentē iniuriarum memoriam, quæ iustè ab Othomannis aduersus Persas arma sumi patuerint, quū & auus Mahometes & Cassemus patruus quondam, nuper verò Baiazetes pater, & ipse dum fratris Achomatis armis oppugnaretur à Persis, & summa detrimenta, & insignes contumelias acceperint. Ea tamen etsi magna & grauissima sint, dignas belli causas nō putare, sed vnū se repetere Amurathē fratris filiū hostem suū, & Cappadociæ prædatorē. Quē si ex æquo amicēq; sibi traderet, vt mutua inter reges pro tuēdis firmandisq; imperijs iura postularent fore, vt copias inde abduceret, & in proprios fines reuerteretur. Si verò id facere negligeret, ferro igneq; Armeniam, & Persidem vastaturum. Dimisso caduceatore vterq; suis castris se continuit. Sequenti verò die Selymus suorū omnium

hortatu

hortatu copias in patentem locum eduxit: instructaq; acie ad hostem, qui duobus millibus passuum inde aberat, profectus est, existimans Hysmaelem tanti nominis imperatorem, quin prælio decertaret, nullam moram esse facturum. Qui verò Persarum numerus, quod equitum genus, quæ arma, quæ tela gestarēt, facilè reperire non poterat. Nam supra gentis ingenia calliditatis atque consilij plena, tantus erat militum amor, ac tanta veneratio erga Hysmaelem regem suum, vt nemo repertus sit, qui ad Turcarum castra transfugerit, quum multi (vt postea ex captiuis Persis cognitum est) quotidie à Selymo ad Hysmaelem perfugerent. Selymus qui octuaginta equitum millia eo die habuisse dicitur, in dextro cornu Cassembassam Europei equitatus præfectum, in læuo Sinambassam ennuchum cum Asiatico equitatu constituit, antecedentibus Acanzis, qui sunt voluntariæ militiæ equites ex vario gētiū genere, spe prædæ ad bellū excīti. Media acies Asappis peditibus data, quorum vilis semiermisq; turba, tanquam nullius propè iacturæ hebetandis hostium gladijs primo semper congressui obijcitur. Post Asappos tormenta recta fronte dispositæ sunt, additis præsidio quatuor equitum millibus. Ipse in subsellijs cum lectissimo equite prætoriano, omnibúsque Ianizaris, paulo editiore in loco constitit, duplici corona tormentorum atque impedimentorum circumuallatus: nam camelos clitellatos longa catenæ serie inter se nexos, ita in orbem sibi de more circundederat, vt speciem validæ munitionis æquarent, quo veluti vallo septus, & laborantibus suis opem ferre, et si quid durius accideret, veluti ab arce cum flore militum, omnem hostium impetum sustinere posset. Monuitque Asappos, vt quum primum hostium equitatus appropinquare inciperet, deducta acie celeriter in vtranque partem secederent, vt spatium emittendis tormentis relinqueretur. Ex aduerso Hysmael, qui per transfugas cuncta hostium cōsilia exploratæ habebat, vocatis ad se ducibus, docuit nullius propè negotij esse victoriam, modò procellam tormentorum effugerent. Quod se facilè consequuturum pollicebatur, si equites quū scindi Asapporum aciem vidissent, & ipsi intenti paratique soluto statim ordine in duas alas abscederent. Itaque duo matora vexilla proposuit, alterum prætorium, quod certo in loco cum robore equitum staturet, alterū quod cum reliquo exercitu Vstaoglo attribuit. Habebat Hysmael ad triginta millia equitum absque illo pedestri subsidio, in queis fuere supra decem millia cataphractī, viri fortes, bello exercitati, ac nobilitate illustres. Iis insignes erant operoso chalybe tecti, & cassides ad

ornatum terrorémque crisłata. Praterea acinaces, & more nostro claua ferrea, atq; hasta solidiores. Caeteri apertis atque oblongis galeis, & ferreis thoracibus muniti, vel matre arcu, vel lanceis fraxineis more Hispanico ad medium hastam comprehensis, stebantur. Caterum apud eos nullus tormentorum apparatus, quo certè vno Turcis impares erant. Sed tantum spiritus tantumq; virtutis Persarum animis inerat, vt deiecta hostium multitudine, et contempto tormentorum periculo, prælium committere non dubitarent. Hysmael dato signo vniuersum agmen promouit militesq; hortatus, vt diu ante partam rei militaris laudem memoria retinere vellent: ac se imperatorem suum, quem pluribus secundissimis prælijs maximum Orientis regem constituissent, vadentem in hostes imitarentur, occursuros in acie inermes Turcas leui tantùm hasta & scutis stantes, quorum equi statura humiles strigosi enecti fame, ne primum quidem impetum cataphractorum essent toleraturi. Ab altera parte Selymus pulueren aduentantis hostilis exercitus conspicatus, per duces præfectósque tota acie pronunciari iussit instare prælium, quo si egregiè dimicarent, victis gentium victoribus Othomannicum imperium à Persico Oceano ad Caucasum montem essent proraturi. Quòd si quid ex pristina virtute remississent sent, putarent nullam effugij spem superesse in ea vastitate camporum immensis q; desertis. Aut enim fœde moriendum, aut perpetuò Persarum fœminis cum ignominia seruiendum: quando post tot terrarum spatia, & rapidus Euphrates, & Tauri iuga, & infidus Aladulus occupatis angustijs, omnem spem redeundi in Cappadociam victis abstulissent. Hysmael quum appropinquasset, & ad propositum signum Asappi ordines aperirent, subindeque falcones medio interuallo dissloderentur, diducto statim equitatu, in dextrum cornu impetum fecit tanto suorum ardore, vt quum asperrimum inter semiermes Turcas, & armatos egregiè Persas contractum esset certamen, obtruncato ante alios Cassembassà primis cassis, ac mox alijs atq; alijs fusis profligatisq; totum id cornu vsq; ad subsidia vbi substiterat Selymus propulerint. Parte alia Vstaoglus non parum à tormentis accepto incommodo, quòd tardius ab eo periculo, sese atque alas suas explicarat, Asiaticos inuasit: ibi acri commissa pugna magnam eadem hostium edidit, sed non eadem felicitate, qua Hysmael. Nam dum inter primos acerrimè depugnaret, sclopeto ictus occubuit, quo casu Turcarum animis redditus vigor, ita vt qui iam pulsi loco supra tertiam partem suorum amiserant, redintegrato certamine, cataphractos egregiè sustinuerint

et oppositis sclopettarijs, quibus maximè Persarum equi terrebantur, eos uno agmine in Asappos præcipites egerint. Persæ siue necessitate compulsi, quòd detrimento accepto ducem amiserant, atque equos tormentorum fragore & tonitru territos, regere non poterant, siue quòd apertum latus Asapporum meliorem rei gerendæ facultatem ostendebat, confertis turmis per transuersos pedites perruperunt, quibus magna strage cæsis protritisq;, ad tormenta peruentum. Ibi eorum magistros libratoresque, qui, ut in magna rerum perturbatione displosis temere tormentis fœdissimam cladem suis æquè hostibusque intulerant, circumuentos trucidarunt continentique cursu in dextrum cornu hostium, ubi Hysmael cum Europeis depugnabat, tanquam victores peruasere. Quibus de rebus Europei, qui iam antea & ipsi amisso duce repulsi confectique vulneribus se ad subsidia receperant, quum nouo ab latere oblato prælio impressionem ægrè sustinerent, opem ut in extremo discrimine à subsidiarijs implorare cœperunt. In ea prælij iniquitate Selymus soluto curruum nexu, ualluum duobus in locis patefecit, partémque prætoriani equitatus illico emisit. Mox ad Ianizaros conuersus, Vestræ, inquit, virtuti atque operæ hodiernæ victoria reseruatur, macti virtute milites mei: agite dum eruptione facta, fessos

fessos hostes integris viribus aggredimini. Fluunt sudore equorum corpora, ipsique equites sub tanto armorum pondere iam fatiscũt. Hæc dicenti Selymo Ianizari haud sanè promptè obtemperabant, quippe qui in tanta rerum desperatione libenter suis se munitionibus continerent. Itaque dum cunctantius signa efferunt, Persæ in medio ardore victoriæ Europeis circumfusi eos spectante Selymo, ac frustra auxilium ferre properante, occidione deleuerunt. Scripsit ad Leonem pontificem Fabritius Carrectus Rhodiæ militiæ magister, ad quem omni: hæc diligentissimè perferebantur, Ianizaros Selymo dicto audientes non fuisse, neq; eius adhortatione, aut precibus adduci potuisse. Ut laborantibus Europeis auxilium ferrent, ut qui summæ rei diffidentes, expectare euentum quàm se in manifesto periculo equestri hostium procellæ, quæ cæteros pedites obtriuerat, obiectare malebant. Iam Persæ ab omni parte Selymum intra subsidia morantem inuaserant, quum Sinambassa tametsi cornu lacerum ac uehementer attenuatum trahebat, per medios Asapporum aceruos, hostes insecutus in tempore superuenit: acciti sque subinde & inductis aliquot recentibus turmis, quæ ab Vstaogli impetu integræ euaserant, pugna est restituta, duorum maximè fratrum Malcociorum præcellenti uirtute, Turabei & Mahometis

metis, qui Turcica ex gente nobilitate generis ipsi Othomannæ familiæ pares, Malcocij patris luctuosa illa in Venetos & Carnos excursione clari ducis, magnitudinem animi vigorem q3 referebant. Selymus quoque minimè animum despondens, sed in spem erectus at q3 alacer, id quod supremo discriminis reseruarat, omnia tormenta dirigi in hostem iubet, quæ tantam equorum at q3 hominum stragem suis pariter at q3 hostibus inter se commixtis ediderunt, vt quum viri puluere, fumo tormentorum & crepitu, sum oculorum at q3 aurium amissent, ac subinde equi ad insolitum fragorem metu consternati, contemptis frænis sessores in diuersum aduecherent, incerta adhuc victoria prælium sit diremptum. Hysmael sclopetti ictu sub læuum humerum vulnere accepto, præterrectus eam procellam, vt vulnus inspiceret, hortantibus amicis prælio excessit. Quæ res haud dubiè Selymo suis q3 omnibus salutem attulit. Nanque Hysmaelem eiusque vexillum Persæ continuo subsecuti, non dubiam partámque magna ex parte omnium opinione victoriam, reliquerunt. Verum leui nec profundo vulnere inuento, quòd plumbea glans eam armorum partem ob singularem temperaturam altius penetrare nequiuerat, in prælium redire constituit. Sed audita morte Vstaogli, cui propter eximiam rei bellicæ peritiam magnopere fidebat

bat suadentibus etiam amicis ne plagam adhuc calentem despiceret, salutique consuleret, quadrato agmine ac lento gradu, vt nihil fugæ simile discessus habere videretur, recipere se cæpit, præuectus q3 Taurisiu, monitis vrbis primoribus, vt portas Turcis aperirẽt præsidiumque acciperent, ne quid detrimenti ex vana constantia paterentur, in Medorum fines concessit. At Turca tot incommodis conflictati quum neque præ timore animos, neque præ lassitudine vires ad insequendum haberent, ad Persarum castra delati, ea nullo defendente ceperunt. Inuentæ sunt, præter tabernacula picta acu, & serico at q3 auro intexta aliam q3 pretiosam supellectilem, complures nobilissimæ mulieres, quæ viros secutæ fuerant, quas Selymus intactas sine pretio remisit. Retulere qui huic prælio interfuerunt nonnullas fœminas inter cæsorum aceruos repertas, quæ thoraces galeas q3 induta, & secutæ viros vnà cum eis strenuè pugnando ceciderant. Hoc maximè euentu Calderanis in campis ad Choim pugnatum est septimo Calend. Septembris eius anni qui fuit à partu Virginis millesimus quingentesimus decimus quartus: quo prælio Selymus supra triginta millia hominum amisit, in queis præter Cassembassam Græciæ Bellerbechum septẽ Sanzacos, & in his ipsos quos diximus Malcocios fratres, dum alter alteri

circumuento opem ferre conatur: cadentibus equis interfectos sed præter Asapporum inconditam multitudinem obiectam cædi, equites Illyrici, Macedones, Triballi, Epirotæ, Thessali, Thracesq; haud dubiè flos & robur exercitus, qui in dextro cornu fuerant, magna ex parte aut cæsi aut vulneribus debilitati sunt. Selymus confessione hostium victor, quum ab Choi ceteris q; vicinis vrbibus. & ab Tauriſio legationes in castra venissent, quæ se commeatum affatim dare & imperata facere paratas dicerent, ad Tauriſium profectus est, studio visendæ atque obtinendæ Persarum regiæ. Ea vrbs ab Choi vbi pugnatum est, itinere bidui distat: Fuitque antiquitus Ptolemæo Ternaquæ abest à proximo Hircano mari ad Bacucum portum centum quinquaginta millibus passuum. Ciues, aduentantibus Turcis præsidio fuerunt, & magnam vim commeatus extra portam conuexerunt, vbi occupatis suburbanis ædificijs Turcæ castra posuerant, quum in maxima & frequentissima ciuitate pernoctare parum tutum existimarent portas tamen tradentibus Persis, impositio præsidio tenuerunt. Ferunt Selymum, qui salutem suam Persis temere minimè committebat, nunquam ingressum vrbem, nisi gregarij equitis habitu. Aliqui verò celebri pompa in regijs ædibus publicè conuiuatum fuisse, verbaq; ad Tauriſianos de vict

de victoria consilijs q; suis feciſſe confirmant. Sed vix decem dies Tauriſij moratus, quum in Armenia contra voluntatem prætorianorum hyemare statueret, ad frequentes de hoste nuncios consilium mutauit, quòd Hysmael accita valida manu Iberorum & Albanorum equitum, cum Parthis atque his equitibus, qui pugnæ interfuerant aduentare ferebatur. Quibus de causis Selymus, qui supra centum & quinquaginta armatorum millibus in acie constitutis, ægrè se triginta Persarum millia sustinuisse. & casu magis artificioq; tormentorum, quàm vera virtute, eos superasse meminerat, æstimatisq; Tauriſianorum viribus, quorum fidem et multitudinem suspectam habebat, in Cappadociam redire constituit. Itaq; abductis pluribus fabrorum excellentiumque opificum familijs, eorum maximè qui armatelaq; elaborati operis fabricabant. & magna vi serici & commeatus inde exportata, per Hobordenam & Baliſenam regiones, longiore aliquanto itinere ad Euphratem contendit. Ne enim appropinquantibus Iberis obuius fieret, redire ad Araxem, & Periardis montes circuire nolebat, Hysmael cognita eius profectione, quanta et ipse maxima potuit celeritate eum subsecutus, magis ac magis cursum intendere, et præ festinatione impedimenta passim ac milites vulneribus & valetudine debilitata

litatos, relinqui coëgit. Neque prius (quod ille magno interuallo antecedebat) extremũ Turcarum agmen cõsecutus est, quàm ad Euphratem peruenit. Ibi Selymus biduũ moratus aliquot effectis ratibus peditatum trãsmittebat. Quæ quum tantæ multitudini non sufficerent plures inflatis vtribus innixi flumen tranabant: alij effractis deducta opera curribus, eorũ materia ad natandum vtebantur. Ipse imperator lintre vectus, quum vniuersus equitatus ad perfringendã vim fluminis vno agmine ingressus profluenti se opposuisset, in vlteriorem ripam euasit. Quæ res peditibus periculũ minuit, & molliorem transitũ currulibus tormentis, camelis q; et cæteris sarcinarijs iumentis dedit. Periere tamen, quum iam in conspectu Iberorum antecursores essent, atq; ob eum timorem excitato tumultu tota ripa trepidaretur, circiter duo millia hominũ, hæserantq; limoso in vado aliquot falcones, et impedimentorum quoq; parte vorticosus amnis abripuit. Iberi qui recentioribus equis Persas antecesserant, contenti ijs quæ relicta erant insequendi finem fecerunt. Nam tormentorum currus inter se vi vndarum implicati, bonã partem sarcinarum retinuerant: multaque alia ripis & vadis hæserant, quæ haud magno labore fuerunt extrahebantur, lato plurimum Hysmaele quòd tormenta quibus maximè tanta cladem accepe

acceperat, erecto ac fugato hoste cepisset. Porrò Selymus è manibus Persarum fuga elapsus, longè infestiora itinera ad Antitaurum inuenit. Nanq; Aladulus deiecta eius fortuna ad prædandi occasionem sibi oblatam, angustias dispositis passim montanis hominibus insederat, qui more latronum noctu maximè in Turcas impetum faciebant, & quum via admodum syluestres & confragosa fissum agmen exciperent, a tergo et a lateribus incursabant: direptis q; impedimentis in memora & notas rupes reuertebantur. Aladulus cuius hæc fraude fiebant, interdiu excusare se, nihil sua voluntate fieri: homines agrestes latrocinijs assuetos proprio consilio atq; audacia ea damna inferre: eos tamẽ pœnas daturos, se enim breui eius maleficij authores reperturum. Interim in speciem amicitiæ datis aliquot dierum cibarijs, noctu infestas latronum manus, quæ opportunis in locis transeuntibus occurrerent, immittebat. Quibus malis neque consilio Selymus, neque virtute milites prouidere poterant. Tandem quòd dissimulata iniuria, hominis perfidiam alio tempore vindicandam arbitrabatur, Trapezuntem atque inde Amasiam Cappadociæ peruenit, vbi reparandis copijs intentus, hyemem egit. primo statim vere aduersus Aladulum, et montanos barbaros, qui tantum detrimenti pauorisque intulerant, bellum gesturus. Lubet hoc loco tantisper euagari dum

Selymus atq; Hysmael, qui hac ætate terrarum orbem nominis sui fama compleuerunt, inter se comparantur, vt tot ingentium præliorum admirabiliumq; bello casuum seriem legendo, fessis peramœno nec inutili diuerticulo requies quæratur. Quod ob id certiore cũ venia fecerim, postquam hic annus à turbata pace vndeuigesimus magnis ad Orientẽ cladibus insignis, ad Occasum in spem exoptatæ, sed nondum maturæ tranquillitatis bello vacuus, atque otiosus fuit. Ambo igitur sicuti inclyto genere, ætate integra, immenso indomiti corporis, ac ingentis animi vigore, opibus, & pari deniq; imperij fortuna persimiles, parem claritatis & gloriæ famam obtinent, ita moribus, institutis & disciplina militia multum inter se differunt. Primum omnium, vt præclarè constat, supra mutuum vtriusque gentis odium, ab auis patribusq; per manus traditum, insana persuasione inducti inter se de sacrorum placitis altercantur, quum hic Homarem, ille Halym præcipuos Mahometis interpretes diuersa superstitione dissidentes, altero sanctiorẽ existiment, ac imagine pietatis iustam belli causam prætexant. Quanquã non obscurè dissimulata cupiditate, ad id vnum, sed diuerso itinere contendant, vt confirmatis auctis q; opibus, tot regnorũ termini quàm latissime proferãtur.

Quod

Quod ex professo Hysmael ad Darij atq; Xerxis, qui subacta Asia in Europã ingenti ausu traiecerint, & Selymus ad Alexandri Macedonis, qui regna Persarum euerterit, magnitudinem & gloriam aspirẽt. Nec inanibus omnino votis, quum honesto tuendæ religionis nomine, Fortuna, pari libidine ingenio eorum ambitioso, audaci, immoderatoq; intemperãter arrideat. Sed in Hysmaele mira pietas vsq; adeò refulget, vt vitia, si qua sint regij fastus, eius fulgore perstringãtur. In Selymo autem omne virtutis decus inhumana crudelitas elidat & obscuret. Hic enim pœna & præmio vim imperij tuetur sed aliquanto grauiore seueritatis quàm beneficentiæ fama, quòd ab exacta disciplina in seruos, quibus multò maxima Othomannicæ militiæ pars constat, lege agere vel truculenter expediat: secus ac vsu euenit Hysmaeli, ex prima vtiq; nobilitatis classe liberiusq; hominibus militia robora conscribenti, apud quos temperata iustitia, humana comitatis, & popularis indulgentiæ studium maximè valet, vt fides & amor, & parendi obsequium parentur. Quòd nemo honestis ortus parentibus existat, qui non multò grauius flagitij dedecus, quã supplicij pœnam reformidet. Vt minimè mirum esse videatur, si his tanquã generosis artibus Hysmael, augusti nominis maiestatẽ egregiè

gloria

glorioseq3 defendat. Ad hunc quoq3 maximarum virtutum concursum pulcherrimo naturæ munere decora facies accedit, magnanimo digna rege, ore nanque roseo, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Persas regiæ stirpis insigne est, adunco naso, illustriq3 sacundia, omnium oculos atq3 animos capit. At in Selymo, triste supercilium, prægrandes toruiq3 oculi, & Scythico pallore suffusa facies, rigentesq3 setæ à superiore labro ad ceruicē retortæ, & nigricans ad mentum subtonsa barbæ, ita vim militarem & inexorabilis naturæ spiritum exprimunt, spectantésque perterrent, vt nihil omnino nisi sæuum & immane prorsus ostendāt. Nec diuersos vultus, ideoq3 dissimiles animorū habitus, nisi dispar rerum propè omnium disciplina consequitur. Nam Hysmael aditu pariter & alloquio benignus & facilis, nihil ferè quod regiam personam respiciat, nisi palàm agit. In propatulo siquidem magna procerum frequentia liberaliter epulatur, & varia venatione, falconumq3 volatu, & præda magnopere gaudet, cum proceribus semper legatisq3 externorum regum communicata voluptate. In stadio etiam & in palæstra cum primoribus aulæ, vti est equitandi & sagittandi peritissimus, honesta atque virili contentione corpus exercet, adeo populariter, vt in pis-

cina inauratis septa porticibus palam naturæ minimè dispudeat. Vxores autē quas ex Satraparū Regulorumq3 ordine virgines, cum decore formæ, tum præstanti morū fama illustres, in coniugalem thorum recipit, si fœcundæ sint neq3 fastidit, neq3 repudiat, Veteres Persarū institutō, qui coniuges amare tenerius, impensius colere, in regia prætorioq3 familiarius habere, & tanquā virtusq3 fortunæ consortes, cum liberis atque nutricibus, & pretiosiore gaza, vel ad longinqua euntes bella secū ducere consueuerūt, graui quidem impedimento sumptuq3 quòd magnis ac ornatissimis camelorū gregibus vehātur, nisi præsentia carissimaq3 pignora bellatores patres ad virtutē accenderēt. Contraria ratione Selymus in arcano cunctæ vitæ munera dispensat puerorūq3 imberbiū & eunuchorū ministerio contentus sine cōuiua discumbit, ac vno ferè simplicissimo cibo, naturæ desiderio implet. Rarò nisi sacrorū causa die Veneris, qui Turcis est festus, in publicum prodit. Sed adeò prætorianorū turba circumseptus, vt ægrè vel ipse solus eques inter hastatos cristatosq3 milites, & superbè submouentes spectantiū turbā, ex facie dignoscatur. Nec temerè equo vectus in suburbanis prædijs spatiatur, quū per sæpti angustias ad Asiæ propinqua litora bireme aduehi malit. Vxores à regia limine procul

cul arcet, quas tantum prolis causa, nec familiari quidem cultu cõplectitur, quòd natura modicæ libidinis, & in mares pronior, corpus atq; animũ virilem fœminarũ illecebris enervari existimet. Rarò itaq; ad claustra virginum, quæ sunt media in vrbe Byzantio, altis, et undiq; cæcis parietibus septa, cõtendit. Has magno numero Christianis parentibus ereptas, aut à prædonibus variis interceptas castibus matronæ insigni pudicitia, & eruditi spadones accuratè custodiũt: Mahometanis q; sacris initiatas diligenter erudiunt, vt Arabicè legere, ad harpẽ & cytharam psallere, saltareq; decenter, & acu scitè pingere perdiscant. Verùm eas Selymus omniũ rarissimè inuisere consueuit, vtpote qui minimè mulierosus, nec numerosæ sæpeq; infaustæ prolis cupidus, non ex seruili Christianoq; sanguine, sed ex Bosphorani regis filia Tartarorũ stirpis, hunc vnum imperij hæredem Solymanũ imberbi adhuc adolescens suscepisset, quẽ hodie ex matura iam atroci q; indole, nobis discordibus, sæua arma comminante (nisi magnus Deus paratam auertat cladem) vndique secordia nostra victorem euasurũ ominamur. Otium porrò si quod impensè vigilanti et semper intento, ex grauissimarũ rerum consilijs superest, accito in hortos aliquo purpuratorum, aut familiarium deambulando ita traducit, vt quum

quum longè sæuereq; puerorum colludentium palæstram spectet, de serijs multa scisciteturq; deliberet. Secretiores verò molliores q; horas balneo, euoluendis q; maiorum suorum & externorum regum annalibus impartiatur. Hoc quoq; studio auum Mahometem æmulatus, qui gentium propè omnium reges, rerum bello gestarum fama inclytos, versis in Turcicam linguam historijs non modò scriptis, sed imaginibus excelleti pictura expressis repræsentari sibi curabat, impetrato à Venetis ad id munus Gentile Bellino pictore præstantissimo vt grauibus exemplis magis ac magis ad extendendã famã accenderetur. Vir enim ille ex arcano animi omnis religionis cõtemptor, vnis tantũ bonæ spei, bonæq; fortunæ tanquam certis numinibus sacra faciebat. Vt non ineptè modò Selymus Baiazetis patris occupationes, atque vigilias irrideret, quòd Auerroi nihil pro certo de natura animorũ, & cælestis motus ratione explicãti, æquo impensius deditus, arguti philosophi inter ociosos sapientiæ professores, quàm inter milites ad arma natos strenui imperatoris nomen tueri mallet. Cæterũ Hysmael vti ab incunte ætate sacris imbutus literis, disciplinarum propè omnium studia præalto ingenio ad cõtemplationem rerum diuinarum ita referebat, vt vetere Magorum & Brachmanorum arca-

no dogmate, seipso, qui ambitiosum Sophi cognomen susceperat, admirabilior euaderet, quum iam pridem cælestis sapientiæ & diuinationis opinione, apud gentem religionibus atque miraculis capi facilem, incredibiles victorias, & tantum denique imperium sibi nouo prope homini peperisset. Diuersissima porrò, & vt mihi videtur planè iniqua Persæ conditione bella gerunt. Nam ij sicuti equitatu mirifico maximè pollent, ita nullū omnino certum ex conscripto inueteratoq; pedite robur instituunt, qua parte virtutem Turcæ ætate nostra memorabiles sæpe victorias consecuti, nec vsquam victi, grauissima bella confecerunt. Magno quoque incommodo Persis euenit, quòd nec scloppettis vtantur, nec tormentorum curruliū copia abundent, quorum terribili præsidio cuncta peruincuntur, lucluoso quidem exemplo Vssumcassanis & Hysmaelis, vel egregiè victor equitatus, & nuper in Calderanis campis, & patrum nostrorū memoria ad Harsengam & Euphratem, insolitum eorum equis roboatum cruentamq; procellam sustinere nequierit. Neque enim Persa in parte Persa cataphractus, cū inermi propè Turca videtur comparandus. Nam squamosi thoraces, lorica ferrea, bucculatæ cassides, & cono insignes galeæ, clypeiq; auratis umbonibus rotundi, Persas vndique protegunt. Turcam

catu verò ex Europa penitus inermem, vix dimidium quadratæ & inflexa pelta operit, quum Asiatici clypeis molli arundine insptras & discolore serico contextis vtantur. Persa quoq; brachium & dextram operoso ferro munitus, fraxinea ancipiti lancea rem gerit, qua ad medium comprehensa more Numidarum ab alto sæpe ictus repetens, viros & equos inermes facilè perfodit, quum Turcæ Græcorum consuetudine ad pressas lateri inclinatasq; ad equi aures hastas (vti sunt fragili abiete leues) ad primum impetum collatis equis diffringant, & ad gladiū incuruum statim clauamq; ferream, reliquis armis impares redire cogātur. Neq; enim Persarū generosis & robustioribus equis insidentium congressum ferre possunt, quoniā eorum equi frontalibus ferreis, & tegumentis recēto è corio Italicarū bardarum similitudine vestiantur, quæ cōsertis laminis, aut infarcto bombycis & gossipij tomento ita muniunt, vt quamlibet telorū contumeliā perferāt. Qua de causa nemo nisi temere sagittarios, equites aut pedites Turcas cum Persis contulerit. Hi siquidem latis & multo neruorum nexu validis arcubus instructi, crassiores Scythicarū instar, ideoq; lethales sagittas emittunt. Quarum omnium collata ratione, Sophianus exercitus, tanquam regi suo ab excelsa di-

uimæq; mentis opinione, & religioso quodam sacramenti iure, nusquam reformidata morte deditus deuotusq;, Turcis vel numero inferior ab eximia virtute insuperabilis videri posßit, nisi dira hac indignaq; fortibus viris vi tormentorum, aut inusitata multitudine copiarum obruatur. Quòd verò Hysmael ex tot prouincijs quondam armorum gloria clarißimis in vnius imperij potentiam coactis, pauciore opinione copias educat, præsertim aduersus Othomannum in Armeniam vsque infesta populatione penetrantem, hanc præcipuè causam reperiebamus, quòd remißis tributis sublatisq; vectigalibus, ad colligendam liberalitatis famā, ærario minus sit deat, vt tum maximè necesse fuit ipsi nouo regi propinquos suos ab vßumcassane auo patreq; Iacuppo legitimos imperij hæredes impotentibus armis extrudenti. Quamobrem signatæ pecunia semper eget, nec ideo quiū bellum oritur iustis & validis neruis arma expedit, quanquam multarum rerum Orientis regio ferax, & tot opulenta regna benignè atque largißimè ex necessarijs ad vitæ atque militiæ vsum copijs stipendiorum supplementa suppeditent. secus ac Selymo accidit, cui pedites & equites tormentorumq; magistri, & præfecti claßium, singulisq; etiā totius bellici & domestici apparatus officijs præpositi, diurna, urna, aut menstrua præsentis pecuniæ stipēdia à quæstoribus accipientes perpetuò militant. Nec ad institutū thesauri vnquam deficiunt, quum Byzantij septem in turribus argenteæ aureæq; monetæ inæstimabiles cumuli recondantur, omnemq; sumptum quarta parte, tot tributorum & vectigalium annui, atq; perpetui redditus exuperent. Tria sunt genera militum apud Persas prætorianorum scilicet, euocatorum, & auxiliarium: Prætoriani certa stipendia merent, alunturq; sumptu regis qui eis vetere instituto, & statis anni temporibus ad descriptam rationem, arma, equos, vestem, tentoria, commeatum: alternante liberalitate elargitur. Horum ornatißimo comitatu validoq; maximè præsidio circunseptus, sequentis aulæ dignitatē tuetur, & mutando loca ad herbidas regiones prouinciarū nobiliores vrbes inuisit. Ingruente autem bello dynastæ, reguli, tetrarchæ, & antiquæ nobilitatis beneficiarij, qui traditas à maioribus, aut à regibus dono datas oppidorum & agrorum ditiones obtinent, ad edictum euocantur. Eodem prope iure his demq; legibus imperata facientes, quibus in vniuersum nobilitas omnis in Hispania, Gallia, atq; Italia regibus operam præstare consueuit. Horum magnus est numerus, qui liberaliter instructi ad signa conueniunt, sed exquisito delectu habito

bito, nunquam viginti millium equitum numerum implent quorum vix tertia pars, eo quem diximus, insigni armorũ apparatu instructa, in aciem prodit, quum reliqui ferè omnes cõtenti galeis præduris centonum munimentis loricati, diuersisq; protecti scutis, hastis simul & arcubus prælientur. Nam altera arma, vti vsus locusq; deposcit, expedire, & scutis interdum reiectis retroq; ad lorum suspensa lancea, auersi pariter et aduersi sagittare didicerũt. Verùm qui è Persidis vrbeq; regia nomine Scyras, in qua præcellentis temperaturæ nobiliorisq; artificij splendida arma fabricãtur accersiti veniunt summam virtutis obtinent opinionẽ. His Assyrij authoritate neminis proximi accedant, cum Medorum & Parthorum regna omnium optimos & peritissimos præter vnos Scythas, sagittarios mittãt, At Armeni in vniuersum pedibus pugnare malunt, & in cohortes describuntur: quæ longa serie planorũ ingentiũ scutorũ sela defixa sese tanquã obiecto vallo aduersus equorũ impetũ defendunt, breuioribus hastis & securibus sagittisq; item, & manubriata sæpe funda comminus & eminus dimicantes. Auxiliares autẽ copiæ ex Iberis & Albanis, ab eorũ fœderatis regibus Mediæ Armeniaq; finitimis mittuntur, qui magna ex parte semichristiani par odiũ aduersus Othomannos exer

cercere, & ferre arma consueuerũt. Sed postquam ad hunc historiæ locum est deuentum, non iniucundum & arbitror legentibus erit, si quæ de Hysmaelis prouincijs vrbibusq;, & de Caspij maris accolis, vlteriorũmque regum potentia longo labore didicimus, summatim enarrentur, vt curiosis ingenijs non fabulosa vti paulò antè ætatem nostram accidit, sed certa, & explorata vndique mercatoribus, ac variis legationum commentarijs illustrata referantur. Inter Sophiani imperij prouincias Armenia maior primam obtinet claritatem. Tauriso regia vrbe insignis, quæ Tenua Ptolomæo antiquitus fuit, vel vt Hebræis quibusdam linguarum & regionum peritis videtur, Susa priscæ quondam celebritatis. Distat à Caspio mari, vrbeque Bacha oræ proximioris quinque dierum itinere, & ab Artaxata, quæ hodie Cohim appellatur, Calderanisq; campus recenti Selymi prælio nobilitatis, circiter passuum octuaginta millibus. Inde contendenti ad meridiem Sulthania visitur, quæ admirandas dirutæ magnæ vrbis reliquias ostendit, integris adhuc præcellentis structuræ Mahometanorum delubris, quibus superiore seculo Tamerlanes Scytharum imperator cuncta obuia immaniter euertens, templis religione pepercerit. Hanc ex Tigranocerta ruinis ædificatam existimare par est. Ab hac Sulthania

 nia

nia in Persidem inter Meridiē & Occasum procedentibus, oppida occurrunt Comum, Cassanum, & Hiesdum fericæ telæ mercimonio mercatoribus nota. Extenditur autem ea regio ad Vrbem regiam nomine Scyras, quā non ineptè Cyripolim antiquitus fuisse aliqui arbitrātur. Ea est elegantium armorum officina toto Oriente clarissima: nec ab hac Carmeniæ regionis caput multum distat, quod Chirmanim appellant, incomparabili chalybis temperatura in acinaces, & lancearum mucrones celebrata, quæ vel immenso pretio à Turcis cupidissimè coemuntur. Nam eius ferri ea vis est, vt vno ictu nostrorum galeæ discindātur, nihil retusa omnino acie, & lancearum mucrones solidum pectorale transfodiant. Carmaniæ vetus nomē in Narsingam abijt, cuius hodie rex opulentus, & equitatu pollens, imperij terminos profert vsque ad Cananoræ, Cucini, & Calecutæ Indici maris emporia, quæ nobis Lusitana classis aperuit, quum ab Atlantico Oceano vltimum Aethiopiæ promontorium, ingenti spe, vnde ei nomē, inusitatoq; ausu præterrecta vltra Arabicum, Persicum, & Gangeticum vastissimos sinus, ad auream vsque Chersonesum, extremaq; Sinarum litora commundis aromatibus negotiationem extenderet. Tertia regio Assyria censetur, cuius regia vrbs est Bagdad, olim Babylon, condente Semira

mirami muro Latissimo, atq; eius reginæ pensilibus hortis, & demum Alexandri Magni immaturæ morte celeberrima. Ab hac Babylone Euphrates rapto secū Tygri amne in Persicum euolutus sinū classibus nauigatur vsque ad Balzeram insigne emporiū Teredonis insulæ, quam bicornis fluuius efficit. A Balzera mercatores per sinum nauigatione trium dierum Armuzum, quod adhuc nomen retinet lenibus ventis perueniunt. Id positū est ad freti fauces parua in insula tropico Cācri subiecta, ideoq; immensis feruoribus solstitio infamis, nisi Armuzenses incolæ magno artificio per tubos tecta in summa ædiū euadentes, noctur-nā diurnamq; aurā exciperent, concitatoq; demum per angustias incluso spiritu, immitis aëris calores ventilando discuterent, & mersi ligneis lacubus frigidæ aquæ balneis vterētur. Armunti, magnus vndiq; gentiū propè omniū mercaturæ causa fit concursus, quod in vadis Persici sinus vrinatores eximij margaritas & vniones piscantur, & ad id summæ opportunitatis emporium illinc remotiores Indi rudes & impolitos adamantes, & carbunculos, pretiosioraq; aromata, hinc verò Rubri maris accolæ Felicis Arabiæ diuitias, itemq; Aegyptij, Syrij, & Lusitani corallium præsertim exoptatum Indis, & varia nostri orbis mercimonia, tanquam ad perpetuas nundinas

comportent. Mesopotamia autem, quæ in Occasum vergit Assyriæ contributa, Euphrati, & Tygri, vnde ei nomen, & Tauro item monte ad Corum terminatur. In ripis Euphratis sita est Byrta, qua hodie nomẽ retinet, vbi commodioribus ripis hinc & inde superatur. Quo trajectu Sophi Persæ, non semel in Comagenem vsq; ad Aleppum irruperint. Quibus inturijs comotus ætate nostra Caithbeius Aegypti Syriæq; Sulthanus, bello semper victor Euphrate gemino ponte constrato, parem Mesopotamiæ cladem rependit ad Orpham vsque & Caramitam, qua vrbes antiquitus Dara atq; Amida vocabantur, repentina excursione cuncta obuia populatus. Cæterũ quæ ad Orientem Solem spectant Medorum & Parthorũ regna, ab Occasu mare Caspium curuatis litoribus complectuntur. Id manifesto exitu caret, occultis, vt credi par est, haurientis naturæ specubus, & cæcis vadis absorptum. Quod vtique mirum est, quum tot influentiũ amnium perpetuo decursu, neque auctus exundet, neq; dilutæ salsugine mitigatus vnquã dulcescat. Toto autem ambitu in quatam speciem ab Asyco per obliquum ad Boream se extendens, Euxino Ponto magnitudine ferè par euadit, sic à Ponto Mæotis palus, Zabacca hodie vocata, recidatur. Celebres ad Media litora duo sunt portus, alter ad vrbem Bacchum, vnde mari hodie

hodie nomẽ, mediterraneæ vrbi regiæ, quã nũc Sumachim, olim fortasse Gamalam, vocat, propinquus, alter verò ad Derbentum vrbem, Caspias q; portus ab Alexandro Magno, vt ferunt, aduersus Scytharum irruptiones ædificatum. Abruptæ siquidẽ Caspij motis rupes, vsq; adeò ad mare coarctãt iter, vt exesi fluctibus, deuoratiq; in profundum eius litoris margines, vix duorum stadiorum aditum transeuntibus relinquant. Ea enim forma Derbentum in editæ montium crepidine situm est, vt duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis, inferiora ædificia, & nauigiorum stationem tanquã duobus brachijs complectatur, nõ maiore quàm trecentorum passuum intervallo: quod spatium singulis vtrinq; ferreis portis superstantibus q; propugnaculis, ita munitur, vt perpetuis custodijs, nisi clara luce & explorato litore viatores, nec admittãtur, nec recepti intra portam, altera prius emittãtur quam portorium persoluant. Nauigia quoque intercluso eo in litore commodam habent stationem. Sed toto Caspio mari nec Hysmael, nec quisquam alius princeps classe nauigat, quòd ea gentes rei naualis imperitæ & rudes lintribus, tãtum onerarijs oram lambentes vtãtur, nec alto se committere audeant, propterea quòd nondum magnetis vsum, & membranas itinerum, & cursuum mensuras, vene

ventorumq; rationem pictura continentes noverint, & magnis etiã anchoris aptioribusq; dolonum velis careant. Secundum Medos Parthi in Volturnum spectantes, maritimas urbes habent Sandaram, & Strauam, bombycum & pexi subtilioris serici copia claras, sed propter vadosa admixtisq; dulcibus aquis palustria litora, pestilentes. Ob id urbs regia nomine Spaham à mari longissimè recedit. Hæc inter memorabiles magna quidem ambitu, sed cretaceis mœnibus cincta, bellicoso populo frequẽs est, & innumeris serici textrinis opulenta. Ad Parthos Sophiani imperij extremos Hyrcani, & secundum eos Coraxana regionis incolæ succedunt, Arriani scilicet, Margiani, Aracosij, Bactriani, qui hodie uno nomine Zagatai vocantur, Persarum antiqui hostes, atque hodie Hysmaeli maximè infesti, & cruenta factione dissidentes, quòd Sophus Cusselbas (id est, rubrum caput): contrà Zagataius Cacebas (id est, viride caput) appellentur: ea factione deducta à coloribus quibus tegumentorum capitis prælongi apices tinguntur. Has gentes diuidit Oxus amnis, qui alienis vndis auctus magna aquarũ mole, multisq; ostijs in mare effunditur, adiacente urbe Bactra, quæ hodie Ephra dicitur. Nec inde multum abest urbs Eri, Arrianæ prouincia caput, circumambiente piscoso lacu egregiè munita,

nitæ, & cyani lapilli, quem Turchinam vocãt, prouentu pernobilis. Ad Boream verò in Sogdianis longè à mari, Iaxarti fluuio impositæ urbs Samarcanda, Zagataiæ regionis metropolis, amplitudine & structura ædificiorum rerumq; propè omnũ copia, cæteras eius tractus urbes antecellit. Hãc Alexandri Magni temporibus authore Q. Curtio, notam fuisse perspicimus, constatq; inde ortum esse Tamerlanem, qui patriam demum senescentem & dirutam instaurando atq; augendo immensis opibus & spolijs deuictarũ ab se gentiũ exornauit. A Samarcanda ostioq; Iaxartis molliter curuato maris sinu, ad Rha flumen à nostris Volga, & à Scythis Hedil appellatũ magnæ interiacent solitudines Tartarorum pascuis dicatæ. Horũ plura sunt ingentia agmina errantium ciuitatum instar, quæ Hordæ eorum lingua vocantur. His nobilitate generis & bellica virtute præstantes, imperant, Canesq; appellantur, quæ vox Tartaricè imperatorem sonat. Ea gens in vniuersum fera & inops, omnisq; humanitatis expers, solis confisa sagittis, equina carne, eáque semitosta manantibus tetro cruore gingiuis spurcissimè vescitur. Continenter cum finitimis bella gerit, & vsque ad Catuium, Sinarum regionem & vrbem Cantam, totius orbis longè maximam & opulentissimam extenditur. De Cutaio Lusitani

sitani negotiatores multa memoratu digna referunt, in primisq; Cantam Vrbem Venetiarum similitudine circumfluente mari ea ratione ædificatam, vt lapideis pontibus ædificia cõiungantur, eaq; in sicco secundũ fluuij stuentia latos aditus perpetuis munitos podijs, cõmeanti populo relinquant. Excelsas esse domos, earumq; fenestras more nostro clatris ferreis, & specularibus vitreis exornari, hortos & pomifera viridaria passim conspici quòd Arcticus polus non plus LVII. gradibus eleuetur. Viros autem vxoresq; protectis nauicalis, & quum lubet equis & carpentis more nostro circumuehi, nobiliores coloratis atque discinctis talaribus togis vti, barbæ comaq; habitu atque incessu Venetos patritios referre, diuersa autem ab alijs gentibus numina coli, & quod maximè mirandum videtur, ibi esse typographos artifices, qui libros, historias, & sacrorum cæremonias continentes more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadratæ serie complicentur. Cuius generis volumen à rege Lusitaniæ cum elephante dono missum, Leo pontifex humaniter nobis ostendit, vt hinc facilè credamus eius artis exempla, antequam Lusitani in Indiam penetrarint per Scythas & Moschos ad incomparabile literarium præsidium ad nos peruenisse. Ipsum verò Catainorum regem infinitis

tis populis terra mariq; imperare, tantisq; rerum omnium opibus (quòd innumerabiles alat copias) valere, vt ei Europæ reges collati in vnum pares esse nequeant. Sed hæc ab alijs copiosè enarrata relinquentes, ad Volgam vnde discessimus, reuertemur. Is à Riphæis ortus paludibus, à Septentrione in Meridiem multis nauigalibus fluuijs, & in his Occa & Mosco secum raptis in mare Caspium tribus faucibus prorumpit, omnium qui in id influunt mare, longissimo cursu, & vasta aluei latitudine maximus, vtpote qui Araxe, Armenis Arath vocato, & Oxo Bactrianorum duplo maior atque profundior existimetur, sed quem tamen Tartari tranantes minimè reformident. In eius ripa positum est emporium nomine Cytracam, vnius diei nauigatione à latissimo ostio recedens. Hac in vrbe concurrentibus vndique Scythis & Moschis, Orientis opes, aromataque in primis & sericæ vestes, cum Septentrionalibus mercimonijs permutãtur. Ea constant gregibus equorum, pellibus sibellinis, albisq; centonibus, aduersus omnem imbrium & frigoris iniuriam probatissimis. A Volga directo & mox inflexo litore, patentes campi degeneris pabuli feraces fiequẽtibus Sciabanorum & Cassinorum Hordis peragrati ad Derbentum vsque extenduntur, quæ ierè superiorum temporum Tartari,

Scy-

Scythæ, Hialone, Abaga, Tamerlanéque ducibus in Cappadociam & Syriam penetrantes, quòd nullus omnino alius commodior aditus. Vt iam diximus, magnis copijs ad inuadendam Citeriorem Asiam pateat, si Derbentanis claustris arceantur. Nam Albanorum regio quam hodie Seruam appellant, proxima Mediæ & mari Caspio imminens, Caucaseis rupibus inaccessa est, cui nimis admodum excelsis, mõtes, & abrupta valles catenatis inter se rupibus adnectuntur, pertinentes ad Georgianos, qui hodie sunt Hyberi, & ad Mẽgrellios, qui Colchorum & Albanorum regna ad Phasim amnem incolunt, paucis ante annis Bendiam Colchis, Georgianis Pancratium, Albanis Aguasapas regnabant. Regiæ eorum sedes sunt, Phasium introrsus à mari retento veteri nomine Phasi fluuio impositum. Insula Oetis & Medeæ, vellereque aureo poetarum carminibus celebrata, inde Cotatchis & Gorgora asperrimis in saltibus sita. Hi reguli pari studio, tanquam amici fœderatiq; Persarum regibus leuia tributa pendunt. Christiano more, sed Græcorum ritu sacrificant. Ex his maximè bellicosi Albani sunt: secundum eos Hyberi, quum Mengrellij stoliditate, temulentia, & latrocinijs infames existimentur. Hi Othomannicis finibus ad Trapezuntem propinqui, à Caspio mari recto itinere quingentis millibus passuum distant, nullis vnquam lacessiti armis, quòd iniquitate locorum difficultateq; egregiè muniti, sola defendentis naturæ munimenta inuadentibus obijciant. Vltra Colchos Circassij lunatum Euxini litus vsque ad Tauricam Chersonesum occupant: Gens rerum propè omnium indiga, sed quæ forte quadam ad Aegyptij imperij fortunam aspiret, quum inde Circassiorum liberi empti pecunia, & Memphim asportati, plerunque Aegyptijs amissa libertatis oblitis, regium adepti nomen imperitent. Hæc ferè sunt, quæ de Persici imperij conditione Hysmaelisq; moribus summatim describi possint, ab occupato præsertim, & vti semper, aliàs ad enarrandam rerum gestarum seriem properante, quando iam nos Selymus reuocet, vt aliqua de natura Othomannici principatus, institutisque militiæ referantur. Quæ tum magno vsui futura arbitror, quum Christiani reges non obliti veræ pietatis sacrum bellum pro salute publica suscipient. Primum omnium Selymus præclaro felicis atq; inuictæ virtutis maiorum suorum exemplo, impotentis tyranni more ita liberis hominibus dominatur, vt non alijs ferè quàm fortium seruorum consilio & viribus, tanti imperij fortuna constet, quòd alienas occupanti terras nihil magis expediat, quàm ignobilium seruientium mẽq; voluntates & studia,

propositis præmijs promereri: quoniã id Turcum ferè genus hominum, à spectata virtute ad opes amplissimas summósque honores ex tuto prouehi, extráque tumultum & inuidiam pro libidine plecti possit. Qua de causa homines Turcas, antiquæ stirpis nobilitatem referentes ex arcano Selymus odit, quum eos tanquam imperij æmulos planè metuat. In his sunt quatuor insignes familiæ vetustate originis Othomannorum domui pares, quæ ab occulto quodã liuore in vna Othomanni sobole, ipsis æquali fatalis imperij nomen iam per ducentos confirmatum annos propagari vehementer indignantur. Hi sunt Michalogli, Ebrenes, Turacani, atq; Malcoccij, è quibus, vel summæ virtutis homines, neq; purpurati, neque magistri equitum vnquam euadunt, ne immodica virium sæti potentia ad imperium aspirent. Sed magnos reditus ex antiqua agrorum diuisione, superioribúsque victorijs consecuti, quòd multo pecore & frumentarijs possessionibus abundent, perpetuaq; stipendia percipiant, cæteris opulentiores existimantur, secus ac liceat Christiano sanguine progenitus, siue militiæ ascripti serui sint, siue incolæ liberi, nam non alios habent fundos, quã quos à principe agrorum domino ad annuum vectigal impetrarint. Magnus tamen his familijs habetur honos: nam Michalogli peculiari prærogatiua voluntarijs

luntarijs equitibus præficiuntur, hos Acanzes, hoc est, antecursores vocant: & plerunq; centum millium equitum numerum implet, quòd eis ad spem prædæ Tartari è Taurica, & Getæ ex Valachia gregatim misceantur. Reliqui ex his familijs nobilioribus præfecturis ornantur, quæ nũc quadraginta octo sunt æqua ferè portione in Europa, atq; Asia constitutæ. Verùm ex Asiaticis digniores imperatoris filijs obueniunt, sicuti Amasiæ in Cappadocia, Iconij in Lycaonia, Magnesiæ in Ionia: In Europa autem ad parandum militiæ decus potiores conceduntur. Peloponnesiaca, quæ Morea dicitur, Taracanis, Bosnensis in Illyrico Malcoccijs, Ebrenibus Samandrica in Triballis. Nec vlla est tam exigua aut tenuis præfectura quæ bina saltem millia equitum non alat, quum ampliores sena & septena contineant. Quibus omnibus ex descriptis regionum vectigalibus stipendia argento & certis lignorum & pabuli supplementis, singulis quoque mensibus persoluuntur. Huius generis equites scripti in alas Sanzacorum Timarriotæ vocantur à Timarro, quæ vox stipendium ab incolis contributum sonat. In hoc equitatu præcipuum Othomannorum robur consistit: nam ad repentinum edictum paucissimis diebus septuaginta amplius equitum millia in vnum locum à præfectis adducuntur. Nec quisquam eorum est, qui ad pro

positum gerendi belli edictum, non magnopere latetur, & certum ex nauatæ operæ præmium non expectet: ignauiæq; pariter & delicti pœnam subterfugiat. Tanta enim seuritate iudices, qui circumeundo præfecturas sigillatim turmas recensent, arma, equos, & mores inspiciunt, vt si qui notati exauthorati sint, magnus equitum numerus in eorum supplementum sese offerat, insigniq; se affici beneficio existiment, qui alijs eadem loca & stipendia diu expectantibus præferantur. Vniuersis duo Magistri equitum præsunt, qui Bellerbechi, hoc est, domini dominorum superba appellatione vocitantur. Asiaticus ad Cutheiam Galatiæ vrbē, Europeus ad Sophiam Mysiæ inferioris sedes habent, constitutis q; tribunalibus inter milites ius dicunt, quemadmodum Cadi qui sunt statutorum & legum periti prætoria authoritate incolarum controuersias finire solent. Bellerbecho parent Sanzachi, Latinè alarum signiferi, Sanzachis Subasi obediunt, qui centenarias turmas ductant. Sed nemo est Turcarum omnium, aut Christiana professionis veterum incolarum, qui vel oppida, vel arces, vel denique pagos more Persarum possideat, aut paulò munitiores domos ædificet. Vetere enim edicto cauetur, ne quis villam pinnato muro circundet, nec ædificium supra primam contignationem, columbaria turricula altius condat

dat. Propterea Thraces, Græci, Macedones, Mysij, Epirotæ, Illyrij, cæteriq; populi barbarico subiecti iugo, neque firmis opibus valent, neque si Christiana arma alicunde perstrepant, ad oblatam excutiendæ seruitutis occasionem sese commouere possunt. Singulæ nāque præfecturæ suos equitatus eo ordine in æstiuis atq; hybernis pagatim dispositos continent, vt vbiq; contra vim subitum q; tumultum parati, instructiq; armis, præsto adsint aduersus exarmatos & inopes, qui oppressi celeriter teterrimi supplicij pœnam subeant. Reliquus equitatus constat ex prætorianis alis, quæ nobilitate ac eximio cultu omnium lectissimæ atq; ornatissimæ sunt. Eæ distinguuntur ordinibus, atque stipendijs. Sed Spachi, Oglanij, dignitate cæteros antecellunt, quòd ab imperatore filij appellentur. Nam à pueritia ex delectibus prouinciarum adducti in regiam, & postquam à Christiana religione defecerint, per Eunuchos literis & armis liberaliter instituti, quum puberes euadunt ad summos honores proueheuntur. Oglanis pari propè authoritate succedūt Vluphagi, Siliphtari, Caripigi, & Mutpharachæ, qui à dextra lauaq; distinctis agminibus equitantis imperatoris latera præcingunt. Sed Mutpharacha admirabili virtute præstantes, toto orbe conquisiti, eā conditione militant, vt quos velint Deos impune colant, præsentiq;

tantùm imperatori operam nauent: qua liberalitate, atque indulgentia inuitati, non modo Indi, Aethiopes, & Tartari extremi gentium idola prisca & antiquatæ religionis, aut cæli maxima sydera pro Dijs venerantes, sed ex nostro etiam orbe Christiani nobilitate illustres in eum ordinem recipiantur. Hos equites magna delectorum subseruorum multitudo subsequitur, adeò splendidè armis & equis instructa, vt quum dominos numero multum exuperet, ornatu etiam propè par iusti, & fulgentis exercitus speciem ostendat. Verùm insignia vtrosq; distinguunt. Subserui enim non lintheis & globosis capitum integumentis, vt heri & Turcæ reliqui, sed puniceis pileis vtuntur, quos progalea frontalibus puro ex auro contextis, & argenteis cimis ad inferendas cristas eleganter exornant, quum in vniuersum etiam veste serica argenteis fibulis redimita, squamosoq; baltheo, & inauratis phaleris conspicui, herilis opulentiæ splendorem repræsentent. Nam aulæ procerum splendidissimus quisque nihil pretiosius in censu habet, nec sibi honestius quicquam ducit, quàm plura seruitia, decore militaris formæ præstantia, pompa modò ad decus ostentare. In hunc siquidem vnum præcipuè sumptum omnes fortunas conferunt, propterea quòd exquisitis epulis minimè studeant, nec sumptuosè ædificent, neque

illis omninò damnosa aleæ ludis indulgeant, quum latrunculis per otium lusisse, vicisseque ad ingenij laudem, quàm ad pecunias quæstum nobilius existiment. Sed nihil apud Selymum duarum legionum ex Ianizaris delectarum inuicto robore præstantius atque validius censetur. Instar enim Macedonicæ phalangis omnem vim hostium facilè sustinent atque perfringunt. Has ex noua gentis delectu, vti nomen sonat, primus Othomannorum Amurathes Selymi proauus instituit, quibus regia prætorij q; custodia mandaretur. Earum siquidem noua felicique virtute memorabilem victoriam, caso ad Varnam Ladislao Polonorum & Hungarorum rege fuerat consecutus. Nec alia demum vi quàm Ianizarorum Mahometes Byzantium, Bajazetes Methonem expugnarunt, quum hic pronepos nuper inuictos antea Persas, & equitatu plane victores horum peditum virtute profligarit. Ianizari peculiari prærogatiua, Exarcolam, hoc est, pileum album aurea anteriore fascia, & cristis insignem acinaci impenetrabilem, demissaq; pertergum lata cauda cerueos mumentem progalea gestant. Lunatosq; item calceos cæteris vetitos induunt. Arma eorum præter sclopetos & arcus, quibus iam multò maxima eorum pars vtitur, sunt hastæ Germanicis breuiores, ferro lato, aut triangulari, aut fuscina-

to, aut in romphæam adunco præfixa. Præter hæc gladio incuruo paruaq; secure, quum expedit rem gerunt. Breuiores togulas colore cyaneo, aut rubro, aut præsino ab anteriore fimbria in tergum reductas baltheis subcingunt, & terra mariq; omnium audaciſſimè & conſtantiſſimè pugnant. Ex hoc mirifico inueteratæ diſciplinæ genere, tanquam ducum & præfectorum ſeminario, plerique in alas prætorianas ad equum referuntur, alij ad ſuperiores ordines traducti ad præfecturas ſcandunt, alij nulla ferè alia quàm teſtatæ virtutis commendatione Sanzachi, & quod ſuprema eorum fortunæ munus eſt Bellerbechi & purpurati Baſſæ creantur. Hi numero quatuor grauiſſimarum rerum conſilijs præſunt, & per ſingulas hebdomadas quatuor continuis diebus in regia coeunt, ſupplicibus libellis reſpondent, lites dirimunt ipſo imperatore ex protecta velo feneſtella cunctas controuerſias querelaſque populi, & Baſſarum reſponſa intentis auribus excipiente, vt tantarum rerum iudices cenſorem pœna & præmio cuncta expendentem adeſſe intelligant. Huius ordinis antiquior princeps ſcrinio gemmaq; petitur, appellaturque Veſir, & ſcribis atque notarijs decreta dictat. His rebus confectis purpurati prandent, vniuerſóque populo, qui in eariam coierit, publicè epulum datur. ſed frugi ſanè

ſanè ex oriza, & veruecina carne, panéque, & aqua limpida paratum. Interea imperator præfecto ſacrarum legum, qui eſt Cadileſcher, & quæſtorum magiſtro, qui ærarij rationes expendit, & Dephterder vocatur ſedulò operam dat. Hoc perpetuo rerũ ciuilium officiorúmque omnium tenore, & hac incomparabili militiæ diſciplina, Selymus imperium patri & fratribus ereptum, ita ſtabiluit & auxit, vt maioribus ſuis magnitudine animi ſuperior eſſe videatur, & quòd victor in intima Perſarum viſcera penetrarit, tam Campſonem Syriæ Aegyptique Sulthanum, Baiazeti patri ex Tarſenſi victoria formidatum, promotis ad Amanum montem copijs magnopere territet, nobiſque inde minetur cladem, illaturus proculdubio longè teterrima, niſi Chriſtiani reges maturè experrecti, tam pia, quàm neceſſaria arma ad publicæ ſalutis præſidium, expediant. Et quæ ſecuta eſt hyeme Ludouicus Gallorum rex, vt poſt bellum terra mariq; infeliciter geſtum tandem quieti Galliæ non indecora pace partæ conſuleret, Mariam Britannam Henrici inſenſiſſimi hoſtis ſororem in matrimonium petere conſtituit. Enimuerò quum æſtuante animo ſecum ipſe reputaret, quot incommodis acceptis, quantóque periculo bellum ſuperiore æſtate ſuſtinuiſſet, omni ratione parandam pacem exiſtima-

bat, non ignarus si Britannum aquis oblatis conditionibus ad amicitiam pertraxisset, futurum proculdubio, vt cæteris aduersum se coniuratis hostibus, animi virésque concidérent. Quando Cæsar eo maximè tempore pecuniæ inops, contra autem Hispanus auri tenax, & Heluetij, qui alienâ pecuniâ bella gerere consueuissent si spes eos Britannici auri destitueret, posituri continuò arma atque omnino quieturi videbantur. Neq; Henricus qui fuso fugatoq; Gallorum equitatu, duabus in continenti validissimis vrbibus captis, occisoq; Seetorum rege, et ad internitionem eius nobilitatis confecto bello satis sibi gloriæ ac laudis comparatum arbitrabatur, multum ab honesta pacis studijs abhorrebat, ob id præsertim, quòd Ferdinandum socerum non alieno animo in Gallum esse perspectum habebat, quum ab initio occupatæ Cantabriæ, Britannis ad fontem Rabidum, qui auxilia & commeatus ex propinquo postulabant, contra fœderis iusiurandum in maximæ gerendarum rerum opportunitate defuisset. Subindéque Maximilianum Sfortiam, & Heluetios in asperis Nouariensis belli casibus ostentata spe auxiliorum per Cardonium deseruisse, ac penè prodidisse diceretur. Sed ingentis spiritus regem id maximè angebat, quòd nouissimè dum ab se à Germanis & Heluetijs vno consilio, atque vno tempore

tempore bellum in Gallia gereretur, Ferdinandus in tanta proferendi imperij occasione, nec Gallam ostentatis saltem armis de se inuadenda Aquitaniæ suspitionem timentibus Gallis præbuisset. Heluetij quoq; quòd pacem ad Diuionum in ipsa victoriæ pepigissent, ipso indignante omnes belli cogitationes perturbarant, vt pote, qui si bellum in Gallia renouaretur, nec certi hostes nec constantes socij futuri essent. Hoc animo volventem Henricum, & iam segnius de bello cogitantem, Marchio Rotellinus, quem Morinensi acie captum, ac in Britanniam transuectum fuisse docuimus, prætentatis eius consilijs ad ponendas simultates, & pacem eo necessitudinis vinculo confirmandam pertraxit, Ludouico Canosio Leonis legato, in eam rem peracuti ingenij sui studium, & vim omnem explicante. Is in honore habitus, per varias sermonum occasiones, docebat ad felicitatem Galliæ atque Britanniæ plurimum pertinere, si matura ætate puella propinqui et maximi regis connubio iungeretur, ex qua ille integro adhuc vigore animi, nec effœtis corporis viribus sibi successorem in Gallia procrearet. Pretium autem dotale apud ditissimum regem nihil maius futurum quàm insignem lectissimæ virginis formam, virtusq; gentis concordiam, & in duobus regnis incomparabili commodo rerum tranquillitatem

litatem afferentem. Igitur quum Henricus vel honestius arma deponere, vel sororē splendidius collocare non posset, per legatos de sponsalibus actum. Ludouicus quoque Senatum consuluit, & totius regni proceres, an rectè, & sapienter factum iri existimarēt, si Exmè Britannia peteretur. Quod postquam summo omnium consensu, vel aliena cum iniuria approbatum est. Hauardus Suffolchius regis amicitia clarus cum ornatissimo Britannorū procerum comitatu, puellam in proximam cōtinentem transuexit. Nec multò post Francisco Delphino genero deducente, eamq; iniuriam generosè dissimulante, Ludouicum ad Beuillam obuium habuit iuuenili atq; elegāti potius quàm graui vel regio cultu inter florentis ætatis equites exornatum. Inde verò Lutetiam Parisiorum est cōcessum, vbi solennes nuptiæ, editis spectaculis, magno apparatu celebratæ sunt. Sed rex ætate prouecta & multum antea neruorū doloribus lacessitus, quum intemperantius puellaribus complexibus indulsisset, in febres incidit. Nec multò post inualescente etiam profluuio ventris, extinctus est. Vir certè rei bellicæ peritissimus, nec ignarus artium pacis, vtpote qui ab ineunte ætate grauissimarum rerū experiens & miles egregius, & insignis imperator, & rex idem apprimè bellicosus, per aduersos simul et prosper

prosperos totius vitæ successus, singulari virtute arma tractarit. Eum tamen peruicacis obstinatæq; naturæ, & proinde sæuum & inexorabilem plerique existimarūt, vel ob id præcipuè, quod Ludouicum Sfortiam erepto omni scribendi & quæ cuperet legendi solatio ferratæ in caueæ omnium miserrimū mori coēgisset. Alij quanquam vel præcipuè militibus, statis semper certisq; stipendiorum temporibus, summa fide satisfecerit, pecuniæ valde parcum, & magnopere tenacem, vsq; ad illiberalitatis calumniam putauēre. Ignari prorsus quanta sibi & prouincialibus damna intulerint principes, qui profusè temereq; donando per otia pacis vanis sumptibus paratos ad bellicas necessitates thesauros exhauserint. Quibus virtutibus cæteris ætatis suæ regibus felicior videri poterat, nisi dum profugis ad se cardinalibus per consilij causam, ambitiosius fauere contendit, veluti spreta religione florentem imperij sui statum maximis periculis obiecisset.

PAVLI

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XV.

LVDOVICO vita functo, Franciscus eius gener è regia Valesiorum familia maximo procerum atque omnium militum studio, Britanniæ citerioris, & totius Galliæ imperium adeptus est. Siquidem primis statim militiæ rudimentis, Cantabrico atq; Britannico bello alterum & vigesimum natus annum, quum singulari decore excelsi corporis militari comitate, atque ingenuo quodam vigore animi promptum, se ad arma, ac subinde liberalem atque magnificum ostendisset, breui apud exercitum atque omnes Galliæ regulos maximam gratiam comparârat. Is, vt primum celeberrimo procerum conuentu ad Lutetiam Parisiorum regali diademate accepto,

cepto, atq; omnibus militiæ præfectis & magistratibus sacramento adactis, & regis nomen, & administrandi imperij curam sumpsit, ad repetendum Mediolanense imperium consilia vires q; conuertit. Enimuerò rex iuuenis plurimum ad recentis principatus ac totius Galliæ dignitatem pertinere arbitrabatur, neque magnitudine animi, neque industria socero inferiorem existimari, & tantas videri Gallorum copias, & amplissimi regni facultates, vt vel conspirantibus cæteris regibus, non modò sustinere, sed inferre vltrò bellum, atque id alere in aliena prouincia commodè posse censeretur, vel ob id maxime quòd paulo ante Ludouicus (quum iniuriæ atque ignominiæ animus impatiens, plurimum Italici belli cupidine deflagraret) omnibus propè rebus ad id comparatis, maximum eius expeditionis desiderium reliquisse videbatur. His de causis accensum regem paratumq; ausu & armis recentis imperij fortunam periclitari, Veneti, ac Ligures maximè opportuni huic bello, ac longè omnium terra mariq; potentissimi in Italiam euocabant. non dubiam expeditamque victoriam ostendentes, quòd vno tempore dum regij exercitus fama Heluetij ad Alpes distinerentur, ipsi ab diuersis hostilis agri partibus socia arma moturi essent. Id quoque fiduciam addebat

bat Gallis, quòd vetere hominum opinione vulgatum erat, externos exercitus, neque inuadere Italiam, neque Alpes alioquin imperuias posse facilè superare, nisi dissidentis Italiæ consilio, ac viribus ducerentur. Venetos vna ea cura angebat, vt tot amissas vrbes vel periculoso etiam remedio, à Germanis & Hispanis recuperarent: ac subinde quod plurimùm ad dignitatem atque existimationem Reipublicæ pertinebat, veteres contumelias eleiscerētur, quas pulsis ab Italia Gallis fraudati victoriæ parte, eluiq; ab Hispanis atque Heluetijs, cæterisq; fœderatis principibus accepissent. At Ligures paulò ante Octauianus Fregosius necessario magis quàm honesto consilio, vel inuitos in partes Gallorum traduxerat, tametsi vetere odio & recentibus fictis Gallico nomini infensi erant, quum libertatem euersa arce recuperasse viderentur. Causas commutatæ voluntatis atque defectionis, plures Octauianus afferebat, quum vir alioqui integro constantiq; animo parum antiquis virtutibus suis respondisset: Victis enim ad Nouariam Gallis (vt suprà docuimus) empta à Cardonio Piscario, copiarū parte, qui tunc ad Placentiā sedebant, Liguriæ principatu potitus fuerat. Id factū, victores Heluetij & Maximilianes Sforti æquo animo ferre non poterant, quòd ille per inuidiam ab alio

alio potius quàm ab se rerum omnium arbitris imperium ac leges accipiendas esse iudicasset: & Hispani (quod indignius erat) paru integra fide belli & prælij spectatores Heluetio sanguine & suo sumptu partæ victoriæ commoda sustulissent. Quamobrē Maximilianus & Sedunensis, ei ex occulto per Adurnios & Fliscos bellū intulerunt, quòd Adurnij ad quos altera principatus fortuna pertinebat, se his fœderis staturos legibus quib. olim Augustinus pater, Ludouici Sfortiæ auspicijs Genuam tenuisset, si Fregosij pellerētur, promitterent. ipseq; Octauianus iam despicere Heluetiorum partes videretur, vt qui Hispanorū amicitia, & pontificis studio subnixus, nullam in bellicos sumptus pecuniam suppeditaret, & Fliscj quoque propter Hieronymi fratris cædem, Fregosijs infensi, cum Adurnijs opes atque animos consociasseni. Sed aliter ac ipsi constituerant vsu euenit, nam, quum Adurnij & Fliscj armatis clientibus suis, cum duabus Heluetiorum cohortibus media hyeme ad Genuæ mœnia duxissent, excitasset q; ad spem rerum nouarum omnem inferioris Liguriæ oram: Octauiano firmis præsidijs tenente vrbem, spe decepti, & victi asperitate hyemis cum detrimento discesserunt. Insequenti quoque anno, adultæ etiam tum hyeme, quum aperta vi, aut ampliore comparato

exercitu propter eandem hostium diligentiam & maximâ oppugnationis difficultatem capiendæ Vrbis, Fortuna minimè sibi tentandũ existimarent, ad dolos insidiasq; conuersi, vocantibus amicis per exoletam portam, quæ ab exteriore pomerio in priuatos hortos ducebat, cum armatis amplius trecentis hominibus Vrbem intrarunt, & ad expugnandum prætorium conciliarunt, existimantes in perpetuum debellatum fore, si eo impetu Octauianus atque alij capita factionis opprimerẽtur. Sed tardius confecto itinere, & inalbescente iam cælo, dum cancellatos areæ postes effringere conarentur, Octauianus ad tumultum excitatus, arrepto scuto cum globo prætorianorum descendit: & patefactis foribus magna virtute irrumpere conãtes, sustinuit. Ibi dum acriter pugnaret sclopetto ictus est, consauciatus & Scipio Fliscus, ceteri consurgentibus vndiq; hostilibus, clara iam in luce deprehensi quòd longi & sturcissimi itineris labore exanimati erant, quòd ab amicis extra noctis occasionẽ auxilia desperabant, & quod primis suis conatibus Fortuna defuisset, in fugam præcipites se dederunt. Hieronymus Adurnes et Scipio capti sunt. Sinibaldus Scipionis frater totam diem apud ædituum latuit, & sequenti nocte amicorum opera Vrbe effugit. E militibus aliquot interfecti, alij ferè omnes

omnes in potestatem hostium deuenere: & inter his Camillus Montanus, qui apud Maximilianum prætorio præfectus fuerat. Eum quòd ab Maximiliano submissum fuisse suspicabantur, in arctissimam custodiam cum Hieronymo & Scipione coniecerunt. Tanto euitato periculo, Octauianus nihil sibi amplius cunctandum existimauit, quominus cum Gallo fœdus & amicitiam occultè percuteret, tametsi Cæsari in primis, ad quem tradendi principatus iura atq; auspicia pertinebant, et Ferdinando cuius virtutibus ac copijs imperium obtinuerat, ac Leoni pontifici maximo, qui Fregosiæ domus, ac eius præsertim omni tempore fautor atq; amicus fuisset, insignem se iniuriam facturũ intelligebat. His autem conditionibus fœdus ictum est, vt Octauianus arcẽ traderet, ducis titulo in posterũ abstineret, nomine regio Liguriæ præesset, & equitũ alæ stipendiũ a rege quotannis acciperet. Federicus verò frater qui tum Salernitanus Archi episcopus erat, amplissimis in Gallia sacerdotijs ornaretur. His itaq; secreto per Carolũ Borbonium cum rege transactis ignara earum rerũ ciuitate plures menses cum Leone & cæteris principibus, eos cunctis fictæ amicitiæ artibus per literas ac legatum suum Benedictum Vinaldum egregiè ludificatus, dissimulanter egit. Sub aduentum verò Gallorum aduca-

to senatu, docuit nihil ad quietem atque opulentiam ciuitatis magis pertinere, quàm si ab auaris simorum hominum amicitia discederent, rapacem enim Sfortiam non prius cupiditati atq; superbiæ finem impositurũ, quam omnem Ligu riam veluti bello victam publicis, priuatisq; opibus spoliasset: præstare Gallorum societatem sequi, atq; in tutela & fide potentissimi atque optimi regis, qui nouas, & veteres iniurias obliuione deleuisset, pacatè agere, quàm inconst. antissimorum hominum stipendiarios videri. Eum regem compositis Hispania, Britanniaq; rebus, breui transcensurum Alpes cum innumerabilibus copijs, atq; omnem Italiam victricibus armis pernagaturũ. Nec Leonem pontificem qui legatos in Gallia, & regis amitam Iuliani fratris vxorem domi haberet, inter diuersos metus copias suas pro aliena salute Gallis oppositurum existimarent, proinde ea consilia quæ tuta & necessaria essent, conuersis animis sequerentur. Regem enim non impotentem dominum, sed socium atq; amicum habituros, se verò libertati ciuium semper, propriæ autem dignitati atq; amplitudini studuisse nunquã. Ac tunc maximè paratum esse eiurare ducis ac principis nomen, decorum fortasse alij, sibi verò inuisum & graue, quando si pertinacius retineretur, maximum Reipublicæ detri-

trimentum esset allaturum. Primates, vt in mobili & factiosa ciuitate facilè accidit, tametsi propter incertos belli euentus se ac fortunas suas in maximum discrimen adduci manifestè intelligebant, Octauiano tamẽ assenserunt, quum perspectis eius consilijs reluctari noxæ possent, quanquam Oct. autanus, qui cum magna laude paulò ante libertatis author fuisset, ob priuatas res suas veluti repositio iugo, duriorem patriæ seruitutem inducere videretur. Nec multo pòst decretum est, vt præsidium acciperetur, modò Franciscus, neque pecunias imperaret, neque Phari arcem ab ciuibus funditus euersam instauraret. Interea Maximilianus Sfortia quum crebris rumoribus afferretur maximum in Gallia exercitũ comparari, & regem ipsum belli ducem superatis Alpibus in Italiam primo quoq; tempore descensurũ, commeatus, arma, equos, tormenta, atq; omnis generis præsidia summo studio parare, pecunia singulis vrbibus imperare, munire arces & Heluetios cæteros q; socios principes per legatos obnixè precari, ne se in tanto rerum discrimine deserere vellent, neque existimarent si ipse semel Insubrum imperio pelleretur, victores Gallos ac Venetos antiquis imperij finibus contentos fore, vt qui pontifici maximo præscribere vellent, & cæteris externis gentibus Italiæ pul-

sis, omnium rerum imperium sibi animo destinassent. Nec multo post, Matthæus Seduneñsis cardinalis, qui aduersus Gallos implacabili semper odio exarsit, ac tunc maximè belli quàm pacis auidior, ad sui atque Heluetiæ gentis existimationem decerni armis atque virtute controuersiam volebat, cum triginta amplius Heluetiorum vexillis in Nouariensem agrum descendit: ea quidem mente, vt ad pellendos Fregosios in Liguriā duceret: quo cōsilio haud dubie imminentibus periculis occursum foret, nisi Leo pontifex qui nunquam, vt de Octauiani ac Federici fide dubitaret adduci potuerat, nihil eos hostile molituros recepisset. Circumierat Seduxensis superiore anno singulos Heluetiorum Pagos, & in Gallos quod ad Ditionum fidem fefellissent, acerbissimè conclamatus, authoritate atque facundia, qua plurimum pollebat, vniuersam gentem ad arma excitauerat. Qua de causa omnibus concilijs conuocatis peractis, Gallos decreto publico Heluetij nominis hostes declararant: & vexilla ad cogendos milites, quibus Italiam tuerentur, omnibus locis proposuerant. At Romæ Leonem pontificem perplexo animo varia consilia agitantem, Cæsaris, Ferdinandi, Sfortiæ, Heluetiorumque legati circumsistebant, orabantque vt communis salutis causa expeditis consiliis sibi ac fœderatis principibus opem ferre maturaret, quando iam è Pyrenæis inferioréque Germania pedestres copiæ Lugdunum peruenissent, conuectíque, cò tormentis Gallico equitatu conuenire iusso, Franciscus nullam profectioni moram facturus esse diceretur. Leo tametsi vt erat naturæ miti sedatóque ingenio, à bellis plurimum abhorrebat, & à Gallis, si medium se gerere, atque ab omni contentione abesse vellet æquissimæ conditiones proponebantur, simúlque ab omnibus suis, qui ad Gallos animos inclinarant, vt antiquum fœdus deseereret, vehementer oppugnabatur: nihilominus in fide sibi permanendum, veteresque socios opportunis auxilijs iuuandos esse existimauit, quòd Placētiam Parmámque, quas vrbes Gallus haud obscurè repetebat, vi vel pactione dimittere, neque suæ neque pontificiæ dignitatis esse arbitrabatur: ac magni interesse dijudicabat ad Florentinarum rerum quietem ac Romani pontificis libertatem, atque amplitudinem, validissimam Gallorum gentem Italia prohiberi, quæ paulò ante magnitudine sua, sacrosancti imperij statu illatis tot cladibus perturbasset: et præsertim suis ac Petri fratris conatibus, quo minus Florentiam patriam repeterent, Vitellocij bello, atque omnibus temporibus semper obstitisset. Neque enim summæ potentiæ regem quieturū putabat, donec ex vsu victoriæ rebus omnibus

bus ad arbitrium constitutis, quas Vellet Italiæ leges imposuisset. Igitur præmissa pecunia, quæ Heluetijs stipendij nomine persolueretur, Iulianum fratrem cum equestribus copijs in Galliam Cisalpinam ab Vrbe proficisci imperat. Sedunensem totius exercitus legatum pontificia authoritate decernit, & M. Antonium Columnam, in quo viro multa industria ac virtutis ornamenta erant, Veronam cum valida equitum ala maturare, & Cardonio Hispaniso in bello Veneto succedere iubet. Constitutu enim erat, vt Cæsar sex millia Germanorum peditum Veronam transmitteret, & Cardonius inde mouens cum omnibus copijs suis ad Alpes proficisceretur. Ita vt M. Antonius Iuuano obsisteret, & Brixiã Veronámque defenderet: Sedunensis autem Prosperq; Columna, Iulianus, atque Cardonius iunctis viribus Gallicum bellum administrarent. Sed Iuliano Florentiæ suprema valetudine tentato Laurentius Medices Petro genitus, quem ad Lyrim naufragio periisse demonstrauimus, copiarũ imperium sumpsit. Is quoque militari indole copias Florentinorum ducendas acceperat, quum extincto Padulio, alius ducem Senatus minimè sufficeret, & tunc maximè Florentina respublica, Mediceorum auspicijs regeretur. Marcus quoque Antonius ad Padum progressus, quum Liuianum de

suo aduentu certiorem factum propter publicas ac priuatas simultates transmisisse cum expeditis equitibus Malatestum Baleonum, & insidias idoneo sibi loco dispositas cognouisset, quadrato agmine, ac diuerso itinere quã constituerat, vt hostem falleret, ad amnem contendit: atque eo celeriter traiecto per Mantuanorum fines ad Cardonium profectus est. At Franciscus maiore quàm vnquam antea bellico apparatu superiores Galliæ reges Italiam inuaserint, ineundum bellum existimãs, ingentem equitum multitudinem tota Gallia conscripsit. Nemo enim paulo nostor eques, vel superiorum temporum beneficiarius fuit, qui vllum aut ætatis, aut priuatæ rei impedimentum quominus nomen daret satis dignã vacationis causam existimarit, quod facilè fiebat, quoniam Galli non modo regibus suis enixissimè parent, sed eos vt mortalibus augustiores venerantur, putantq; indecorum & turpe domi remansisse, quum illos & bella iustè suscipere, & certis semper auspicijs ad victoriam proficisci persuasum habeant. Galli quoque omnes veteri gentis instituto equestri militiæ plurimum student: qua parte virium cùm propter incredibilem multitudinis consensum, tum propter numerum atque virtutẽ cæteras nationes antecellunt: sicuti peditatu perferendis militiæ laboribus impare, nec

satis exercitato, altera militiæ parte inglorij hoc maximè tempore iudicantur. Censa sunt circiter quatuor millia cataphractorum equitum: quorum singuli de more ternos vel quaternos equos trahebant. Leuis autem armaturæ ad octo millia: quibus omnibus Carolum Borbonium Boiorum & Aruernorum principem præfecit, quum eum paulò ante propter generis claritatẽ summáq; militiæ magistrum equitum creasset: quem honorem, vt suspectum & formidabilem regibus damnato nefatóque Sancti Pauli comite, ac tum rebellantibus Galliæ regulis, Ludouicus Vndecimus aboleuerat. Pedestres verò copias ex eo genere hominum qui pari virtutis gloria cum Heluetijs cõtendere posse viderentur, tantas vbique terrarum, quantas nemo tempestate nostra, aut rex, aut imperator vnus in castris habuerit ingenti mercede conduxit. Siquidem Robertus Sedanius, qui maximam in Eburonibus authoritatem obtinebat, & Carolus Geldrius Menapiorum & Sicambrorum princeps delectibus habitis, ex ea Germaniæ parte qua flumen Rhenum, & Belgarum fines attingit, supra quadraginta cohortes armauerant. Quorum alter Florentium filium misit, quem aduerso pectore decora vulnera ad Nouariam accepisse memorauimus: Alter quòd diuturno & difficili bello quod cum Cæsare

sare superioribúsque Germanis gestum est, Gallorum auxilijs atque opibus subleuatus, & parem referre gratiam, & dignam virtutis suæ famæ operam præstare cupiebat, ad Franciscum in castra peruenit, duxitq; secum summæ opinionis veteranam legionem quam à colore vexillorum nigram appellabant. Præcipua etenim eius virtute, quum ex fortissimis constaret, plures annos, & fines defenderat, & in re bellica maximum sibi nomen compararat. Petrus quoque Nauarrus singulari studio ex Aquitanis, Vasconibus & Cantabris, atque his gentibus quæ Pyrenæos saltus incolunt ad viginti cohortes conscripsit. Erant ij maxima ex parte ballistarij & sclopettarij, cæterum patientissimum laboris, audax, expeditum atque agile militum genus, qui defendendis expugnandisq; vrbibus, atq; omni extraordinario belli munere cum Germanis stabili acie ac firmis ordinibus campestri pugnæ assuetis, diuerso virtutis genere, parem militiæ gloriam quærebant. Nauarrus etenim ad Rauennam captus quum in Gallia custodiretur, nec propter simultates ex infelicitate prælij conceptas, quæ sibi cum Cardonio intercedebant eum Ferdinandus per tot pacis occasiones vnquam redemisset, dolore mœrore magis quàm carceris tædio se totũ ab amicitia Hispani regis alienarat. Vnde mox milit

militari sacramento se absoluit, cessitq; vltro per publicas tabulas his Campaniæ oppidis, quibus ob nauatam egregiè operam Neapolitano bello, donatus fuerat, vt liberius apud Franciscum, quū libertatem dabat, militaret, & renunciatis antiquis muneribus recentem contumeliam vlciscereturQuibus de causis, Franciscus quum solertissimi hominis virtutem atque consilium probaret, eum sua redemptum pecunia apud se in honore habuit, validæq; parti exercitus præfecit. Tormentorum subinde maiorum minorumque tantam copiam, quantam duobus iustis exercitibus satis esse constaret, ad Gratianopolim, atque infirmas alpes præmisit. Fuit bigarum carrorumq; incredibilis numerus, quibus ferreæ pilæ sulphurei pulueris vis ingens, præterea vectes, dolabræ, omnisque generis ferramenta, atque alia domandis itinerum asperitatibus opportuna præsidia conuehebantur: totiusque is apparatus quinque millium equorum perpetuo labore trahebatur, & maiore aliquanto sumptu quàm quisquam crederet. Nam Galli consuetudine sua non inualidos, aut quoscunque sors obtulerit, sed insuefactos & robustissimos equos curribus subdunt, eósque immenso pretio parant & alunt, vt summis eorum viribus locorum omnium difficultates mirabili etiam celeritate superentur. Quin etiam tormen-

tormentorum magistros, ac libratores propter eximiam eius artis peritiā longo vsu & maximis periculis comparatam, in summo honore habēt, vberioreq; stipendio prosequūtur, magnamq; iuuenum multitudinem qui huic rei scientioribus artem tradentibus accuratè studeant, & per gradus ordines, ac maiorū commoda mereantur, tota Gallia instituunt, neq; virtuti vnquā locus, neq; peritis opima salaria liberalitate regum, aut pacis, aut belli tempore defuerunt. Quibus institutis pecuniæ nūquam parcendo, quū ea parte virium magno terrori omnibus essent, facilè sibi vel de fortissimis hostibus memorabiles sæpe victorias pepererunt. Nā Hispani atq; Itali cæteraq; gentes, tametsi tormenta summa arte atque elegantia conflare & fundere didicerint, & magnā eorū supellectilem instructam habeāt, ijs tamē in negotio minus feliciter vtuntur, tarditate præsertim & inertia boū, quos magnitudine impensæ deterriti pro equis substituūt, & inscitia atq; penuria rectorū, quando pauci qui manifesta vitæ pericula subire velint, nisi propositis ingentibus præmijs, haud facilè reperiantur. Sequuta quoq; est proficiscentem regem certis sub signis ac ducibus, valida voluntariorum peditum manus prædæ auida, & cum his tria agrestium millia purgandis & sternendis itineribus mercede conducta. Mercator

catorum Verò & lixarum, calonumq; ingens numerus, qui magnam pecoris, commeatus, rerumq; venalium copiam publico & priuato consilio conuehebant, castra sequebatur. His omnibus ad profectionem comparatis, Franciscus ad Alpes duxit sparsitq; exercitum ad primos aditus trium semitarum, quà tantum pernia sunt Alpes, ne hostes certiore coniectura per diligentissimos etiam speculatores assequi possent, quænam Alpes, quæue potissimum iuga transitu destinarentur. Enimuerò Heluetij in Taurinis Salassisq; aduersus Alpium radices occuparant, æquitate loci plurimum & virtutis fiducia elati, & quod magnopere cupiebãt, antequam totis agminibus in patentes campos descensum foret, cum primis Gallorum copijs in faucibus Italiæ præliò decertarent. Igitur cum mollioribus vsitatisq; itineribus minimè transeundum existimaret ad fallendos hostes, nouæ Alpes, nouas asperaq; montium culmina, quæ nunquã illis antea exercitibus patuissent, tentanda erant. Alpes siquidem quæ Italiam à Gallis Germanisq; disterminant, ab Arsia flumine (id è Carnicis iugis per Hystriæ fines Hadriaticũ petit) ad Vada Sabbatia Ligustici litoris protenduntur, pluribusq; in locis, vel molliore mõtium natura, vel hominum ingenio patefactis itineribus superantur, tametsi rerum natura opifex

opifex altiore consilio densissimos saltus, præaltos exesosq; vertices, & abruptas vallium crepidines, in niuosa illa atq; horribili rupiũ mole posuerit, queis mortales ab accessu terrerẽtur. Primæ Alpes post Carnicas ab Ortu in Occasum tendentibus Iuliæ occurrũt, quæ ab Tarui sio iuxta Anaxum flumen per Bellunum ac Feltrium in Noricum Anstriámq; perducũt. Secundũ eas sunt Rheticæ: quibus ab Tridento per montis Cremeris clementia iuga, in Vindeliciam, & loca ad Oenum amnem Hispurcho oppido proxima, penetratur. His aliæ Rheticæ succedunt, quæ ab Lario lacu, per Volturenam vallem supra Abduæ fontes, & Burmias aquas, celsissimũ Aduæ montis culmen habent, quod hodie Mongraũm vocant. Subijciuntur aduerso statim dorso ab Germaniæ parte sancti Petri Sicus, & à dextris Maranum atq; Bolzanũ, oppida nundinarũ cõuentu nobilia. Sunt & alij quoq; aditus secundũ Aduã montẽ qui ad Lepontios Rhetosq; pertinent. Eæ gentes hodie Grisoni vocabulo barbaro nuncupantur, societate Heluetiorũ clari, & possessione sex vallium, vt alio loco memoranimus, cũ multo pecore, & lactis copia abundent, Alpinarũ gentiũ altissimi. Id verò inter cætera frequẽtissimũ est iter, quod ab codẽ Lario per Clauennã munitissimũ oppidũ, & Solium Bregaliorũ ad Curiã Rhetiarũ perducit

duab

duobus tramitibus. Septa scilicet, & Splugã. Vbi columna Iulij Cæsaris hodie videtur. Has Alpes Lepontias esse credimus Rheni amnis origine illustres. Nã Rhenus in proxima valle caput tollit, quam etiam nunc veteri nomine Lepontinam appellant. At minores Lepontiæ, quibus à Bellizona, quæ oppidum Villitionis, vt quibusdam videtur, antiquitus fuit, per Ticini amnis vallem Torfunum primum Heluetiorum oppidum aditur, non magno ab his interuallo distant, æquitate viarum ac montium cæteris Alpibus leniores, nisi editissimũ diui Gothardi iugum, & profundissima vallis, quam cum tremulo ponte Infernam vocãt. Vno tantum vel altero in loco maximam cum summo timore transeuntibus difficultatẽ præberent. Patent quoque eadem Alpes supra Verbanum lacum ad Domossulam oppidum, quod ipsis in faucibus & profluentis Ogoniæ ripis ædificatum, Ludouicus Sforția patrum nostrorum memoria, & cæde Sedunorum & maximis operibus nobilitauit. Adeuntúrque eo itinere Valesij atque Seduni, qui sedes inter Heluetios & Allobroges tenent. Ad has statim sequũtur sancti Bernardi Alpes, quas Cæsar summas appellat, quondam ab transitu Græcorum, atque Herculis Graiæ nuncupatæ, quæ ab Eporedia per Augustum prætoriam atque Octodurum Veragrorum, id hodie sancti

ti Mauritij oppidum dicitur, in Centrones Gallos, & loca Allobrogum Lemano lacu proxima, perducunt, superanturq; duobus iugis, quorum alterum à dextris sub Ocello vetere oppido, montem Iouis, alterum à læua Iouettum recenti vocabulo appellant. Has rupes igni bus aceto q; Annibalem perfregisse multi opinantur: vt apud Barrum eius itineris pagum perpetuo tanti ducis gloriæ monumento, literæ ipsis cotibus inscriptæ significant: quanquam Liuius grauissimus historiarum scriptor de transitu Annibalis ambigens, non Graijs, sed Pœninis eum traiecisse memoriæ prodat. Ab Iouis iugo Sesithes amnis fluit, & contraria parte Rhodani fontes existunt, qui mox effecto Lemano lacu, per Narbonensem Galliam præceps in mare multis amnibus receptis euoluitur. Has Pœninæ Alpes excipiunt, propter lenitatem mitioris itineris, crebráque incolarum ædificia maximè celebres & frequentes, quarum altissimum cacumen hodie montem Cenisium nuncupamus. His ab Taurino, Susáque per Noualeſiam atque Ferreriam, et mox superatis culminibus per vallem Moriennam, Vienna atque Lugdunum adeuntur, quo itinere ad delendum Longobardorum imperium, in Italiam irrupit Carolus Gallorum Rex, qui postea ab amplitudine rerum gestarum Magni cognomen adeptus est. Ab Susa, quæ olim

Sebusium fuit, iter aliud patet, quod ad Cottias Alpes pertinet, quibus mons Genebra excelso cacumine, & duorum amnium Duriæ atque Isaræ fontibus clarus, hodie nomen præbet. Siquidem, quum pluribus diuersisque itineribus per tot conualles ac varios anfractus occurrentium montium superentur, in vnum tamen Genebræ dorsum omnibus pari labore euadendum: & his maximè qui è Gallia in Italiam transcendunt. Via militaris & conuehendis tormentorum curribus vsitata, Brigantium rectà Eburodunumq; perducit, qua Carolum octauum, qui primus in Italiam currulia tormenta transuexit, profectum memorauimus. Sed per easdem Cottias alia horrenda visu transituq; aspera itinera pluribus in locis patent. Illud in primis admirationis habet plurimum, quo iuxta Vesulum perpetuo specu perfossi montis, in Salassos hodie penetratur. Vesulus Eridani pater nomen adhuc retinet, & ab ipso aquarum diuortio, montium editissimus existimatur. Cottijs Argentaria Alpes iunguntur, apud antiquos parum celebratæ, quod propter angustias & frequentes viarum asperitates, sarcinarijs iumentis, nedum curribus vix pateant. Argentarijs vulgo in prouinciam transmittunt, qui per Auenionem atque Narbonam in Hispanias proficiscuntur. Secundum eas alia Alpes occurrunt, quæ

quæ Maritimæ nuncupantur: & ea ab Varro flumine duplici via initium sumit. Alteris per montana & colles Tendæ, angustijs præcisisq; tramitibus in Ingaunos & Epantheros Ligures supra Sceuam oppidum descendimus, alteris secundum oram maritimam ab Nicæa, Monæco, Albintimilia, Albingauno, Vadis, Sauonáque, Genuam Liguriæ caput peruenitur. Sed quum vnæ omnium Cottiæ, & secundum eas Pœninæ traducendis exercitibus faciliores viderentur, & propterea Heluetios earum quasq; fauces ab Italia firmissimis præsidijs obtinere iudicarent, Triuultius exploratam ab se diu antea noui inusitatiq; transitus rationem, quò ignaris & inopinantibus hostibus copiæ ducerentur, explicauit. Egerat industrius senex Eburoduni multos menses, post acceptam ad Nouariam cladem: & adhibitis locorum peritissimis, valles montésque Alpium magno labore & incredibili studio collustrarat, etiam tunc animo agitans, quibus maximè itineribus ducendæ exercitus foret, si ab Ludouico iterum armis Italia peteretur. Quando Galli, Heluetio bello, Subalpinis oppidis omnibus, quæ ad angustias claustraque Alpium ab Italia pertinebant, atque ipsius etiam Astæ Coloniæ, quæ omni tempore descendentes exercitus recepisset, rebúsque omnibus recreasset, possessione decessissent. Id iter ab Cottijs initiũ

capiebat, mox relicto ad lævam Genebræ monte, vasto horribilique deflexu per abruptas valles montes q; asperos ad Argentarias extendebatur: quæ via quum ardua in primis, & insuperabilis pluribus videretur appareretque Triuultium nimio studio repetendæ patriæ eum ætum, ardentius atq; audacius quàm rerum vsus, aut militaris disciplina postularent, cum ætas belli atq; itineris asperitates esse tentaturum. Franciscus exercitum vllis angustijs minimè committendum existimans, Lotrechium atque Nauarrum authoritate ingenioq; præstantes præmisit, qui singulas difficultates inspicerent, explorarentq; an viribus humanis cessura essent, quæ à Triuultio proponebantur: tametsi propter egregiam fidem multis cognitam periculis, & singularem rerum experientiam summa dictis eius atq; consilijs fides inerat, & ab eo viro qui ætatis honore, et rei bellicæ gloria longè alios duces anteibat, de re tanta nihil frustra confirmari omnes iudicarent. Lotrechius & Nauarrus aliquot diebus in Alpibus consumptis, & perspectis notatisq; locorum iniquitatibus, regi renunciarunt egregiè ac diligenter omnia à Triuultio fuisse animaduersa. & ab se quoque certis in locis nonnulla ad euincendas naturæ asperitates remedia excogitata: esse tamen vbique pedestria concisaque itinera, quæ nisi magno cum labore atque pericu-

periculo patefieri non possent. Triuultius primum se munitorem itineris atq; agminis ducem professus: per hæc, inquit, aspera tibi rex fortiter enitendum, vt quum aenea tormenta trãsuexeris, Annibale maior appareas. Transmisit ille mitioribus iugis sine tormentis, sine curribus, aliquanto maiore cum laude quàm postea cum Romanis acie decertarit. Nam qui Alpes transcendere ausi non fuissent, eum postea victorem commissis æquo loco prælijs superare didicerunt. Ita summo regis studio, quum nihil laboris atque periculi milites recusarent, à Gratianopoli Vigiliam, atque inde iunctis omnibus copijs Muram, & recto itinere Eburodunum exercitus ductus. Eburoduno profecti Borbonius atq; Triuultius qui primo agmini præerant, quinque dierum commeatu prouiso, ad sancti Clementis atque Crispini alpinos vicos contenderunt. Inde sub lævam relicto Genebra monte, Druentiam flumen exercitus vado traiecit: positisq; ad Gilestram castris, et mox Aualtio monte superato, ad sancti Pauli rupem magno labore peruentum. Eam, quod abrupta inaccessibilisq; erat, incredibili celeritate ferro pandunt, tormentaq; traducunt. Sequenti die in Barcellonam vallem descensum. Ea ingentibus saxis & iniquissimis collibus interpositis impedita, magnam rerum desperationem afferebat. Nam ligonibus dolabrisq;

bris q3 proscindere saxeos colles, exaquare crepidines, & quum nullus per derupta equorum vsus foret subiectis militum humeris tormenta transuehere necesse erat. Interdum ea magnis funibus ad scopulos & stipites arborum circumductis, sustendebantur, & versatilibus machinis ergatarum, & troclearum artificio, de rupe ad rupem, intercedentibus profundissimis vallibus, cum summa admiratione totius exercitus trahebantur. Nonnullis etiam in locis nudarum rupium latera, vbi via deerat, suppositis tibicinibus, iniectisq3 longuriis muniebant, & insuper iniectis stratisque virgultorum fascibus, cestitibus, ac gleb is pensiles vias transeuntibus curribus parabant. Ita mira fabrorum industria, et singulari militum labore, in Argentariam vallem cuncta exercitus impedimenta traduxerunt. Sequenti die à Larchia Ebergiaq3 oppidis in Asturiæ vallem vniuersum agmen se demisit, vbi Pedeporcium montem, qui mediam vallem interfecabat, & iter reddebat iniquissimum, parui munitorum artificio, fractis atq3 reuulsis immanibus petris, domuerunt & exaquarunt. Ab Pedeporcio Aucnnam, atque inde Samulcum, & mox ad Italiæ fauces, tribus tantum diebus eo itinere consumptis, incolumis exercitus peruenit, tanta quidem felicitate, vt Sedunensis et Prosper perspicacissimi alioqui homines, qui frustra Pœninas Cottiasque obseruabant, in quarum culminibus Gallos equites ab rege, vt speciem transituri exercitus facerent, de industria transmissos viderant, de transitu Gallorum nihil toto eo triduo cognouerint. Id verò eos fefellit, quod tormenta, in quibus maximam victoriæ partem Gallos collocare intelligebant, nullis inusitatis Alpibus traduci posse crediderant, vt qui terrentur quotidie infideli opera Alpinarum gentium, quæ vno consensu cogente natura Gallicis rebus fauebant, & permotæ Heluetiorum atq3 equitum inuerijs, propensissimæ voluntate Gallorum ad ueritum opperiebantur, postquam Carolus Sabaudiæ eorum princeps Francisci regis auunculus, ab Heluetiorum & Sfortianorum amicitia discessisset. Prosper ad primum transgressi hostis rumorem Carmagnola profectus, vbi plures dies egerat præmissis Villafrancã equitibus, ad Sedunensem pergit, qui tum Penarelli cum valida parte exercitus consliterat. Decernitur in consilio cogendos esse in vnum omnes Heluetios, & ad hostes priusquàm ex labore se reficiant, properè contendendum. Prosper eo consilio, vt sequenti die equitatum in castra perduceret, ex colloquio discedit, postulatq3 cohortem vnam præsidij sui causa, quam quum ab asperis hominibus impetrare non posset, nihilominus de prima vigilia Villafran-

cam

cam proficiscitur. Interim Gallis, quorum vnū expeditum agmen per Agnelli collem, imprudente vel coniuente Ioachimo angustiarum custode, supra Cunium oppidum processerat per ipsos hostium hospites summa perfidia defertur: Prosperum Carmagnola digressum, Villafrancam equites præmisisse, diuisas esse Heluetiorum copias, & Sedunensem Penaroli cum parte exercitus considere: proinde rei bene gerendæ occasionem: præberi. si ad eos opprimendos, qui nihil tale suspicentur, cum valida manu equitum Villafrancam peruolarent: Galli, quum à pluribus simul speculatoribus de eadem re vno tempore docerentur, consilium statim probant, & Palicia, Obignino, Imbercurtio, Sanserrio, Baiardoq; promptissimis ducibus negotium committunt. Ii assumptis amplius mille delectis equitibus, vt hisdem itineris ducibus, qui rem indicarant, citato cursu quindecim millia passuum conficiunt: captiq; in itinere hostium exploratoribus, Padum, quas incolæ facilem fluminis alueum monstrarunt, vado superant, & patentibus portis nullo prohibente, Villafrancam ingrediuntur. Prosperum enim paulò ante per præconem pronunciari iusserat, vt instratis equis, cibum cuncti caperēt, atq; omnia ad profectionem præparārent. Se etenim cum præsus foret, ad Heluetios esse progressurum. Quo casu milites solutis stationibus ad colli

ad colligenda vasa in contubernia se contulerant, eo etiam maiore fiducia, quòd Gallos repentina incursione nihil ausuros, et si auderēt, se interim Padi munimento, dum arma expedirentur, tutissimos fore existimabant. Interim momento temporis sors ipsa insignem calamitatem Prospero intulit, quæ Gallis parata erat si ipse ante vel minimo temporis spatio aduentum eorum præsensisset. Nam Padus præruptas atq; difficiles, vbi transierant, ripas habebat: neq; Gallos qui fessi plurimum agitatis atq; anhelantibus equis aduenerant, recenti atque fortissimæ alæ equitum pares futuros, in tanta præsertim propinquitate castrorum, credendum erat. Galli vno impetu completis omnibus oppidi regionibus, Prosperum cæteros q; equites domi obsidēt. Ille quum frustra omnia prætentasset, desperatis effugijs, hostes de nomine ducum ab editiore loco percunctatus, Obignino se dedidit, quòd cum eo ex deditione Brixiæ, et Eberardi patrui memoria aliqua beneuolentiæ necessitudines intercedebant. Interim Hieronymus Penna equitum præfectus, qui expeditius se ac suos profectioni accinxerat, per auersam ab hoste portam erumpendo, in proxima Heluetiorum castra cum parte equitum se proripuit. Nonnulli alij, & in his Ioannes Barchalonius sagittariorum præfectus, vnus è tredecim, quos ex prouocatione cum tre

decim Gallis pugnasse tradidimus, serò idem tentantes, frustra illatis acceptisque vulneribus, necessariam deditionem fecerunt, & praeter quingentos vtriusque armaturæ equites, Cæsar Feramusca, Petrus Marganus, & P. Antonius Carrafa Polycastri comitis filius, viri illustres. Audiui ego postea Prosperum Cæsaris Feramuscæ culpa se tantam cladem accepisse seuerè conquerentem quòd ille portas præsidio tueri iussus, dum nihil tale timeret, imprudentissimè adapertas ualuas ingressuris hostibus reliquisset. Galli collecta raptim præda, abductisque captiuis, maiore aliquanto celeritate quam venerant, propter hostium propinquitatem traiecto rursus Pado in pacatum concesserunt. Hinc videre licuit, quantum Fortuna nimium potens humanis rebus illudat, quum puncto temporis lethali vulnere inflicto, Maximiliani partes euerterit, ac simul optimi ducis, qui prudentia, imperatoriisque artibus nemini inferior putabatur, obscurata rerum antegestarum laude, authoritatem omnem & dignitatem fœdissimo casu maculârit. Quo etiam nuncio Leo pontifex, quod summam spem in eius viri virtute collocasset, & mox Heluetios dissentire inter se, & de pace agere cognouisset, eò consternationis adductus est, vt desperatis propè rebus, ac impellentibus maximè familiaribus, qui Gallicæ factionis

nis erant, Cynthium Tyburtinum ad tractandam pacem cum mandatis ad Franciscum transmiserit, Bononiámque, quòd eo rerum motu seditiosis ciuium ingenijs dissideret, exulibus Bentiuolis reddere cogitarit. Cessisset q3 ea vrbs vltro impotentibus dominis, nisi Iulius Medices qui tum legatus aderat, confirmato pontifice, singulari constantia dubijs rebus occurrisset. Vix dum oppido Galli cum captiuis excesserant, quum expeditæ Heluetiorũ cohortes superuenerunt, qui dolore simul atq3 iracundia cõcitati oppidũ inuentis adhuc nonnullis equitibus qui latitabant, hostiliter diripuerunt. Sedunensis vno tẽpore sine duce, sine equitatu, sine pecunijs, vnde nutantibus Heluetijs stipendia soluerentur, quum de Franciscí aduentu certius cognosceret, cogere exercitum, & eiusdẽ gentis similes excedere constituit: præsertim quòd per Albertũ Petram, & Ioannem Despachium Bernensium duces, quorum in Gallos semper singulare studiũ extiterat, & per ipsos Allobroges ab Carolo eorum duce submissos solicitari multitudinem aduersum se, ac deprauari non obscurè intelligebat. Albertum Petram superioribus diebus propter eandem causam custodiæ tradiderat, mox q3 optimorum precibus expugnatus, vinculis exemerat. Vnde ille ex aduentu Gallorũ spiritus sumens, veluti iniuriam vind

vindicaturus, quibuscunq; poterat artibus institutum opus persicere conabatur. Resq; eo deducta erat, vt iam nemnulli procactius stipendium flagitantes, in cardinalem arma conuerterent, quòd pecunia quæ ab Hispano rege promissa, deferri in castra debuerant, cunctante apud Mediolanum Didaco Aquila legato, ad constitutam diem non repræsentarētur. Sed Galeacius Vicecomes antiquæ apud Heluetios authoritatis, & Iacobus Gambarus à pontifice pecunia missus, interuentu meliorum hæc initia seditionis oppresserunt. Eo modo fluctuantes Heluetios Borbonius atq; Triuultius, quum animis ac viribus disiunctos per partes opprimi posse iudicarent, vna vel altera acie facilè deleuissent, nisi eos Franciscus, qui se absente tentari certaminis fortunam nolebat, ne id facerent, aut rem in aliquod pugnæ discrimen adducerent, multum antea monuisset. Ipse interea superatis Alpibus cum tota mole copiarum in primos Italiæ campos descendit: lustrauitq; exercitum incredibili omnium alacritate, quòd omnia sibi opinione hostium expeditiora contigissent. Ea die Prosperum per instructas acies ad se perductum, vt præsentem fortunam æquo animo toleraret, ac optimè de se sperare humanissimis verbis hortatus est, equitesq; eius gratis missos fecit præter paucos clarioris nominis.

Postero

Postero autem die propius hostes mouit castra tentauitq; per idoneos homines, quos Carolus Sabaudius ex Allobrogibus veteris amicitiæ iure ad Heluetios mittebat, an vllis conditionibus flecti possent, qui pacis nomen oderant, & tunc maximè Bernensium conatibus aduersarentur. Sed quum omnium propè animis & certa spe pontificiæ pecuniæ, & cardinalis concionibus, atq; ipso etiam inconstantiæ pudore confirmatis, ea mens exercitus foret, vt exitiabile bellum, quàm æquissimam pacem malle videretur, Allobroges rebus infectis discesserunt. Heluetij tamen duces, qui spem pacis eo tempore minimè tollendam existimabant, vt fallendo, moræ spatium interponerēt, quo se ab iniquissimis locis explicarent, paucorum dierum inducias postularunt, affirmantes se interea Vercellas esse concessuros, atque ibi lubentissimis animis audita iterum legatione, ad frequentius concilium de pacis conditionibus relaturos. Franciscus, tametsi bellicæ occasionis rationem certis atq; breuissimis rerum & temporum momentis constare intelligebat, nihilominus, quod tum nihil prælij fortunæ committendum iudicaret & belli spera ret sine suorum vulnere se confecturum, inducias concessit: Lotrechium tamen cum valida equitum manu, qui neminem ab toto agmine discedere, vel impunè vagari ostentata nonnunq

nunquã acie pateretur, abeuntes insequi iussit. Illi suo more conseruatis ordinibus quum proficiscerentur, secundo die Clusasium nobile oppidum ex itinere petierunt, quòd oppidanos sibi amicos fore existimantes, sese eorum copijs & commeatu recreare cogitabant. Verùm Clusasienses, siue metu ne oppidum diriperetur, si tãtam multitudinem recepissent, siue adducti Gallorum amicitia, vt qui magnopere viribus suis ac mœnibus confidebant portas clausserunt, nonnullis qui paulo ante cõmeatus petendi gratia ingressi fuerãt, crudeliter interfectis, tanta quidem arrogantia, vt quosdam ad colloquium incautè portis succedẽtes sagittis è muro configerent. Quibus iniurijs permoti Heluetij, prolatis continuò tormentis, & deiecta muri parte, celeriter per ruinas irrumpunt, & supra sexcentos qui in armis erant vno impetu trucidant, domosque diripiunt. Nec ira per citi tectis pepercissent, nisi Seduenensis, Galeacio & Gambaro deprecantibus, simulato aduentu Gallorum quòd fortè eorũ antecursores in conspectum se dederant, pulsari repentè tympana, & ad arma cõclamari iussissent. Quo casu quum sese omnes ad propositum signum vt in aciem prodirent, portis eiecissent, paulo post & cæde oppidanorum, & multitudine prædæ atq; ipso etiã temporis spatio sedatis animis, ædificia conseruarũt. Itaq; rerum

rerum omnium abundantia recreato exercitu, è Clinasio Eporediam, mox Vercellas, quo in loco ne legatos audirent, vti pepigerãt, exiguo tempore commorati, rectà Nouariam contenderunt. At postquam Nouariam venium, Heluetij qui iam animo desciuerant, nec vllo aut loci aut temporis interuallo, quo minus ab scipsis ac fœderatis regibus deficerent, sanari potuerant, secessione facta miscere cuncta strepitu armorum, partium principibus maledicere, & cardinali, ni continuò pecunia proferrentur, exitium comminari cœperunt. Nec in tanta rerum omnium deformitate præsentanea remedia comparari poterant, queis furor atq; impetus cõcitata multitudinis leniretur, quum vno tempore Aquila Hispanus, nec paratam pecuniam Mediolano transmitteret, nec ipse, metu vel dolo incertum, multis accitus literis in castra veniret: & magis ac magis instantibus etiam tum Allobrogibus, centuriones vexilliferos & vulgus militum Albertus atq; Despachius ad defectionem apertissimè solicitarent. Quamobrem cardinalis, vt dissidentis atq; infidæ multitudinis tempestatem effugeret, in arcẽ se recepit. Nec multo pòst Albertus atque Despachius sublatis vexillis, cum amplius hominum decem millibus domum, superato Verbano, per Domossulam abierunt. Cateri, qui vel fide præstabant, vel propter

propter insigne odium aduersus Gallos, vt tantum dedecus admitterent, adduci non poterant, Ronnam & Anglardum, homines è Tigurino pago spectata virtutis, duces sibi delegerunt, apud quos decedente iam metu cardinalis verba fecit, docuitq; nihil salubrius exercitui accidere potuisse, quàm vt illi disciplina & decoris patrij euersores, qui empti pecunia cæteros deprauare, & fœdissima contagione inquinare conati essent, vt bellum pro dignitate Heluetij nominis necessario susceptum impedirent, ipsis tandem castris Deorum munere decessissent. Nec discessu eorum multum animo permouerentur, aut de victoria magnoperè dubitarent: adesse enim milites fide virtuteque præstantes, venturósque alios iubentibus oppidorum magistratibus, quorum viribus sustinere Gallorum vim facilè possint, modò consentiant, & secum optima ratione gerere bellum velint. Esse ad vtranq; Padi ripã cum duobus exercitibus Laurentium Medicem, Raimundumq; Cardonium paratos iungere socia arma, & bellum communi consilio administrare, si propius accedere Heluetias legiones audierint: proindè videri sibi facile atque optimum factu fore, si motis castris continuò Ticinum amicam vrbem, & rerum omnium copia abundantem, paruo itineris flexu contenderent, atque inde Laudem Pompeiam

peiam ad sociales exercitus progrederentur, veleos si ita oporteret mutua securitate venientes exciperent. Vnam eam superesse spem & certissimam vincendi rationem quando eo breui expeditoq; itinere facilè iuncturi in vnum vires, ac simul Venetos qui iam peruenissent in Cremensem agrum, à Gallis interclusuri essent. Sed cum Ronna & Anglardus impetu ac libidine militum regerẽtur magis, quàm alijs imperarent, & plures Mediolanũ rerum caput petendum, eamq; vrbem incredibili copia commeatus natura ac munitione loci armorum apparatu, & egregijs ciuium studijs maximè opportunam belli sedem, deligendam dicerent, nec salubberrima cardinalis consilia sanis auribus acciperentur alijs alia volentibus, rem ipsam ad seditionem penè deduxerunt. Fit enim sæpenumero superbia atq; æmulatione communi vitio ducum, vt plerique in ipsis consilijs ea maximè nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognouerint, vltroq; aspera & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. Erant enim multi adhuc in exercitu Gallicæ factionis qui secuti cardinalem ducem, vultumq; eius & singularem industriam horrebant, ita ex occulto turbare omnia, atq; omnem eius authoritatem conuellere conabantur. At cardinalis, qui arrogantia ducũ, & leuitati multitudinis

resistere se non posse, sine maximo vitæ discrimine prouidebat, cum fida magis quàm valida Heluetiorum manu, Ticinum atque inde Placentiam, vt cunctantes exercitus ad capessendum bellum hortaretur, profectus est. Galeacius verò Vicecomes, & Gambarus, qui & præsenti pontificis pecuniæ, quæ iam adducta erat, & spe maioris summæ, & frequentissimis concionibus, vt optimos in officio continerent, & cæterorum mentes sanarent, plurimum conterebant, in castris remanserunt: eo quidē animo, vt si quid durius sibi accideret, id quam æquissimè perferrent: ne Heluetij qui aliquo adhuc pudore & infamiæ metu tenebantur, relictos se desperatis rebus, atq; desertos dicerent, ob idq; exoptatam discedēdi occasionem arripere posse viderentur. Cardinale Nouariæ profecto, Ronna & Anglardus matis castris iuxta Verbanum lacum iter fecerunt: ac simul eodem tempore, Galli, quibus omnia tanquam victoribus cesserant, Nouariam adulârunt. Octauianus enim Fregosius paulò antè, qui ad se per maritimas alpes Emarus Prieus cū equitibus Gallis peruenisset ipse q; supra quatuor millia Ligurum armasset, Alexādria, Derthona, multis q; oppidis Sfortianos adiuuantibus Guelphis, expulerat, Caterùm Franciscus dedētibus sese Nouariensibus, arcem primo aduentu obtinere non

non potuit, quanquam nec à forti custode, nec satis firmo præsidio teneretur. Enimuerò lutissimis circumfossis, & præalto vndiq; muro cinctam, omnem oppugnationis impetum toleraturam apparebat. Verum Franciscus, qui hostile quicquam aut inuictum in tergo relinquere, neq; validissimi exercitus, neque suæ dignitatis esse statuebat, Nouarro, qui oppugnaret, negotium dedit. Ille noui decoris cupidus, subnectis cōtinuò tormentis, constitutis q; operibus, tanta vi oppugnare adortus est, vt paucis horis, & summa murorum, & celsorum propugnacula, labefactatis etiam turribus cū ingenti ruinæ fragore deiecerit. Quo terrore adductus imbellis præfectus, sese atq; arcem cū præsidio dedidit. Interea Heluetij, qui Ronnam & Anglardum sequebantur, Varesium peruenerunt, atque inde cum toto eo itinere de fœderatis principibus oblocuti, Gambaro pontificiam pecuniam ademissent, ac tunc maximè, quot Albertus Petra, atque Despachius fecissent, se facturos minarentur, Galaratum propè omnes contenderunt, quò iam venerant Carolus Sabaudius: Lotrechius, & complures togati viri, vt iterum de pace agerent, conditionesque conscriberent. Adeo incertis animis leuis, & factiosa multitudo huc atq; illuc, modò spe auri, modò decoris & gloriæ cupidine ferebatur, vt cum eadem vtrique

promitterent, uno tempore instabiles simul eos ac constantissimos existimares. Galeacius & Gambarus in ea rerum perturbatione, quum fidissimos quosque militum & duces adirent, ac obtestando orandoq; deprecarentur, ne turbidos ac deprauatos sequi vellent, ne socios principes prodere, ne tantam publico nomini Heluetio ignominiam constare, tantumque Gallis hostibus afferre beneficium properarent, duces sese ea ratione ad Gallos proficisci respondebant, vt agendo interpellandoq; omnem perficiendi negotij rationem euerterent, & deductis persuasisq; militibus ab Gallorũ amicitia omnium animos alienarent, Sed longè aliter euenit. Nam dum Heluetij ad Galaratum rebus compositis de pace conditionibusq; deliberant, Rostius summæ apud Heluetios authoritatis atque amplitudinis, cum viginti cohortibus è Belinzona superuenit. Cuius viri aduentu commutatis multorum voluntatibus, ac pluribus metu consternatis, qui Gallos oderant, ssem omnem initæ iam pacis corruperunt, Rostium enim paulo ante 12. pagorum principes ad famam dissidentis exercitus, quòd summũ Tigurino in pago magistratum gerebat, & cæteris ducibus sicuti ætate ita bellicarum rerum peritia præstare dicebatur, omnibus suffragijs totius gentis imperatorem declarãt. Is vt seditiosorum conatus effringeret, & præsentibus malis mederetur, castigando, adhortando, terrendoq; omnibus consilij modis, & præsenti quoq; seueritate non deerat. Ergo pudore ac metu conuersis omnium animis, cum pro pace bellum armaq; deposcerent, Rostius Gambaro pecuniam reddit, milites sacramentum apud se dicere iubet, & quum opportunè etiã Aquila Hispanus, cum pecunia superuenisset, persoluto omnibus stipendio, motisq; eo die castris vt Mediolanum recta duceret per Comensem agrũ Modoetiam contendit. Interea Sedunensis apud Placentiam quum de Rostij aduentu cognouisset, vt qui propè euersis ac desperatis rebus, noua spe auctus nihil amplius de belli euentu timere videbatur, adhortari pontificios duces cœpit vt Padum transirent, & secum ad victoriam proficiscerẽtur. Simili quoque ratione Cardonium, qui ad confluentes Padi atque Abduæ castra posuerat, obsecrare atq; obtestari, maturaret Laudem proficisci, ac vires suas cum pontificijs Heluetijsq; coniungere properaret. Præberi à Dijs immortalibus pulcherrimam incomparabilis victoriæ occasionem, quasi Rhauennatis cladis memoriam retineret, & quales rerum exitus in Italia, vincente Gallo, futuri essent, animo metiretur, proprio decori ac laudi, desiderio sui regis, totiusque exercitus

existimationi, ac gloriæ satisfacere posset. Ille quum se neque voluntate, neque consilio, neque viribus fœderatis principibus defuturum, & ad præstitutam diem vniuersas copias adducturum in Laudensium fines profiteretur, Sedunensis nihil cunctandum ratus, à Goro Pistoriense procuratore pontificis septē vtriusque armaturæ equitum turmas præsidij sui causa accipit: & traiecto Pado, Laudem contendit. Duces erant Mutius Columna, Ludouicus Pitiliani filius, Guido Rangonus, Nicolaus Balneus, Raynerius Saxetanus, Ludouicus Firmanus, & Raimaldus Ticinensis, quei magnum in re militari vsum habebant. Sed quū Laudem peruenissent, & Cardonius, vt constitutum erat, ad iungendas vires minimè processisset, quòd Heluetios de pace agere, & Gallos, qui iam in Mediolanensem agrū peruenerant paucarum horarum itinere à Laude abesse cognouerat, Sedunensis ira simul ac timore perculsus, vt ad Heluetios celerrimè se conferret, Laude excessit. Quo casu, nonnulli equites, quorum duces erant Rangonus Raynerius, atque Firmanus siue metu siue alio honestiore consilio, vt postea perfecto bello cognitum est, se vlterius progressuros negauerunt, neque quum cardinalis, ne tantum flagitij admitterent, ne se in tanta propinquitate castrorum infensissimis hostibus proderent, obmu-

xè deprecaretur, & postremò iure legationis atque imperij iuberet, minasq; adderet, quin Placentiam redirent, flecti potuerunt. Mutius & cæteri, qui periculosum consilium, quòd laudem & gloriam, quam tutum quod ignominiam afferre posset, sequi malebant, Sedunensem secuti, Modoetiam ad Heluetios peruenerunt. At Franciscus, tametsi spem pacis, nullo endastriæ vel liberalitatis officio intermisso, minimè sibi abijciendam existimabat, tamen ne aliquod interea per incuriam incomodum acciperetur, quòd dimissa spe belli plerunque languescere ducū animi & milites mentione pacis negligētiores fieri consueuerint, è Ticinensi in Laudensem agrum deflexit, modicq; itinere secundum publicam viam Mediolanum inter ac Melegnanum oppidum, quod Lambro amne alluitur, castra constituit, ipso rerum ordine, atq; amplitudine copiarum admirabiliora, maioraq; quàm quisquam ætate nostra conspexerit. Id pluribus de causis fecit, vt ab inani ac peruastato agro in fertilissimas atq; intactas Mediolanensiū possessiones transiret, ac simul Hispanos ac pontificios ab Heluetijs intercluſos, summo discrimine proposito, trāsitu prohiberet, Liuianumq; cum copijs aduentantem ipsa castrorum propinquitate firmiorem redderet, & ab imminente Cardonio tueretur. Quo vno consilio Franciscus maximum

omnibus rebus suis, & summæ demum victoriæ momentũ attulit. His de causis Cardonius magnopere timens, ne subito Liuiani Gallorumq; aduentu in patentibus campis opprimeretur, ad Padum retrocessit, & põte, quem antea nauibus constituerat, cuiq; Ioannẽ Dorbinũ ad tutelam cũ cohorte & tormentis præfecerat amnem cõtra Placentiã traiecit. Erat Placentiæ Laurentius Medices cũ cohortibus quatuordecim Italici generis, & tribus millibus equitũ. Cardonio autẽ aderant octingenti cataphracti, & leuis armaturæ equites mille, cum legione una veterana, cuius singuli milites fortibus factis clari & præda ditiites, tum spectata virtute tum splendido armorũ cultu, centurionibus suis, ac ducibus æquabãtur. Iunctis eo modo duobus exercitibus, quum & tuto transmitti Padus, & ad Heluetios facilè perueniri posse omniũ opinione cõfirmaretur appareretq; Laurentio atq; Cardonio, si progrederentur, vel ingentis victoriæ, vel eximiæ laudis occasionem esse propositam, in consilium adhibitis militũ præfectis descendunt. Adducuntur utrinque aliqua in excusationem, quòd non adhibita maiore diligentia & celeritate sese cum Heluetijs ab initio cõiunxissent, cuius rei culpa, & cunctatione ducum potius quàm angustia temporis aut itinerum difficultate, nonnullæ occasiones prætermissæ videbantur: Heluet

Heluetios tamen omnes incusare, quòd ignarus fœderatorum exercitibus cum cõmuni hoste de pace priuatim egerint, vel id se facturos fideli quantumlibet consilio simularint, quãdo eius facti sinistra fama periculosoq; rumore, territis iam omnium mẽtibus grauissimi belli metum, iniecissent, paratos tamen sese Hispani æquè ac pontificij profitentur transire amnem: & si res poscat, nullam vel iniquam certaminis conditionem detrectare, modò ex fide egregiaq; omnium voluntate bellum geratur. Sed quum inter se verbis tantum agerent, re vera autẽ alter alterius voluntati magnopere diffideret, qui nam primum castra flumẽ traducere vellet, reperiri non poterat. Laurentius tametsi quæ partes officij sui ac dignitatis essent, & quæ mens, quæue consilia patruei pontificis forent, memoria retinebat, in difficili tamen negotio aliter sibi consulendum arbitrabatur: vtpote qui Ferdinandum regem exemplo superiorum temporum cum Gallo clandestinis consilijs consensisse credebat. & proinde Cardonium, qui paulò ante ad Heluetios deflectere noluisset, nihil egregium pro alieno cõmodo facturum putaret. Ex aduerso quoque graui suspensus curæ verebatur, ne Heluetij, qui fluctuando discrepandóque plurima defectionis signa præbuissent, in medio ardore

belli lethale aliquod vulnus fœderatis inferrent. Cardonius quoque eadem de Laurentio suspicari, & maximè ab omnibus perfidiam timere, quòd audiret ab eo nuncios clam ad regem in castra transmissos, & legatum pontificis Ludouicum Canosium Tricaricensem episcopum, qui regijs in castris remansisset, de compositione agere, constantissimèque polliceri pontificias copias nihil interea Gallis esse nocituras. Et fortè (quod eius rei suspitionem adauxit) paulò ante Hispani equites Cynthium Tyburtem è regijs castris redeuntem interceperant, quem ad componendas res à pontifice transmissum docuimus. Quibus de causis facilè fiebat, vt vterque cautius atque suspensius sibi agendum iudicaret. Cardonius, ne vel minimo accepto incommodo, Neapolitanum regnum, ac salutem suam, qua incolumi exercitu nullũ discrimen subire poterat, prauj & Fortunæ casibus obiectaret: Laurentius, ne potentissimum hostem, quẽ nunquã oppugnandum censuisset, in ipso victoriæ cursu, vana atque intempestiua offensione lacessere atque irritare videretur, à quo, si in citeriore Padi ripa subsisteret, æquiores conditiones expectandas esse putabat, quàm ab Heluetijs, si pari etiam periculo iunctis viribus victoria potiretur: quòd intelligeret eos, si victores euaderent,

rent, Parmam atque Placentiam, sicuti insolenter, paulò ante postulassent, continuò armis esse repetituros. Ita qui malis artibus omnes bellum administrarent, cuncta facilia atque expedita ad victoriã Gallo præbuerunt. Paulò post tamen siue aliqua simulatione, siue commutatis ratione voluntatibus, ad spem imminentis victoriæ conuersi, quòd precibus Maximiliani, & Sedunensis obtestationibus, Heluetiorumq; omniũ hortatu, quotidie per nuncios ac literas euocarentur, Padum transire cœperunt. Cardonius vt qui amni proximior erat, primus in aduersam ripam tetendit. Laurentius quòd parum lucis supereret, edixit, vt de quarta vigilia omnes copiæ ad ripã conuenirent, atque inalbescente cælo traijcerent. Sed fortè accidit, vt eo tempore Hispani equites, quos speculatum missos Cardonius excurrere iusserat in Borbonij turmam per eandem causam prædandi exploradiq; per agros vagantem incidérent: commissoq; certamine Gallorum præfectum cum pluribus equitibus captum in castra perducerent: à quibus cognitum est regem Laudensi via munitis castris consedisse, Liuianum cum exercitu ad Abduam progressum, Heluetios acceptæ pecuniæ, vltro citróque missis de pace oratoribus, sequenti die conditionibus subscripturos, & validam Gallorum ac Germanorum ma-

num Palicia duce castris digressam, Circumpadanis campis appropinquare. Quibus vulgatis sermonibus, Hispani qui summa alacritate paulò ante transierant, inordinati ac tumultuantes, non expectato imperio, repente collectis vasis pontem conscenderunt: neque prius festinandi trajiciendiq; finis factus est, tametsi Piscarius increpãdo componere ordines conaretur, quàm in aduersam ripam priusquam pontificij Placentia egrederentur, vniuersi consiterunt. Ita vana suspicio à falso timore nata, quum Dij ac fortuna manifestè à Gallis starent, supremos hæsitantium conatus, & sera consilia discussit atque perfregit. At cardinalis & Rostius ad Modoetiam, dimissis ab se regijs araldis, qui ad tractandas pacis conditiones aduenerant, Mediolanum cum omnibus copijs concesserunt. Helvetij pedites priuatis ciuium hospitijs suscepti sunt: equitibus verò suburbana ædificia, quæ ad Romanam portam vergunt, data. Ibi agebantur stationes, & crebrò equestria prælia committebantur, quod Galli è castris ad portam vsq; & pontificij è stationibus in proximos campos & circumiectas villas quotidiana consuetudine prouehebantur. Venerat etiam paulò ante ad Ticinensem portam Triuultius cum modica militum manu, vt colloquium postularet, ciuesque ad deditionem hortaretur. Sed illorum

illorum animis nequicquam tentatis, subitæ armatæ plebis procella, qua ex improuiso fecerat eruptionem, non sine salutis periculo repulsus, in tutum se receperat. Coactis Mediolani omnibus copijs Maximilianus & Sedunensis duces legatósque in arcem vocant, & consilio adhibent. Quum de toto belli genere deliberaretur, pluribus ad victoriam conducere visum, si non prius acie decertarent, quàm aut se cum pontificijs Hispanisq; iunxissent, aut Gallum confisum munitionibus suis, in æquiores campos, aliqua necessitate imposita, perduxissent. Siquidem Helvetios alterutrum facilè consecuturos apparebat, si castra Binascum vsque Ticinensi via promouerentur. Cuius rei consilium duabus rationibus explicabatur. Nam si Franciscus ad motum hostium pertinacius munitissimo in loco sibi persistendum esse censeret, facilè à Binasco per sancti Angeli oppidum, atque agrum omni commeatu abundantem, se ad Padum peruenturos indicabant, vbi pontibus antea constitutis, sociorum exercitus cum summa spe victoriæ iungerentur: Sin Gallus prætuens ne Papia vrbe simul ac lapideo ponte Ticini amnis, quo in loco præsidium mediocre reliquerat, intercluderetur, Ticinum contenderet: eo casu, aut in itinere æquiore conditione pugnaturos, aut à tergo continuò deflexuros

Laudem

Landē Pompeiam: indēque accitis ac receptis in castra Laurentio atque Cardonio, futurum esse, vt Liuianum à proposito itinere statim auerterent, & spem Gallis comminuerent, quam illi de victoria maximam ex rerum successu concepissent. Hæc quum prolatis in medium membranis, quibus mensuræ itinerum, & regionis situs pictura describebantur, vt agresti ingenio homines certius deliberata cognoscerent, nonnulli duces, qui vetere iudicio suo vel recenti pecunia adducti, apud Galaratum pacis conditiones acceperant, dissentiendo, & vanas difficultates immiscendo, considerationis maturiusq; ea exploranda dicerent, totam saluberrimi consilij rationem corruperunt. Quibus de causis Sedunenses, ne fidelium animi interposita mora languescerēt, & studia incerta multitudinis in perfidiam verterentur, eò omnes cunctis artibus vt quā primum cum hoste confligerent, deducendos esse existimauit: ratus sē aut egregiam relaturum victoriam, aut si Heluetij aliquam ex infelicitate prælij calamitatē accepissent, Gallorum genti cum vniuersis Heluetijs inexpiabiles inimicitias atque immortale odium conflaturum. Ergo cum signiferis & fidelissimis Pagorum principibus communicato consilio, Mutium Columnam secreto admonet, vt ex composito quum signum acceperit, ad arma conclamari iubeat: ac veluti hostes iusto exercitu suburbanis ædificijs appropinquarēt, cum equestratu procurrat, & quanta maximè possit timoris atque periculi simulatione, ab Heluetijs auxilium imploret. Idem vt faciant primis cohortibus imperat, quæ virtute militari atque odio in Gallos insignes, in ipsis semper principijs proxima hostibus loca sibi depoposcerant. Itæ quum pransi milites meridiatum irent, & ab ducibus in arce de belli ratione disputaretur, subito ab Romana porta tubæ & tympana concrepuerunt, ac mox de aduentu hostium increbescēte rumore, alia post alias cohortes, quum prima sequentibus causam tumultus per manus traderent, atque omnes arma caperent, incredibili pugnandi ardore portis se effuderunt. Nec mora etiam ambiguæ fidei legiones sublatis vexillis subsecutæ, ne primos in eo tumultu, quod publicam salutem atque æstimationem respiciebat, deserere, aut aliter de belli causa sentire viderentur, confertissimis agminibus ad portam contenderūt. Cardinalis galero & purpura insignis, prælata cruce, incedentium ordines militari equo præuectus, vt ad signiferos centurionesq; vel ad notos claris facinoribus milites peruenerat, adhortando accēdendoq; vt properarēt, testabatur sibi à Deo Maximo, Diuisq; immortalibus promitti eius diei victoriam,

qua

qua non solum vniuersam totius Galliæ nobilitatem adolescentis regis auspicijs inter duos hostiles exercitus deductam, egregiè pugnando deleturi essent sed contusis Venetorum & Ligurum viribus propria virtute felicitateque, toti Italiæ leges essent imposituri: neque Germanos mercenarios milites, quod roboris apud regem esset, quos tamen sæpius acie deuicissent, tam auersos à Cæsare, vel tam prodigæ virtutis fore, vt eos contra totius Germaniæ decus pro Gallis, qui veri hostes essent, pugnaturos existimarent. Neque Vascones fugacissimum genus, vel equites illos serico torquibúsque fulgentes, qui aliquantum plus præsidij in equis atque calcaribus, quàm in gladijs atque virtute reponere consueuissent, aut fortius, aut constantius quàm antea fecerint in acie dimicaturos arbitrarentur. Quod verò laboris atque periculi relinqueretur, id totum occupandis hostium tormentis ingenti animo subeundum. Vbi si qui fortè ceciderint, eorum animas à se pontificia authoritate ab omni labe criminis expiatas, relictâ in terris egregiæ virtutis memoria, in cælum protinus euolaturas constantissimè existimarent. Talia passim commemorantem, progressúmq; ad primas legiones quæ iam in patentem viam venerat, Galeacium Vicecomes, Ioannes Gonzaga, Gambarus atque Aquila legati, secuti sunt, adiun-

adiunxèreq; se exeuntibus Heluetijs nonnulli equites ex his familijs, quæ vetere benevolentia Sfortianum nomen colebant. Ex plebeis quoque sicarijs q; hominibus aliquot armatorum manipuli prætereunti turbæ sese vltro admiscuerunt. Vixdum Mediolano tria millia passuum progressi erant, nec minus triginta inde stadijs Gallorum castra aberant, quum falcones quos numero decem secum adduxerant, displodere cœperunt. Quæ res equitibus Italis magnam solicitudinem atque admirationem attulit: Mutius enim ad duces primi agminis mutata facie prouectus, interrogare cœpit: Quanam insania viri in re bellica principes disciplinæq; magistri, intempestiuis tormentorum boatibus hostes excitare contenderent, quos imparatos ac nihil de prælio cogitantes, inuadendos esse censuissent. Cui ab primis ordinibus alacriter respondebatur, satis ex disciplina cum armato etiam instructo q; eo hoste se pugnaturos, si suspectæ fidei commilitones, ut q; omnium pagorum vexilla vno consilio secum in aciem descendissent. Quod fieri posse confiderent si ea simulatione certora contra ei certaminis signa ad sequentium sociorum aures peruenissent. Quorum virtutem infami pretio victam, si iam nulla omnino periclitantis publicæ dignitatis verecundia foret, cadentium saltem præ oculis affinium gemitus, mi-

litaris sacramenti religio, et futuri mox in patria aduersus desertores iudicij metus, excitare, atque accendere posse viderentur. Tanta enim arrogantibus animis virtutis fiducia inerat, vt maximas ac validissimas hostium copias summa contemptione despicerent, neque vllam tormentorum copiam aut vllas loci munitiones, quo minus in castra vincendo perrumperent impetum suorum moraturas arbitrarentur. Erant ante alios viri fortes sed barbaræ virtutis Pelegrinus Lundebergius, Centius Amerer, & Rodulphus Longus, qui tres voluntarias cohortes pugnacissimorum hominum in fronte constitutas habebant: Is quum in conspectum hostium deuenissent, tanto dimicandi ardore protinus exarserunt, vt ab ceteris ducibus, qui seniore consilio sistenda signa, locum castris capiendum, & reficiendos ab labore vias milites iubebant, quin pleno passu ad hostem contenderent, retineri nequiuerint. Borbonius atq; Triuultius ad diui Iuliani templum, quod modico in pago est, castrorum principia habebant, viamque publicam præruptis vndiq; fossis, & de more regionis aggeribus communitam, non temere ad sinistram insederant. Secundum eos rex ipse, & post eum Alanconius regulus, ad quem iure sanguinis, si Franciscus vita excessisset, regnum Gallia pertinebat, mediam postremamq; aciem modico

dico interuallo inter se abiunctas collocarant. Ita tripartito castrametati, vt tres iusti exercitus sibi inuicem quum casus poscceret, commodius atq; expeditius auxilio forent, lato ac munitissimo loco continebantur. Nam in circuitu frequentes erant fossæ, studio agricolarum ad irrigandos agros perductæ, nouasq;, vt vsus ferebat, opportunis in locis Nauarrus munitiones addiderat, oppositeratq; hosti ingentia ramorum defixa solo, & crassis funibus connexitia, vt hos protecti vascones tutius & certius in hostes sagittarent. Hanc statim castrorum formam loci q; naturam, Mutius et nonnulli duces Heluetij speculandi gratia in editiorem aggeris partem equis prouecti animaduerterat. Subinde q; notauerant ad dextram, locum castris opportunum relinqui, vbi satis ad humilitatem depressa planicies perpetuo riuo, qui ad frumentarias molas defluebat, ab duobus ferme lateribus cingebatur. Eo in loco vt castra facerent, & refectis quiete ciboq; corporibus, nihil temere de prælio cogitarent, suadere conabantur, monebant sicuti victoriam à consilio ita pœnitendos atq; irritos conatus ab inconsulta virtute proficisci, eosq; sapius aduersos prælioru exitus sentire consueuisse qui audacia atque impetu potius, quàm vtili mora & ratione, hostē superare confiderent. Postremò testabantur aduersus auspicia prouocari

hostes, quòd vetere gentis obseruatione is hebdomadæ dies infaustus foret, qui inchoante anno cæsorum ab Herode infantium memoria celebratius, toto anni circuitu verteretur. Incidebat enim is dies in Idus Septembres. Sed quum furor & fatalis insania, quod nunquam antea Heluetijs in castris accideràt, & militi obsequium, & ducibus authoritatem abstulisset, pugnacissimi quiq; procurrerunt, & cum Vascomibus atq; Germanis atrocissimum certamen contraxerunt. Triultius atque Borbonius, qui multum antea de aduentu hostium certiores facti aciem instruxerant, & tormenta idoneo in loco collocarant, quum haud dubiè premerentur, vt obiectis flammis hostium impetum tardarent, simulq; eos visu ac munitione domorum priuarent, vniuersa pagi ædificia succenderunt & suos in patentiorem locum reduxerunt. Erat ante tormenta Gallorum fossa ingens summo audaciæ periculo superanda, quam Nauarres cohortibus oppositis & Germani eximiæ virtutis densis ordinibus tuebantur. Illuc audacissimorum iuuenum globus, aliquanto certiore exitio quàm victoriæ, peruadere non dubitauit. Erant ij ex omnibus pagis floreti ætate, et singulari promptitudine lectissimi, qui peruetusto gentis more, vt rarò ante proiectam ætatem militiæ honores aliquo insignis virtutis opere edito consequantur, asperа quaq; & difficilia belli munera vltro sibi deposcere, et sæpius cum exitiabili laude propositam mortem subire consueuerunt. Hos ab immoderata fortitudine Perditos vocant, & in summo honore atq; admiratione habent, licetq; illis vna virtutis prærogatiua, & vexillum ferre, & ducere ordines, & duplicata per omnem ætatem stipendia accipere. Neq; alio felicis audaciæ insigni à ceteris Perditi dignoscuntur, quàm candidissimis pennarum manipulis, quos more ducum è pileis speciosa luxurie defluentes in tergum vertunt. Ii vno agmine aduersus tormentarias pilas ingenti animo progressi, quum magna clade accepta ex iniquissimo loco diu multumque pugnassent, tandem pertinaci impetu pulsis loco Germanis, & reiectis Nauarrinis cohortibus, per aceruos morientium ad tormenta peruaserunt. Quibus numero septem occupatis, dum spe pleni confertis iterum ordinibus cedentibus incumbunt, vniuersam primi agminis aciem perturbarunt. In eo discrimine Triultius atque Borbonius diuersis in locis immisso equitatu, quantum viribus adniti, & consilio prouidere poterant, ad reparandam perculsam aciem huc atque illuc ferebantur. Nec suis deerat Nauarrus, increpando alios, alios interrogando, num vt tantùm terga verterent, turpissimeq; vix dum hoste conspecto

acie diffugerent, ab extremis Oceani finibus, Pyrenaísque venissent? colligerent animos, & celeriter sclopettos atque ballistas expedirent, tantisperque consisterent, dum latera nouis equitum subsidijs firmarentur, & quam ignauia, aut iniqua sortis apud Rhauennam malè pugnando notam subijssent, ea die fortiter pugnando delendam esse existimarent. Ita eius tempore irruente amplissimo equitatu, Vasconibus adhortatione & verecundia confirmatis, Germanis ira ac pudore locum tenentibus, prælium atrox ac varium redintegratum. Impellitur horrendo tormentorum ac armorum strepitu, utraq; acies, vexilla rapiuntur. Mox Centius ac Pelegrinus pugnantes cadunt. Purius q; prætoriana cohortis præfectus & quatuor cum eo signiferi maioris colubrinæ ictu ab latere conflernuntur. Nec defuere laborantibus suis Heluetij, qui maiore circuitu ad hostes peruenerant: nam coactis in vnum ad triginta cohortibus, duplici agmine animis ac viribus recentissimis gradum intulerunt, & ab læua cum peditatu congressi, Sciatz lardum clari nominis Vasconum ducem, ac Ludouicum & Georgium Hellempurgenses ex Germanis nobilissimos interfecerunt. Ab altera verò parte irruentes equites laxatis aliquantulum ordinibus, in sinum excepere, vbi varia ancipitiq; fortuna diu certatum. Nam cataphractis, quan

quanquam vi atque incitatione equorum dispersis, ac morientibus fœde proculcatis, raros tenuesq; manipulos cum multa strage perrumperent, tamen quum densis ordinibus occurrebant, aut prælongis cantis inducbantur, aut suffossis equis armorum pondere graues interibant. Periere eo in loco acerrimè depugnantes alarum præfecti, Sanserrius è Sacro Cæsaris oppido regulus: Imbercurtius eximia virtute & longa militia clarus: Bussius Ambosius, & Franciscus Borbonij frater, ipse quoque Borbonius simile salutis discrimen adijt. Vt ipse dicebat, dum cruenta ea in acie versaretur. Sed ego postea aliter ab ipso rege accepi nominatis testibus affirmante, Borbonium circumuento fratri opem ferre minimè ausum, intactumque retro se à conspectu hostium ad secundam aciem recepisse. Triuultius quoque dum circumuento ac morienti signifero suo frustra auxilium ferret, inter lanceas alabardasque hostium conflictatus, vulnerato equo, cristis galea detersis, alariorum interuentu periculo se eripuit. Iamque agrè pluribus in locis prælium sustentabatur, & Heluetij quòd iniquissimam fossam transissent, quòd tormenta magna virtute cepissent, quòd pulso peditatu, perturbatu equitibus in locum quem hostes tenuerant processissent, meliore fortuna prælia bantur, quum Franciscus promota secunda

acie, Alanconio pari passu cum postremo agmine subsequi iusso, dispositis per præfectos certo in spatio pluribus tormentis, quibus à latere hostium phalanges peterentur, cum integra legione, ingentique equitatu opportunissimo tempore superuenit: Ipse regali paludamento, quod cælesti colore aureis liliis distinguebatur generosè apud hostes ac suos se regem professus, in prima acie versari, impigrè hostem ferire, huc atque illuc incitato equo periculosè acerrimis hostium insultare, ac demum non oratione tantùm vel adhortationibus, sed egregio veræ virtutis exemplo suos accendere. Tantus enim erat incumbentium impetus, tanta consistendi pertinacia, tantúsque inerat etiam sauijs ac morientibus vigor, vt regem in ea præsij inquitate, & maiestatis oblusisci, & vitam contemnere, & rem inclinatam manu ac virtute potius, quàm arte vel consilio reparare oporteret. Equites quoque qui ad Nouariam, Taroanámque fugiendo pristinam virtutis opinionem amiserant, ne si iterum cederent, sempiterna in posterum ignominia notarentur, aut decora morte, aut egregia victoria, pugnanti in omnium oculis regi suo satisfacere contendebant. Cecidere eo congressu Talomonius Tramulij filius, & Roya in Morinis nobili genere natus, & Vantellius qui extra ordinarium regiæ turmæ vexillum deferebat, plur

plurésque promptissimi equites cum Moio nobilioris alæ signifero, qui fossis vineariumque traducibus impediti explicare sese minimè potuerunt. Ex Heluetijs autem, Rodulphus longus ille multitudinis concitator. Item Flechius, virtute magis quàm genere clarus, & Valterius Offius. Hic ob singularem prudentiam, & summam virium promptitudinem, qua non facilè in eius gẽtis hominibus commiscentur, omnibus bellis, & Nouariensi maximè in pugna, magnam virtutis opinionem adeptus fuerat. Pugnatum est continenter horis septem, nam in medio ardore certaminis, quum Sol occidisset, Luna eo tempore pernox claro splendore inuecto vtramque aciem in armis continuit. Fuitque horribile cruentissimúmque certamen, quandiu vel tantillum luminis superfuit. Mox condita nubibus Luna, quanquam lassitudine ac vulneribus fessi hebetatis armis quieti locum quærerent, interim tamen per mutuum errorem cæcis insaniísque ictibus socij pariter atque hostes crudelissimè sternebantur. Heluetijs etenim Germani armis linguæ habitúque non omnino dissimiles, dum varijs in locis inter se miscerentur, prodente demum tessera, fœdissimam stragem per tenebras edebant. Neque ab tormentis tota nocte temperatum: quæ sicuti incertis ictibus emittebantur, ita aliquantum plus terroris, quàm cladis

inferebant. Sedunenſis, qui ſpe, cura, laboréque ſuis non deerat, quum errore loci in Germanos incidiſſet, eorum linguam aſperiore vocementitus periculoſe explicuit, & ſuperata foſſa ad conflagrantes domos reuerſus eſt: Vbi Roſſius & Anglardus ſplendore flammarum inuitati, coeuntibus tanquam ad praetorium plurimus ducibus, ſignum ingenti claſſico propoſuerunt, quo ſparſi errabundique milites ad vexilla vocarentur. Id erat ampliſſimum cornu ſyluestris Vri operoſo argento in labris exornatum, quod à maioribus per manus traditum, apud Vranienſes Heluetiae libertatis authores cum magna cura ac religione cuſtoditur. Eius itaque beneficio, quòd à perito buccinatore ad humana vocis ſpeciem ſcientiſſimè, more gentis inflabatur, plurimi conſeruati ſunt, qui inter hoſtium cohortes vario errore delati, confundente aures tympanorum ſimilitudine certum ad ſuos receptum habere non poterant. Egère vtrinque mutuo timore ſuſpenſae acies inſomnem noctem, animis tamen, quàm viribus ad dimicandum paratiores: Nam ſtrenui pariter atque ignaui, quanquam longo certaminis labore defatigati erãt diuerſo tamen animorum habitu, vel nouandae operae deſiderio, vel metu mortis excitabantur. Sedunenſis, ac caeteri duces, tametſi eos prima opinio plurimum fefelliſſe videbatur, quòd hoſtes

hoſtes, vt deſtinauerant animis, ad primum impetum tanta etiam clade perturbatos minimè ſuperaſſent, ac irrito propè conatu fortiſſimos ſuorum amiſiſſent, tamen ſeſe non deſerunt, in concilium quàm plurimos vocant, & quum expectare lucem, & praelio iterum decernere cunctis placeret, quòd omnibus rebus imparati aduenerant, Mediolanum ad petendae omnis generis ſubſidia mittendum decernunt. Mittitur. Ioannes Gonzaga, qui Maximilianum cinéſque ad ancipitis praelij euentum ſolicitos noua ſpe impleat: coctae in primis cibariae, & plurimos vini cados deficientibus laſſitudine ac ſiti militibus continuò ſubminiſtret ac demum tormenta, pilas, & ſulphureum puluerem, omni adhibita celeritate in caſtra tranſmittat. Duces verò atque ſigniferi digreſſi conſilio, vt quiſque de cardinale & de praelij euentu ſentiebant, variè apud milites loquebantur. Alij decoris & victoriae cupidi, quum cladem, quam ipſi magnam acceperant, verbis eleuarent, ſuorum fortia facta, & Gallorum ſtragem in maius falſis narrationibus extollebant. Contra alij aduerſae factionis, vt ſaluti maturè proſpicerent, & cardinali in ſummis rerum difficultatibus conſtituto, dignitatis & vitae periculum augerent, Mediolanum ſolutis cohortibus renertebantur. Equites quoque pontificij, qui propter exiguum

exiguum numerũ haud magno ſui fuerant, magna ex parte metu, vel deſperatione adducti, relictis ducibus in vrbem redierunt. Cæterum Franciſcus, quanquam ſummo timore atq; ingenti periculo liberatus, tantæ virtutis homines egregiè ſuſtinuiſſe videbatur, reliquo tamen metu & ſuprema veluti cura anxius, turbidæ noctis finem & incertæ fortunæ exitum expectabat. Neq; corpori armorum pondere feſſo, ac ſiti & continuo labore æſtuanti maiorem quietem dedit, quàm vt ſubducta ad ſpirandum galeæ buccula, dum equũ mutaret, tormento paulũlum inniteretur. Inde ſtatim ad ducis munia tranſgreſſus, Liuianũ vt cum exercitu accederet per nũcios monuit. Mox ea re ab præfectis quos in coronam aduocauerat, equeſtri conſilio comprobata, caſtra aliquantulum contraxit: & quòd locus, qui primi agminis fuerat ab hoſtibus tenebatur, munitiore ſpatio ſupra ſex millia Germanorũ in margine foſſæ conſtituit: iuſſitq; eos pluribus tormẽtis ibidem opportunè collocatis præſidio eſſe. Ab alia parte magnum equitum numerum ſibi adiunxit: monuitq; Borbonium atque Alanconium, vt vtrinque pari ordine primã & tertiã aciem lateribus ſuis admouerent. Ita vt ipſe recta fronte hoſti oppoſitus, ſicuti loci ratio poſtulabat, primi agminis vicẽ impleret, & duobus agminibus læua ac dextra

tra conſtitutis tanquã cornibus vteretur. Nec longè ab eo loco, Nauarrus & magna multitudo Germanorum, quũ per tenebras prælio dirempto, neq; caſtrorum formam, neq; regis conſilia cognoſcere potuiſſent, defixis ſolo vexillis conſiderant. Franciſcus, vt qui nam foſſarũ ſitus, campiq; interiacentis & publicæ viæ ſpatia forent, oculis ipſe colluſtraret, in conſpectum hoſtium cũ paucis equitibus progreſſus eſt, mox ſenſim in Auroram abeuntibus tenebris, ad cohortãdos Germanos contendit, quos magnis pollicitationibus erectos ad cõficiendũ modico certamine bellum, & ad partæ iam victoriæ præmia capienda, certaſſet & alacritatis plenus accendebat, cõmemorans ſuperiorum temporum iniurias, & clades quas Heluetij beneficio Fortunæ potius atq; inquiſitis temporũ & locorum conditionibus, quam vera virtute Germanis intuliſſent. Proinde animum inducerent, eam eſſe propriã atq; expeditam rei gerendæ occaſionem, qua cõſanguineorum & cõmilitonum ſuorũ cædes vlciſcerentur: ac ſimul fortibus factis declararent Germanos, ſicuti nobilitate fideq; præſtarent, ita virtute, bellandiq; peritia militarem gloriam, agreſtibus hominibus minimè eſſe conceſſuros. Simili quoque vſus oratione, Gallos equites hortabatur, ne à maioribus ſuis degenerare vellent, qui ſuperioribus ſeculis

equeſt

equestri gloria omnibus gentibus præstitissent. Nec minore spe atq; animo apud Heluetios acies instruebantur, quanquam maxima ex parte milites, sicuti diuersis in locis atq; in ipsis etiam hostium munitionibus vario casu conquieuerant, nullo cibariorum subsidio recreati, ægrè labantes artus ferocibus animis sustinerent. Neq; enim, qua ab Mediolano, procurante Gonzaga, conuehebantur breui & nocturno maximè tempore, quòd omnes semper administrationes tardare consueuit, adduci expediriue poterant. Plerique etiam sub Auroram oblatis ientaculis, quum tympanorũ crepitu & fragore tormentorum ad pugnam vocarentur, optatos & necessarios fouendis viribus cibos relinquebant. Conuere in principijs nonnulli duces, inter quos erant Hastlerius Foctius, ætatis honore, ac magistratus insignibus clarus, & Chezzius Ammanno inter Heluetios natu maximus, qui amplius quadraginta annos centurio, aut signifer, aut tribunus in exercitu fuerat, & prælio illo memorabili, quo Carolum Belgarum ducem, eiusq; copias ad Nanseium occidione deleuerunt, singularem in prima acie laudem meruerat. Ii siue acceptæ cladis cõsciẽtia adducti, siue cognito desertorum discessu, & iam lucii beneficio perspecta locorũ iniquitate, quòd sæuiũ ibi existimationis, ad frangendos Gallorũ spiritus

spiritus hesterna dimicatione partum existimarent, prælio abstinendum esse indicabant. Sed quum frustra deprecando contestandoq; promota iam signa sistere, & procedentes ordines oppositis corporibus retentare conarentur, & Fato, & libidini militum manus dederunt. Itz Rodulphus Segnius, Visembachius Vnderualdius, Vldericus Ioctius, atque Zambronius audaces acerrimaq; virtutis duces, ratione committendi certaminis inter se constituta, bipartitò signa intulerunt. Primum ac maximum agmen, in quo Tigurini pagi signũ suprema apud Heluetios dignitatis collocatum erat, rectà aduersus regia aciem, quam medium locũ tenere docuimus, contendit. Aliud quod à dextris paulò infra conflagrantis pagi tecta subsiliterat, maiore capto circuitu ad Alanconiũ postremo agmini præpositum, deflectere cœpit, eo consilio, vt quũ primi regem, & robora Gallici exercitus in se conuertissent, illi Alanconiũ infirmioribus Gallatũ præsidijs, magno impetu ab latere adorirentur, & perruptæ eius aciei, in sinistrorum latus & terga regij agminis penetrarẽt. Aliã verò suorũ multitudinẽ, qua citra viam publicam à læua proximum campũ tenebat, nullo ei certo munere capescenda pugnæ demãdato, quod ex parũ fidelibus pagis constare putabatur, dextro cornu, vbi Triuultius atq; Borbonius

bonius curabant, interuallo trecentorum pas-
suum opposuerunt. Sed quũ ad teli iactũ pro-
cessissent, Galli statim dissolutis in aduersos
uno temporis puncto omnibus regijs tormen-
tis tantam summa celeritate cladẽ intulere, ut
prius temeritatis pœnas dederint, qui ab au-
dacia consiliũ sumpserant, quàm manus cõse-
rere, uel ad hostes peruenire potuerint. Eo casu
quòd per medium facta horribili uastitate
stragẽq; hominũ, unum non erat amplius pha-
langis corpus, laceratis ordinibus, pars, qua
secundos ictus timebat, terga uertere, & reci-
pere sese cœpit, pars despectis iterum tormen-
tis in hostes impetum fecit. Ii constantiore quam
unquã antea uirtute atq; audacia, pluribus
& acceptis & illatis uulneribus, fossam su-
perarunt: & cum Germanis equitatuq; regio
congressi multa facinora essera uirtutis edi-
derunt. Nam quum eodẽ quoq; tempore Tri-
multius atq; Borbonius extenso cornu, & cir-
cumflexis equitibus in sinistrũ eorũ latus in-
currissent, duplici fronte pugnare cogebantur.
Sed Germani, qui acerrimo eo certamine Ia-
cobum Condeum Henricũ Ricurtium, & Sa-
xeum fortissimos duces amiserãt, ira ac dolore
similes allato gradu eorũ impetũ repressérunt:
& Potinerii proceritate corporis animiq; uir-
tute inter Heluetios duces clarissimũ adequi-
tantẽ ordinibus, ac suos clara uoce, adiectis in

Germ

Germanos contumelijs, cohortantẽ, sclopetorũ
ictibus equo defecere: & uasti obesiq; corporis
adipe atq; aruina patẽtibus plagis defluente,
truentas lanceas spectantibus Heluetijs inun-
xerint. Quæ apud Barbaros in acerbioribus
odijs exacta uindicta grauissima cærimonia
perhibetur. Ibi quoque Zãbronius, & Antius
Encher, uasti animi & terribilis staturæ ho-
mines, quũ ingentes gladios singulari peritia
ambabus manibus regerẽt, & in media Ger-
manorũ acie uersarentur, detrũcatis pluribus
lanceis, multis q; hostium trucidatis, ad extre-
mũ tota acie in eos conuersa, oppressi sunt. In-
terijt & Chezzius Amma cadente equo, qui
tribus etiã sagittis cõfixus, in ea ætate plures
horas adhortando pugnando q; nec optimi du-
cis, nec fortissimi militis munus omiserat: quũ
cæteri quos supra memorauimus, antequam
congrederentur, tormentorũ procella discerpti
cecidissent. Ioannes & ipse Berrus Basilien-
sium uexillifer, quũ multis confectus uulneri-
bus diutius signũ sustentare non posset, ne ho-
stes eo potirẽtur, sericum hastæ detractũ mi-
nutissimè cõscerpsit, & occubuit. Interea quo-
que secũda acies quã ad Alanconiũ deflexisse
docuimus, tantũ postremo agmini terrorẽ in-
tulit, ut equites magna ex parte, cadẽte Beo-
montio alæ signifero, pluribus q; eorum ad pri-
mum impetum interfectis, terga uerterint, et

effusis habenis Laudensi via cursum intenderint. Quo rerum tumultu factum est, vt agrestes, et plerique speculatores, qui in agris erant, equites Gallos inter impedimenta fugientes conspicati, quum Franciscum prælio victum putarent, de victoria Heluetiorũ per omnem Italiam perscripserint. Et res profectò ab ea parte in maximũ discrimẽ perducta fuisset, nisi Emanes Prieus, & Obigninus singularis experientiæ duces, qui cum Alanconio erant, fugæ incepitæ, collectis in vnũ vexillis conglobatisq; militibus, summo labore pugnã sustinuissent. Magno quoque perturbatis subsidio fuit Liuianus, qui Venetorum exercitu adducto procurrens, cum nobilium cataphractorum ala subsequentibus reliquis superuenit. Is vt erat & pugnæ & nauandæ operæ audax nulla interposita dubitatione, equites cohortatus, vt se cadentẽ sequerentur, in trãsuersos hostes incurrit, quem Heluetia cohortes dira conuersis signis alacriter exceperunt: & vulneratis pluribus, interfectoq; Cepino Vitelliani filio summæ indolis adolescente acriter incumbentem equitatum longius summouere. Eius tamen aduentu magis quàm viribus territa ea Heluetiorum manus, quod vniuersas Venetorum copias: quæ in proximo erant, adesse iudicabat, saluti consulere cæpit. Aliq; enim lassitudine, vulneribus, siti, sudoreque confe-

confecti in proximos hortos concessere, vbi superuenientibus etiam ab regia acie subsidiarijs equitibus, magna eorum pars concisa est. Alij in proximam delati villam, quum diu portæ ac muris duce Trulerio Cefusio strenuissimo centurione se defendissent, tandem Liuiano authore succensa villa, tormentis flammisq; expugnati crudelissimè perierunt: alios palantes, refugientesq; ad maximũ suorum agmen, equitatus apertissimis campis consectatus, ad vnum deleuisset, nisi consilio atque virtute veterũ militũ, qui in ea Fortunæ acerbitate disciplinæ memores, sibi ac suis nunquã defuere, densata acie citra fossas viamq; publicã ad suos se recepissent. Eodem fermè tempore, tertia Heluetiorum acies, quam contra Triuultiũ atq; Borbonium constitisse ostendimus, siue prælij iniquitate perfectæ, siue detestabili adducta consilio, quòd factioni atque odijs, quã publica necessitati satisfacere maluerit, cædis atque alienæ virtutis spectatrix, vexilla Mediolanũ ferre cæpit. Neq; vt erãt timore perculsi prælio succedere voluerunt: quod tamen propè necesse erat, quũ vniuersam leuẽ armaturã equestrem in oculis haberẽt, & frequẽtibus tormentis peterentur, quæ post equitatum insidiosè occultata apertis demum turmis ad tubæ signũ per interualla sæpius emittebantur. Quibus de rebus cæteri quos apud

regiam aciem pugnantes reliquimus, dum caco furore atque ira perciti obstinatione animorum magis quàm viribus locum tenerent. & alias recentes Germanorum legiones, ad quas pugna nondum peruenerat, ad dimicandum paratas in conspectu haberent, desperata victoria receptui cecinerunt. Magnum enim ad fossam paulò ante detrimentum acceperant, quòd è superiore loco à ballistarijs Vasconibus incredibili sagittarum multitudine configebantur, qui iuxta sclopettarios collocati, vt sclopettis implendis & tendendis scorpionibus spacium darent, ita mutuo recursu per centurias sibi inuicem succedebãt, vt continenti telorum grandine effusa, inulta acies frustra petitis à virtute subsidijs sterneretur. Dirempto prælio cum Rostius, Ronna, & Anglardus, atque alij tanta ac tam perturbata multitudini monendo atq; imperando succurrere, vel ducum officia facilè implere non possent, ipsi milites etiam omnibus incommodis conflictati, ne fugere viderentur, in ea rerum iniquitate sibi quod agendum erat, mira constantia singulariq; peritia præscribebãt. Nam sauciorum cura habita, vt quisq; vulneribus debilitatus erat, bini milites summa pietate lacertis atq; humeris tulerunt: reductis q; ad vnum omnibus tormẽtis quæ Mediolano aduecta fuerant, nouissimum agmen recentiorum militum præsidio firmarunt. Adeò autem contento passu via publica iter est factũ, vt discessus nihil fugæ simile habere videretur. Neq; enim inuadi facile poterant, quòd ab vtroque viæ latere præaltis atque perpetuis fossis muniebantur. Galli qui viginti horis continenter, dubia plerunque victoria, armati in acie constiterant, quum fluctibus sudore artubus, ac labantibus lassitudine equis, & densa eleuati pulueris caligine, & irrequieto atque horribili tormentorum reboatu oculorum atque aurium sensum penè amisissent finem sequendi fecerunt: ita tamen victoria potiti, vt egregiè pugnando Heluetios magis vicerint, quam eos in posterum vllis viribus omniũ opinione vinci posse docuerint. Heluetij suis hospicijs perhumanè ac liberaliter susceptis, depositis apud publicas hospitales domos grauiter vulneratis, reliquum diei ac sequentẽ noctem recreandis corporibus dederunt. Postero die plateam quæ ante arcem latissimè patet, tanta frequentia compleuerũt, vt nullam propè cladem accepisse omniũ æstimatione viderentur. Ibi habito inter se concilio quum trimestre stipendium postularent, et nisi id continuò sibi persolueretur, se abituros domum dicerent, minimè id præstante Maximiliano, quòd tantam pecuniæ vim expeditam non haberet, Comensi portæ vexillã pro-

tinus

tinuo extulerunt. Nec cardinalis, vt qui aduerso rerũ successu apud eos aliquantum pristina authoritatis amiserat, allocutionibus suis quicquam profecit, quo minus vniuersa Comum contenderent. Quamobrem relictis tribus cohortibus Heluetijs, quæ arci præsidio forent, ipse cum pontificio equitatu ac valida manu Seduxorum Leucum contendit, superatoq; Abdua per Saxinam vallem concisis abruptisq; montium tramitibus in Volturenam vallem penetrauit, vnde mox transuersis alpibus Tridentum, atque inde in Germaniam ad Maximilianum Cæsarem profectus est. Heluetij verò, & cum his Galeacius Vicecomes, à Comensibus, quòd vicinitate regionis, & mercaturæ commercio magna cum his amicitia necessitudines intercedebant, omnibus officijs ac facultatibus subleuati, superato Lario per Curiam Rhetiarum domum reuersi sunt. Quum casorum ratio iniretur, Galli ex viginti quinque millibus Heluetijs, qui in pugnam prodierant, vix dimidiam eorum partem integram superfuisse, & ex suis ad tria tantùm millia cecidisse contendebant. Heluetij autem & occisorum ab se Gallorum numerum plurimum augebãt, & censu domi habito, ad quinq; millia fortissimorũ hominũ ea expeditione se amisisse fatebãtur. Caterum ea victoria tot insignium Gallorũ funeribus tanto

tantoq; periculo parta, Francisco regi incomparabile decus attulit, existimationemq; regij nominis ita confirmauit & auxit, vt non immeritò, quum eius noctis diei q; euentum luculenter enarraret, effusissime lataretur. Victoriam quoque nouo gaudio perfudit Claudius Guisa Antonij Lotharingiæ principis frater, quum interijsse crederetur, spirans inter cadauera hostium repertus. Is enim summæ spei adolescens Germanis præpositus, in prima acie vsque adeò egregiè, multis quidem acceptis vulneribus, dimicarat, vt superincũbente Heluetia phalange, inter suorum ac hostium cadentium acernos sterneretur. Eo autem duplici prælio hesternoq; præsertim, quũ rex ipse eximij bellatoris laudem adeptus cõsensu gratulantium procerum equestri honore dignissimus censeretur, eius dignitatis ornamenta de manu Baiardi viri fortissimi lubens accepit: quanquã adessent summi duces, qui ex militari cæremonia conceptis verbis, districto q; gladio, quo leuiter sinister humerus petebatur, eũ ornare percuperent. Baiardum enim ideo cæteris prætulit, quod acerrimè inter hostes pugnantem conspexerat, nec maiores duces inuidioso delectu ad id munus, tanquam inter se dignitate pares offendere vellet, simulq; Baiardum præclaro iudicij sui testimonio celebrẽ perpetuò sibi deuinciret. Equestris siquidem

ordinis dignitas, non in otio imbellibus ambitioſè quæſita, ſed fortibus teſtatæ virtutis merito in acie parta, viros vel infimæ fortunæ, longè nobiliſſimos efficere conſueuit. At Mediolanenſes vbi diſceſſiſſe Heluetios vident, ne pernicioſa cunctatione ciuitatē in diſcrimen adducant, ad dedendam vrbem oratores in caſtra cōtinuō mittunt. Erat legationis princeps Hieronymus Caſtalionus iuris peritia inſignis qui demiſſiſſima oratione victoris iram leniuit, deprecatus ne durius in miſeros ciues animaduerteret, qui fluctuoſiſſimis temporibus ſeruiuiſſent potius, quàm ab ea voluntaria defectione deſciuiſſent. Eos ſupplices, & quæ imperaſſet paratos facere, ſi conſeruaſſet, longè maiorem eum laudem, quam heſperna victoria fuſis hoſtibus meruiſſet, clementia atque animi magnitudine ſibi comparaturum: quando præſtantius foret amplißimū regē humaniter ac temperatè vti victoria, quā prælio in quo & milites, & fortuna plurimum potuiſſent, felicißimè ſuperare. Franciſcus ad ea reſpondit, ſe magis pro natura ſua quàm pro Mediolanenſium meritis, qui toties rebellaſſent, & defectioni interfecto præſidio ſummā crudelitatem addidiſſent, ciuitatem conſeruaturū, modò trecēta millia aureorū nummum, quam ſummā mulctæ nomine imponeret, intra certos dies tribus penſionibus perſoluiſſent.

Dimiſſis

Dimiſſis legatis, partem exercitus duce Nauarro ad oppugnandā arcē miſit: ipſe auditis Comenſium legatione, qui ad dedendam vrbē aduenerāt, & Heluetios finibus deceſſiſſe nūciabant, Ticinum profectus eſt. At Laurētius, qui cunctādo, neq; amicè neq; hoſtiliter feciſſe videbatur quū audiret ad confluētes Padum & Ticinum parari pontes, quibus ad ſe oppri mendum Gallorum copiæ tranſmitterētur, ad eaſdem fœderis conditiones, recurrit, quibus paulò ante Ludouicus Canoſius Tricaricenſis, & Cynthius Tyburs pacē ab rege petiuiſſent. Neque animus regis ab nomine pacis abhorrebat, quanquam Luianus victoria ferox, qui ex priuato quoque odio ad opprimendum Cardonium ſumma cupiditate ferebatur, interpellari, ac diſtineri regem in eo victoria curſu intempeſtiua pacis mentione prædicaret: ac ſe protinus Hiſpanorū copias ſi id ſibi permiſſum foret, vnis exercitus ſui viribus deleturum polliceretur. Tunc demum enim, quum eos hoſtium reliquos deleuiſſet, facilią victoria impoſuiſſet Etruriæ leges, ac Neapolitanū regnū felici curſu repetiſſet, regem maturam victis daturum pacem, & veram quietem affectis Italiæ rebus allaturum. Sed Franciſcus qui occultiore conſilio ex fœdere ſoceri, Ferdinandią regum, Hiſpanis parcendum eſſe meminerat, & Parmam atque Placentiam, ſi per

conditiones recipere posset, tentari armis nolebat, æquissimo fœderi assensit, ne maiorem sibi inde inuidiam conflaret, & Ludouici soceri exemplo principum animos nimia ac formidabili magnitudine offendere videretur. Res itaque eo modo cõposita, vt pontifex Parmam atque Placentiã, quas vrbes armis tueri non poterat, Gallo occupari sineret, rex verò Florẽtinis eam pecuniæ summam remitteret, quam Gallo ex fœdere, quòd in societatem recepti essent, quotannis Ludouico regi persoluere consueuissent, ac nihil Cardonio Hispaniisq; militibus noceret, eosq; in pacatum regredi pateretur. Appositum quoque diserte est, vt pontifici bellum gerenti certa Gallorum equitum auxilia Franciscus mitiere teneretur, Mediceamq; familiam in fidem clientelamq; reciperet: eadem quoque regi pontifex præstaret, si in Italia bello lacesseretur. Nec multo post Liuianus, vt eas vrbes, quas Veneti superioribus annis amisissent, armis repeteret, superato Abdua in Brixianum agrum profectus est. At Hicardus interea qui cum præsidio Brixiæ præerat, quum haud dubiè victores hostes totam eam belli molem in se vnum breui conuersuros existimaret, singulari celeritate atque industria, murum prioribus oppugnationibus quassatum refecit, fossas purgauit, aggeribus nouisq; munitionibus muro additis portis

portisq; ac propugnaculis magno tormẽtorum numero instructis, vrbem natura loci per se tam breui inexpugnabilem fecit: mox frumenti, vini, pecoris, magna copia è proximis castellis in vrbem cõportata, Guelphos & suspecta fidei ciuibus vrbe eiecti, & cõmeatus omnis generis certis familijs imperato, validam Hispanorum manum ex his, qui Veronæ essent, à M. Antonio Columna, Spinelloq; Cæsaris legato postulauit, cõtestatus, nisi ex ea copia maturè sibi subueniretur, eos postea si acerbior casus accideret, frustra suã fidem imploraturos. M. Antonius, tametsi veteranos milites, quos ipse paulo ante à Cardonio agrè se impetrasse meminerat, suspicioßissimo belli tempore sibi detrahi iniquo animo patiebatur, eius tamen precibus obtemperandum esse iudicauit, ne alieno periculo minus quam suo prospicere videretur. Itaque delecti Morellio, Orthisius & Gusmanes eximiæ virtutis centuriones, cum septingentis peditibus, & Gothis tardus vir fortis cum cohorte vna Germanorum, quæ summa hominum magna ex parte ex sclopettarijs constabat. Is Verona profecti, cõductis agrestibus, qui occultiores calles ostenderent, inter diu noctuq; itinere confecto per iuga montium, qui ad Benaci oram vergunt, saxosis nemorosisq; tramitibus incolumes Brixiam peruenerunt, & adeo celeri improuiso

uisoq3 itinere, Vt Liuiani diligentiam, qui eos cognita profectione, si rectis itineribus accessissent, oppressurus erat, satis magno & temporis & locorum spatio præuerterint. Cæterũ Liuianus ob eas res oppugnandæ Brixiæ consilio depulsus, quum multis contrà rationibus summa spe capiendæ Veronæ teneretur, quòd eã Vrbem arte naturaq3 minus ualidam, & detractis præsidiariorum promptissimis, infirmiorem esse existimabat, in supremam ualetudinem incidit. Vir enim alterum & sexagesimum natus annum, quum laboriosissimo prælij die, tenue corpusculum sub iusto armorũ pondere plurimum exercuisset, equestrisq3 agitatione Viscera penitus in herniam abijssent, incredibiles dolorum cruciatus sustinere non potuit: pauciscq3 diebus apud Ghedas extinctus est. Fuit Liuianus parum liberali facie & pusillo atque incuruo corpore, plane deformis: cæterùm ei inerat sublime ingeniũ ac uehemẽs, quod plerunq3 nimio quodam Vigore animi quàm imperatorem deceret, ardentius & cõcitatius Videbatur, ita Vt eũ multi aliquanto meliorem bellatorem, quàm ducem existimarent. Nemo tamen eo melius disciplinæ leges percalluit, nemoq3 fortius Vel Vigilantius singula militiæ munera obiuit: ad extremũ quo nulla maiorũ gloria insignis, ex priuato equite ad summos honores euaserat, omni bellica laude dig-

de dignus Videretur, si in ipso rerũ cursu atq3 negotio, consilijs eius atque Virtutibus Fortuna respondisset. Cadauer eius exenteratum conditumq3 aromatibus, milites mœstissimi plures menses apud se in castris habuerũt, & solitum ei prætorium tetenderunt, perpetuisq3 funalium flammis, & continua armatorum statione adiecta, defuncto honores addiderũt, quales Viuo tribuere consueuissent. Eo mortuo, quum ad neminem imperij summa redijsset, & Georgij Hemi legati auspicijs exercitus regeretur, Senatus continuò ab rege postulauit, Vt copijs in tãta spe conficiendi belli strenuo ac fidelis duce orbatis, clarum aliquem rebus feliciter gestis imperatorẽ submitteret, cui Itulus miles facilè pareret, & bellum summa omniũ concordia administrari posset. Nec multo post Triuultius, qui Vnus omnium, quòd Virtute atq3 existimatione cæteros anteiret, ad id bellum, Venetorũ ac regis iudicio destinabatur, ad exercitum cũ imperio profectus est. Interea Nauarrus dignum famæ suæ ratus si nobilissimam terrarum orbis, ac munitissimã arcem intentatam antea superioribus ducibus expugnaret, circumpositæ militum statione ad cohibendas eruptiones, magnoq3 agrestium numero, qui opus facerent mercede conducto, fossam iustæ profunditatis ab ea parte arcis, quã Septentriones spectat, breui perduxit. Vimineas

turres

turres septenos altas pedes, quas nota ratione ac sapius à nobis demonstrata, harena implebant, interq́ tungebant, ante opus collocauit, erexitq́ aggerem opportunis in locis in altitudinem pedum duodecim, ita vt tuto milites institutis cuniculis subterraneum opus inchoare, atque vltro citroq́ quum res posceret, commeare, tormentaque statui, ac circumduci facilè possent. Quibus omnibus, nocturno maximè tempore propter hostilium tormentorum iniuriam, munitionibus constitutis atque perfectis, certam oppugnandi rationem instituit qua pro tempore ac rerum opportunitate optima videbatur: scilicet, vt turrium pinnas, & summa murorum propugnacula maioribus tormentis discuteret, ne cuiquam hostium ab ea parte consistendi in muro potestas foret, ac simul prospectandi facultate priuarentur, atque vsu minorum tormentorũ, quorum omnis generis magnam copiam in murum contulerant, hisque cuncta pinnarum interualla, & singulas de more fenestellas instruxerant. Igitur ea omnia prolato ingentium cannonum & colubrinarum amplissimo apparatu, continenti atque perpetua verberatione demolitus, tantam earum rerum facilitatem fecit, vt a Pallancina turre ad Carmelitarum propugnaculum (ea sunt adificiarum cognomina) totũ pulcherrimi lateris tractum, qui ad Gigi-

lum commoditatem atque operis elegantiam, tegulis & perpetua contignatione tegebatur, defensoribus interfectis, superiore murorum corona defracta, bellicisq́ omnibus instrumentis eadem ruina disiectis patefecerit. Mox ad suas artes conuersus, actis cuniculis succisisq́ propugnaculi radicibus quod arcè coniungebatur, exitumq́ militari portula in fossas quàm occultum habebat, magnam eius partem funditus euertit. Quo casu Nauarrini per ruinas cernixi, tanta celeritate in propugnaculum euaserunt, vt custodes metu inopinato q́ periculo consternati, quum in munitiorem interioremq́ locũ se reciperent, vix spaciũ claudenda porta contra irruentes habuerint. Neque Maximilianus ad rumorem irruentis hostis excitatus, vt erat longo metu & curarum põdere obrutus, in tanto discrimine digna duce consilia capiebat, amissumq́ proculdubio ea nocte arcem sensissent, quũ multi metu vel perfidia obstruendam tantũ eam portam esse censeret, nisi Gãbarus magnitudine periculi permotus inrepita ignauia atq́ perfidia, cũ delectis militibus subterraneo aditu ad portã descendisset, eaq́ protinus patefacta, dum hostes effringenda tanua cõsilia inirẽt, occisis pulsisq́ omnibus, propugnaculum recepisset. Nec multò post Nauarrus, dum incautius in opere versaretur, marmoris fragmento caput ictus, quòd hostilis

hostili colubrina ab latere eam maximè petente partem summa vi defractum reliquerat: oppugnationem ducibus suis reliquit. Periere his omnibus oppugnationis diebus ducenti fermè ex Nauarrinis & magnus agrestium numerus vi tormentorū hostilium in fossis oppressus est. Philippinus quoque Eliscius, qui quondam abeunte in Germaniam Ludouico cum parte præsidij Pallancinæ præfuerat, & Bernardino Curtio prodente arcem, non obscuram proditionis atque auaritiæ notam subierat, dum Gallos quænam muri crassitudo, & quænam antiquitus internæ munitionis vitia forent, intentiore cura perdoceret, fortuito tormenti ictu discerptus interijt: cita vt meritis eum pœnis & destinato exitio Fortuna objcere videretur. Plures quoque ex fortissimis propugnatoribus Maximilianus desiderauit, & in his notum equitem Aloisium Ferrarium, quum nulla diurni nocturniue temporis momenta, quin stringue maioribus tormentis contenderent, intermitterentur. Porrò Maximilianus, cui Fortuna primis imperij diebus læta omnia ac tuta sponderat, quum sensim naturæ vel ætatis vitio imperitorum secutus consilia parum honestis artibus se deprauandum dedisset, nec facilè posteà imminente bello tantos curarum fluctus imbecillitate ætatis atque ingenij sustinere posset, labefactis aliqua ex parte

ex parte sensibus, mente excedere ita visus est, vt neglecto priore cultu, non prius interiorem tunicam exueret, capillumve pecteret, quàm subortis vndique pediculis, pedore & fœda illuuie deformis conspiceretur. Horrendæ etiam imminentium rerum species tristi animo perquietem obuersabantur: vnde illi grauior morbus, quum relictis stratis, insomnes noctes perducere cogeretur. Multa eum quoque tot curis implicitum prodigia, quæ sanas etiam mentes perturbare consueuerunt, paucis antè diebus nunciata terruerant. Nam apud Gambalottam vicum, meridiano tempore duo equites in aere humana maiores effigie inter se concurrere visi: victorémque eum qui ab Galliæ regione venisse videbatur, alterum continuò profligasse frequentes agricolæ confirmabāt. Brennio quoque amnis Ticini socius, quem ob terra motum corruente ingenti montium mole, lacum supra Bellizonam nunquam antea visum effeciſſe memoria prodidimus, quum excrescente in immensum aquarum multitudine supra quadraginta stadia intercluſæ vallis occupasset, nec tam vllis obicibus teneretur, effracta rupe patefactoq; exitu effusus, subiectam planitiem inundauit, eodémque impetu & lapideum Ticini pontem, & nobilissimi operis munitionem, quam duplici contecto muro, & turribus admirabilem, Ludouicus Sforcia

interuallo decem stadiorum ab oppido in aduersos montes perduxerat, puncto temporis deiecit et abripuit. Inde per patentes campos horribili fragore delapsus, quum praeceps Verbanum lacum peteret, cohortem Heluetiam in castra contendentem cursus celeritate deprehendit: neque miseris repentina calamitate oppressis in proximos montes euadendi Fortuna spatium dedit. Nam quum in superiora Villa aedificia conscendissent, paulo post aucta profluentis violentia, conuulsis fundamentis integra natante villa deuecti miserabiliter perierunt. Qua clade pulcherrimus centum stadiorum tractus, villis, satis, arboribus, armentis, multisque mortalibus mementò absumptis, interijt. His corporis atque animi morbis circumuentum Maximilianum, acerbiorèque in dies ab infesta fortuna ictus metuentem, nonnulli uanis sparsis terroribus, quum amittenda arcis pericula in maius augerent, ad summam rerum desperationem perduxerunt. Ioachimus ille, qui ab Agnelli colle descendentibus Gallis, eas angustias suspectiore negligentia omni praesidio nudatas reliquerat, disseminatis sermonibus apud praesidiarios, tristia omnibus, & certum arci excidium omnabatur: meliri subterraneos specus Nauarrum, quibus omnis aquae copia penitus auerteretur, vel corrumperetur, eúmque perfectis cuniculis breui, sicuti ad Neapolim feciſſet, munitiora arcis loca & turres ipsas sulphureis ignibus in sublime tactas euersurum. Quae tametsi multorum animos cogitatione periculi suspendebant, à peritis tamen vt inania confutabantur, quòd depressissima turrium fundamenta, quae etiam vt humido accedenti insolè sublicis imposita essent, vel insano etiam labore subterfodi non poterant: vnde sibi neque cuniculo neque ignibus noceri posse arbitrarentur. Ea enim est horum operum natura, vt tum ignes, quum solidis ac siccioribus muris & cauibus inclusi fuerint, vehementissimè ad spirandum inanes auras quaerentes, cuncta que celeriter impotenti violentia perfringant: si verò, vt in profundis necessariò accidit, molli terreno, vel modica aquarum scaturigine humentibus locis cuniculi inciderent, hebetato statim puluere humoris iniuria, lentescunt ignes, cassóque labore irritum, vt rerum magister vsus edocuit, resoluuntur. Igitur Sforția, quum per eas animi perturbationes rerum tædio affectus omnibus suis diffideret, & memoria paterni carceris maiore animi mollitie, quam virum vel principem deceret, sita libertatis & pericula metiretur, nulla dedecoris cura habita, quin se dederet, nõ cunctandũ sibi amplius existimauit. Neque Gambarus atque Aquila legati, in quibus summa authoritas esse de-

bebat, quo minus in turpi sententia perseueraret, quicquam proficiebant, quanquam grauibus cum sermonibus castigatum in spem erigere, increpitáque degeneris animi subita consternatione, à tam fœdo dementiq; consilio deterrere contenderent: ac simul testarentur fœderatos principes, ipsosq; præsertim Heluetios, qui pro eius salute ac dignitate conseruanda, fratres ac consanguineos suos amisissent, iniuriam animo nunquam esse deposituros: si tam propinqua spe renouandi belli, rebus eorum atque consilijs, intempestiua deditione, infami præiudicio obuiam iret. At ille præsenti animo quasi sensibus receptis, egregiè (inquit) ac fortiter et mihi & paternæ auitæq; gloriæ (el constantissimo vitæ exitu satisfacerem. Vt plane suadetis, nisi honestiora speciosioraq; consilia eos, qui cadentibus rebus suis pertinacius cum irata Fortuna colluctantur, plerunq; durissimis casibus reseruarent. Agnouimus enim iam pridem malè auspicati imperij fortunam quum seruire impotentibus fœderatis cogeremur, qui tota prouincia publicis ac priuatis facultatibus spoliata, nihil mihi præter inanis principis nomen reliquerunt. Vtámne ego ac libertatem, naturæ munera, dedecoris metu, vel perniciosa virtute desticiam, & ruentium rerum sortem iterum periclitabor, vt pro speciosis inanis & incerta dignitatis titulis insolenti

lentissimis hominibus, qui præscribunt, leges dant, & sumptus & vectigalium exquisitam rationem reposcunt, iterum seruiam? aut proditus, ac perductus in Galliam paterno in carcere, & in hisdem catenis extremi? Imprudenterne ego, vel ingratè, si in maiore mea iactura propriæ saluti ac libertati consuluero, Ferdinandi, vel Cæsaris rebus præiudicasse videbor, qui apertis consilijs, vt hoc imperium, maiorum meorum virtute partum, nepoti Carolo adiudicarent, aliquando me extrudere cogitarunt? Quorum alter, vtqui semper cum hoste clandestine sensisset, extremis duobus casibus meis subuenire nolut. Alter, tametsi menstruis pensionibus ingentes ei pecunias soluerentur, quum tamen bellum immineret, in interiorem Germaniam regressus, neque suæ dignitati satisfecit vnquam, neque in meis vel miserrimi patris difficultatibus digna Cæsare, vel cognato principe auxilia transmisit? Neque Leoni, quominus dignis pontifice conditionibus cum Gallo fœdus percutiat, hac necessaria deditione impedimento futurus existimari velim: Qui si fallaci atque infido Fregoso minimè credidisset, expeditioreq; consilio celerius & constantius pristini animi deliberata peregisset, neque ipse cum maxima dignitatis imperijque iactura superbis hominibus seruire inciperet, neque ego fractis ac desperatis

tis rebus, quod miserrimum est, apud hostem meliorem vitæ conditionem quærendam esse censerem. Tantum verò abest, vt publicam Helvetiorum causam resticere velim, vt illos, qui magno suo incommodo huius imperij tutelares videri volunt, vltro ea molestia simul liberaturus. Ita Maximilianus, vt perpetuis tandem curis atque molestijs animum liberaret, & principalem vitam nullis vnquam ærumnis vacuam cum priuata ac beatiore commutaret, trigesimo oppugnationis die arcem dedidit his conditionibus, vt sibi ac præsidiarijs militibus res suas atque omnem supellectilem, præter militarem apparatum, efferre liberum foret, atque ipsi ab rege triginta quinque aureorum millia singulo quoque anno persoluerentur, modò per publicas tabulas paterno iuri cederet, & se iniussu regis fide data, Gallia transalpina fines minimè excessurum vllo tempore, polliceretur. Fuere ea pestate multi mortales, qui Ioannem Gonzagam & Hieronymum Moronum, quorum consilijs Maximilianus innitebatur, ad extremum, vt rebus suis consulerent, fidem cum fortuna commutasse existimarent, quòd inuenem imperitum rerum, ægróque animo fluctuantem, quem consilio atque industria sanare atque erigere potuissent, ad dedendam arcem impulisse dicerentur. Quod profecto

tasse relinqueremus, nisi tempora, quæ ab euentu rerum causas aperiunt, aliquanto post ambos ea calumnia, Maximiliani etiam testimonio, liberassent. Ipse Maximilianus, quum regem apud Ticinum salutasset, comitantibus equitibus, qui eum libere custodirent in Gallium profectus est. Nec multò post Franciscus, quòd ante receptam arcem suæ dignitatis esse minimè statuebat, Mediolanum tum primum inuectus cum ornatioribus turmis delectisque cohortibus, quarum duces sumptuoso apparatu instructi insigne spectaculum populo præbuerunt, de hostibus magnifice triumphauit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI

Nucerini historiarum sui temporis

LIBER XVI.

INTEREA Triuultius ad oppugnandam Brixiam profectus quum perfecto vrbis situ, notatisque hostiu munitionibus, ad templum Euphemiæ Virginis castra posuisset, aduocatis in consilium Venetis ducibus, qui sua & Liuiani cogitata in medium adducerent, duplicem expugnandæ vrbis rationem reperiebat. Vna erat, qua constitutis aggeribus, fossisq; perductis ad securitatem oppugnantium, tormenta subuehere ntur, murumque opportuno ac debiliore in loco, maioribus tormentis ad regulam collocatis, ita diuerberarent, vt fossis murorum strage ruinaque completis, ad subeundum facilis ascensus, & latior ad irrumpendum aditus armatis ordinibus præberetur. Altera erat in celeritate posita, qua ex improuiso pluribus simul in vnum locum prolatis directisque tormentis, prius murum crebris ictibus quassatum aperirent, tumultuarioque prælio depulsis defensoribus, vrbem ingrederentur, quam hostes imparati ac festinantes extruere aggerem, opportunumue consilium in repentino negotio capere, & propugnare possent. Huius sententiæ erat author Petrus Longenas equitum præfectus, vir acer & fiduciæ plenus, cuius consilium plerique sequebantur, qui longam ac laboriosam oppugnationem æquis animis expectare non poterant. Hanc, Triuultius dux vetus ab longo rerum vsu grauique ingenio cæteris prudentior, laudata priore, non probabat, vt qui vllam victoriæ partem, quam tutæ vel rectæ belli gerendi ratio promittere posset, ab audacia vel casibus minimè sperandam arbitraretur. Sed quum Longenas propter summam locorum ac mœnium notitiam, quòd Brixianus ciuis erat æquioribus militum auribus audiretur, omnes ferè in eius sententiam concesserunt. Iactabat enim ab ea parte, qua Garzettæ fluuiolus vrbem egreditur, nullius propè negotij futuram oppugnationem, si à neglecta custodiæ loco nihil tale verentes hostes, adorirentur. Itaque milites falsis adducti persuasionibus, quod plerunque ante periculum suas at-

que alienas vires iniquè æstimant, & destinata consilijs secundo cursu sibi successura facilè credunt, prolato apparatu, antequam diluesceret, magna vi oppugnare cæperunt, vel ob id ardentius, quod loci felicitate impulsi, ab eodem exeuntis Garzettæ ostio, quum Gallis frustra obsisterent, Gritto & Auogaro ducibus, in vrbem irrupisse memminerint. Tanta verò murorum strages edita est, vt patefacto aditu per ruinas transcensuri viderentur. Sed contrà ab Hispanis atque Germanis, qui summa promptitudine quod agendum foret sibi opportune, diuisis inter se muneribus, præscribebant, cuncta ea, quæ Veneti quam celerrimè perfici posse crediderunt, diligentiore industria tardabantur. Enimuerò ne deessent, qui vno tempore & aggerem comportarent, & mœnium hiatus obstruerent, ac simul in perpetua statione consistendo è muris propugnarent, per mutuas cohortes sibi inuicem alternis horis succedebant. Vti autem subitario munitionis genere, satis abunde periculis prouisum fuit, ab Nazariana porta, qua latus oppugnantium ab inferiore parte respiciebat, ad monitu Annibalis Lanæ Brixiani colubrina directa est, qua, tametsi quominus certis ictibus in hostes emitteretur, crassior nebula superfusa terris, & hyberno matutinóque tempore accidit, prospectum impediebat, ad primum

mum tamen ictum, vel æstimatis coniectura mœnium spatijs, vel ipso casu, qui bellicis in rebus ratione efficacior existimatur, tres simul tormentorum libratores interfecit. Vnde mox dissolutis vno tempore omnibus sclopettis cæterisque tormentis, in eas cohortes quæ ad fossæ marginem sub signis temere progressæ fuerant, occisis amplius trecentis militibus, tantum terrorem cum insigni clade cæteris intulerunt, vt Malatesta Baleonus & Ioannes Conradus Visinus, qui ante alios Longenæ auspicijs primæ irrumpendi partes depoposcerant, deserere trepida fuga omnem apparatum, celerrimóque regressu suos recipere cogerentur. Quo casu Hispani atque Germani è muro stragem fugámque hostium conspicati, quin eruptione facta perturbatos inuaderent, minimè dubitarunt. Neque Hicardus insidias veritus, neque Rodulphus Hala Germanorum dux, qui, maioribus portarum spatijs aggere obstructis, angustissima portula nequaquam erumpendum esse iudicabant, reprimere ardorem militum potuere. Ita duce Morellione scutis gladijsque contenti quum euolassent, aliquot interfectis & captis, occupatisque omnibus tormentis, vniuersos in fugam coniecerunt: maioréque incommodo ac metu hostes affecissent, nisi Triultius, quem

falsus

falsus rumor ab extrema castrorum parte ad propinquam spem capiendæ Vrbis euocauerat, oppositis equitibus eorum impetum retardasset. Hispani siquidem tormentorum suorum, quæ in muro constituta fuerant, præsidio confisi, ob id aliquanto audacius perterritos insequebantur, quòd si hostis fortè vrgeret, tutum receptum sibi dari intelligebant. In eo tumultu Hispani, ne, quæ ipsi dudum ceperant, acriore hostis impetu reciperentur, omnem tormentarij pulueris copiam succenderunt: excussereque curribus maiora tormẽta, defractis eorum rotis atque axibus, ne reduci possent: minora verò humeris impulsa in fossam præcipitarunt, & se ad vnum incolumes in Vrbem receperunt. Reliquo autem diei tempore, quæ intacta remanserant, è muro directis colubrinis ita oppugnata sunt, vt aliqua percusso metallo frangerentur, alia disruptis curribus inutilia redderentur. Ea die Marcus Calaber equitũ præfectus, quum in ipso oppugnationis ardore incautius in muro versaretur, tormento ictus interijt. Nocte verò, quæ sequuta est, Veneti per densiores tenebras extinctis ignibus, ad tormenta silenti gradu redierunt, tredecimq; ex minoribus nullo accepto incommodo reduxerũt, quòd hostes sulphureum pulverem, cuius penuria maximè premebantur, incertis ictibus minimè sibi

sibi absumendum esse iudicabant. Maiora autem tormenta numero decem, & ex his vnũ elegantis, ac mirę magnitudinis, quod Liuiani Cometes appellabatur, obsessi postera die ductarijs funibus, per trocleas, ergatarum artificio, è fossis in summa mœnia sustulerũt. Triualtius post id detrimentum paucorum temeritate acceptum, è conspectu hostium recedendum ratus: vt aliquo temporis spatio instaurato apparatu recreatis q; militibus, rursus ad oppugnandum reuerteretur, ad tertium ab Vrbe lapidem copias reduxit, ac simul Veneti, ne irrito incepto abscederent, ab rege auxilia postularunt. Missusq; extemplo Brixiam Bastardus Sabaudius Caroli Allobrogum principis patruus, qui tum cognatione & gratia regis pollens potensq; magnam apud Gallos authoritatem obtinebat. Erant cum eo supra tria millia equitũ, & sex millia peditum Germanorũ. Sed quum superato Abdua ad Balneolum oppidum peruenissent, Germani conspiratione facta, recusare militiam, atq; obstinatè subsistere cœperunt quòd aduersus Cæsarem et consanguineos suos minimè se profecturos dicerent, quibus neq; bellum, neq; iniurias inferre veteris sacramenti religione tenerentur. Caterum quæ iam capta essent, se tutaturos, & aduersus quascunque gentes, si bellum vltro Gallis inferatur, promptissim

ptissimam in propulsanda iniuria operã præstituros. Ea res Venetorum animos vehementissimè permouit. Quod Franciscus parum syncero consilio eius generis auxilia transmisisset, quæ ambiguæ fidei viderentur, quum nullis præmijs vel obtestationibus flecti possent, quem in proposito detrectãdæ militiæ perseuerarent: ac simul omnibus maleficijs tanquam in hostico forent, regionem diuturno bello exhaustam prædarentur. Quibus de causis, Franciscus, vt apud Venetos omni fraudis vel commutatæ voluntatis suspicione vacaret, fidemq; suam erga socios inuiolabilem esse testaretur, reuocatis Germanis, Nauarrũ cum decem Vasconum cohortibus Brixiam transmisit. Is enim sicuti curato vulnere conualuerat, ita maximè ante alios propter veterem ac recentem gloriam mirabili operum artificio, oppugnandiq; scientia apud Mediolanum comparatam, à Venetis petebatur. Erãt enim qui inexpugnabilem arcem, eius viri artibus omnino cessuram fuisse existimarent. Nauarrus adulta iam hyeme Mediolano profectus, quum Venetis castris iam appropinquaret, in hostium equites incidit, qui per causam prædandi omnem eam regionem repentinis excursionibus infestabant. Vixq; vt erat paucis familiaribus comitatus, in eo periculo amissis impedimentis, atque omni castrensi supellectile, equi velocitate eorum manus effugit. Interea Franciscus quum Heluetios vindictæ auidos, quos fremere & bellum Italiæ minitari intelligebat, vllis vel amplissimis etiam conditionibus pacare non posset, ac subinde Ferdinandus & Cæsar impulsis Heluetijs, et Henrico Britanniæ rege solicitato, coniurare inter se, & renouare belli consilia nunciarentur, vt imminentibus malis occurreret, colloquium ab Leone pontifice postulauit, ratus se eo congressu arctioribus fœderis vinculis eũ sibi obstrictũrũ, suspicacesq; regũ animos, inuecta abditi consilij suspicione turbaturũ: quòd Heluetij ac socij reges, qui Leonẽ iniuriæ memorem, cetere partium studio minimè commutato, seruire temporibus magis, quàm cum Gallis ex animo consentire putabant, magnã spem in eius pecunia atq; authoritate ad conficiendas res maximas collocare viderentur. Et Franciscus religione etiam permotus, ad gloriam quoq; pertinere arbitrabatur si pontificem & sacrum cardinalium senatum inuiseret, ac simul se ipsum, qui tantus in acie fuisset, totq; regulos ac duces ad splendorem Gallicæ amplitudinis vlterioribus populis ostentaret. Leo tametsi complures principum legati, & in primis Cardonius qui ad eum venerat, nec cum Gallo colloqui vellet obnixè precarentur, multis tamen de causis minimè sibi

sibi respuendam conditionem esse existimauit. Ita maximo illustrium sacerdotum comitatu Florentiã profectus est, vbi totius Etruriæ cõcursu, magna atq; incredibili hilaritate Florentini, vt tantũ ciuem pontificem q; debebant, exquisitissimis honoribus exceperunt. Inde transgressus Apenninũ quòd Etruriam Gallis aperire nolebat, gelidissimo anni tempore Bononiã peruenit. Nec multò post Robertus Vrsinus Rhegiuus, & Pompeius Columna Reatinus nobilissimi antistites, qui Francisco Parma digresso occurrerent, enimq; deducerent, transmissi: quo tẽpore Tramulius quoque & Lotrechius procerum clarissimi ad pontificem iussu regis peruenerunt. Postero die Franciscus cum sex millibus equitũ, comitante cardinalium senatu Vrbem ingressus, pontificem in prætorijs ædibus sella sedentẽ exosculatus de more pedibus adorauit. Neq; pontifex eum regem, qui prisco cognomine Christianissimus diceretur, ad pedes procumbere passus est: nam Venerabundum dextra motuq; corporis alleuauit, deductumq; in secretiorem ædium partem humanissimè cõplexus est. Erat Frãciscus procera corporis statura, colore lacteo, viuacibus oculis, serena prorsus ac regia facie, omniũ qui adessẽt eius ætatis formosissimus. Idq; illi in primis incomparabilẽ gratiã addebat, quòd nemo vel seuerus in co ferè

ferè imberbi grauitatẽ regijs moribus necessariam desideraret, quum Versicolore ac intercisa veste pileoq; diffluentibus pennis redimito, ac licentiore sermone apud suos palàm vteretur: omnesq; tamẽ in castrensi comitate regiam dignitatem agnoscerent. Leo sequenti die Petroniano in templo, rege altaribus ministrante, sacra celebrauit ac mox, quum aliquot dies secretioribus colloquijs impendisset, constitutis inter se belli & pacis conditionibus, quas memoriæ prodere necessarium non putamus: Hadrianum Arẽburi Boyssuij fratrem purpureo galero decorauit. Erat Boyssuius regis nutricius, atq; omnium cõsiliorum moderator: cuius impulsu Frãciscus colloquiũ appetisse dicebatur. Regi quoq; concessum est, vt citeriore ac vlteriore in Gallia sacerdotiorum reditus binis exactionibus decumaret, & contra permittente rege pragmatici iuris prærogatiua tolleretur: qua (vt suo loco memorauimus) sacerdotia, tota Gallia, collegiorum arbitrio adiudicari consueuerunt. Pontifex quoque in gratiam obnixè petentis regis, Georgium Sopraſaxum magna apud Heluetios authoritatis carcere emisit. Is domi Gallicæ factionis princeps extiterat: & propter cruent.as atque acerbissimas simultates, quas cum Sedunense cardinale omnibus tẽporibus exercuerat, capitalis iudicio conuictus in mole

Hadriani, teterrimo in carcere seruabatur. Precibus item pontificis, Franciscus Prospero Columnæ libertatē se daturum pollicitus est, remissurumq; ei (vt postea factū est) tertiam impositæ pecuniæ partem, quum Prosper acerbitate ducum, in quorum potestatem deuenerat, triginta septem millibus aureis nummis se redimere cogeretur. His rebus sex dierum spatio constitutis, Franciscus Bononia profectus Mediolanum peruenit, donauitq; pontifex abeuntem aurea cruce pretiosissimis gemmis exornata qua frustulum Christianæ crucis includebatur. Ipse non multò post, quū per aliquot dies Carnealibus ludis personatus choreis & matronarum amoribus indulsisset, & crebris subinde rumoribus asserretur Heluetios ac Cæsarem Ferdinando & Henrico obnixè iuuantibus, consentire in vnum, atque arma parare, magnis itineribus in Galliam contendit. Hisdem fermè diebus Triuultius atq; Nauarrus ad Brixiā ampliore adducto exercitu, atq; omnibus rebus ad oppugnandum comparatis, ab ea parte consederunt, qua Paulum Balconum Obignino incluso, vrbem oppugnasse memorauimus: perpetuisq; munitionibus circunductis, trina templa, Apollinaris, Floriani, et Saluatoris, latiore spatio complexi, castra muniuerunt. Neque per plures dies diurni vel nocturni laboris quic-

quicquam intermissum est ad perducendas fossas extruendosq; aggeres, quibus tormenta aduersus hostiū iniurias tegerētur. Nec multò post, nullo prope vulnere accepto, totæ ea murorum pars, quæ ab imis montis radicibus ad arcem pertinebat, magna vi tormētorum, pinnis propugnaculisq; nudata est. Tractisq; subinde cuniculi variis in locis, quibus intromisso puluere fundamenta murorum euerterent, vel subterfossis mœnibus per occultissimos specus in priuata vrbis ædificia penetrarēt: atq; inde sensim coacta militum manu, vrbē inopinantibus hostibus occuparent. Sed Triuultius diuersa ac nota omnibus ratione mœnium partem ad longitudinem pedum ducentorū, succisis radicibus, longa tibicinū serie fulcire, suppositisq; ignibus excindere singulari studio contendebat. Fossores enim perpetua concameratione amplioris cuniculi, qui ad mœnium longitudinē secundum fundamēta proferebatur, dum opus perficerent, occultabantur. Ii murum paulò supra radices malleis vectibusq; perfringebāt, subtractisq; sensim lapidibus, tigna bipedalia, crassitudine humani cruris modico pariq; interuallo inter se abiunctā, supponebāt: atq; ita cōtinuato opere, totus murus perpetuis tignorū ordinibus immixtus suspendebatur. Ea mox interualla, aridis virgultis ad concipiendā flammam pice

atque oleo præparatis, tormentarioq; puluere consperſis implebant, quibus poſtea ad ducis ſignum ſuo temporis momẽto ſuccenſis, quum eodem igne tibicines ac tigna ſuppoſitæ conſumerentur, neceſſariò eæ mœnium partes repentina atque ingenti ruina corruerent. Hæc quum ſingulari ducum ſolertia atq; incredibili ſtudio ac labore militum pararentur, per viginti octo dies Gallica, Venetáque tormenta nunquam ceſſarunt, magna introrſus murorum vaſtitas facta, magnus timor hoſtibus iniectus, multiq; milites ſtrinq; occiſi: inter alios Annibal Lana, qui tutiſſima in parte mœnium reſilientis pilæ ictu percuſſus occubuit. Interim milites quotidiana conſuetudine inter ſe colloquebãtur, quod prima caſtrorum munitiones adeò mœnibus ſubiecta erant, vt telum è muro facilè in eas adigi poſſe videretur. Galli enim ac Veneti obſeſſi famem omniumq; rerum inopiam, atq; omnis auxilij deſperationem obiectabãt, ac mortem aut vincula comminabantur, quòd eos, ſi per conditiones deditionem facere vellent, minimè ſe recepturos eſſe iureiurando confirmaſſent. E cõtrario Hiſpani Venetis ignauiã exprobrabant, quũ ſe iterum omnem eorum apparatum adempturos eruptione facta denũciarent: magnopere verò ſe Gallorum vicem dolere dicebant, quòd eo anni tempore, qui intepen

tepentibus & bene cultis Inſubrum domibus, pellicea veſte & largioribus epulis vti conſueuiſſent, niuis ac imbrium atque aquilonis iniurias pro aliena cauſa paterẽtur. Quum per hunc modum milites facetè contumelijs inter ſe contenderent, Nauarrinus miles, vt linguã iactantiam q; Hiſpanorum: iniecta cuniculi ſuſpicione reprimeret, Hiſpanicè loquutus, cõmilitones, inquit, qui extremis etiam rebus veſtris tam ſecurè iocamini, cauete ne à vobis contumeliarum rationẽ repoſcamus, quum Gallina pede ſcalpere ac fodere humum aliquando deſierit. Quæ verba acuti & perſpicaces Hiſpani, qui in muro erant, ſanis auribus acceperũt, eaq; altius interpretati, Nauarrum pro Gallina ſpecus cuniculos q; moliri, quod peculiare eius hominis artificium foret, ab ſuæ gentis milite per luſum cautè ſibi ſignificari iudicarunt. Nec mora ea res pluribus ſimul ſigniferis ac centurionibus cõmunicatur, ad Hicardumq; concurritur. Ille qui propter loci mœniumq; naturam atq; eius hoſtis ingenium, qui in his artibus maximè inniti conſueuiſſet, hæc eadem multum antea accidere ſibi poſſe cogitarat per eam vrbis partem, quæ proxima caſtris & ſubiecta periculo videretur, diligentiſſimos homines circummittit, qui cuncta explorent, priuatas domos, templa, cœnobia ingrediantur, ſcientiſſimeque per-

quirant, an aliqua cuniculorum vestigia reperiri possint. In id quum omnium militum animi summo studio intenti essent, alij passim omnibus silentibus strati, vt terræ motum notarent, aurem solo applicabant: alij tympana militaria solo deposita, si cõcussis leuiter membranis, vel tenuissimè personarent, contemplabantur: alij capacissimas pelues, vasaq; ænea omnis generis aqua repleta, si tremulis motibus agitarentur, intentissima cura omnibus locis obseruabant: quibus argumentis subterranei operis motiones necessariò deprehenderentur. Nec multò post certo in loco animaduersum est terræ superficiem manifestè commoueri. Quam ob rem singulari omnium lætitia contrarium illi cuniculum instituerunt. Erant multi in vrbe milites horum operum peritissimi, qui artem superioribus temporibus præceptore Nauarro didicerant, pluresque Germani, quibus omne genus cuniculorum notissimum erat, propter argentarias fecturas, quæ apud eos ad Hercyniæ regionem sunt frequentes. Ex his nonnulli etiam inter Gallorum præsidia Bononiæ fuerant, & se Nauarri artibus contrarijs cuniculis feliciter occurrisse meminerant. Quibus de causis continuato labore ac pluribus simul perductis cuniculis facilè per obliquos meatus ad hostium opera peruenerunt. Quo casu læti milites ab opere

opere desistunt, relictisq; in extrema cuniculi parte paruis foraminibus quibus introspicere possent, silentio ad duces reuertuntur. Disputatur in consilio, an sulphurei pulueris cados, quæ in eum locum ab hoste conferebantur, ex occasione discessus eorum subtrahere furtim, asportareque deberent, quòd magnam eius rei inopiam diu antea sentire capissent, an opperiri tempus præstaret, horasque captare, quibus Triuultius atque Nauarrus gratia inspiciendi operis in eum cuniculum se demittere consueuissent, vt illos iniectis ex improuiso igniuomis globis, miserabili morte conremarent. Sed Dij immortales, qui vt præditos insigni virtute homines diutius seruet, plerumque imminentis Fortunæ impetum benignitate præuertunt (vt sæpe antea fecerant) illos ea quoque die protexerunt. Nam miles, qui subeuntes expectare debebat, cuique perficiendi negotij cura fuerat demandata, quum aliquos & in his cuniculi magistrum cultiore ac serica veste indutum versari in cuniculo per ambiguas tenebras conspexisset, vt qui se destinatos duces enecaturum existimabat, mora impatiens, iudicioque deceptus, ambustis aliquot hominibus totam adinuenti cuniculi rationem hostibus patefecit. Neque tamen Triuultius atque Nauarrus, tametsi multorum dierum labor puncto

temporis interüſſet, quicquam ex alijs operibus remittendum ſibi eſſe iudicarunt, quòd obſeſſos, neceſſarijs rebus magna ex parte conſumptis ſublatæ ſpe ſtipendiorum, auxilijs deſperatis, extremas rerum difficultates non eſſe toleraturos intelligebant. Iam enim Hiſpani atque Germani quum in celeritate, vel diligentia Cæſaris nullam ſpem collocarent, quòd eũ incertis tardioribuſq; conſilijs mõẽtæ Italici belli reſpecturũ arbitrarentur, ſtipendium procacius atq; arrogantius, quàm in obſidione deceret, efflagitare, miſeros ciues violatis hoſpitij iuribus prædæ loco habere, ducibus atrocia comminari, Cæſaremq; maledictis & probris inceſſere cœperant. Quin etiam quũ Gurcenſis cardinalis ad ſuſtentandam eorũ ſpem, ventura ad certam diem auxilia pluribus literis ſignificaſſet neq; ea poſtmodum comparuiſſent, morionẽ aſello impoſitũ imperatorijs inſignibus atque aquilis exornatum, lugenas collo ſuſpenſas deferentẽ, per vrbem deduxerunt, & pro Cæſare, veluti ipſis auxilio ſuperueniſſet, temulentius quam quiſquam crederet, fœdis acclamationibus ſalutarunt. Neque abditi duces ac plurimùm de ſalute ſolliciti, deteſtabilem ac nefandã eorum petulantiam authoritate caſtigare, vel vlciſci ſuprema imperij poteſtate, ne ſeditionem miſcerent, audebant. Hiſdem fermè tẽporibus, Cæſar ijs Vindelicis

delitiam redierat: imperatiſq; militibus, quos Brixianis auxilio mitterẽtur, ad quindecim cohortes armauerat: maiuſq; bellum, ad victoriã Gallorum excitatus, ingenti animo moliebatur. Superiore enim æſtate quum Frãciſcus tantis coactis exercitibus aduerſus Heluetios bellum pararet, ipſe, veluti neglectis Italiæ rebus Viennam in Pannoniæ fines abſceſſerat, vt cum duobus Septentrionis regibus colloqueretur. Conuenêre enim Vladiſlaus Hungariæ & Sigiſmundus Poloniæ reges, atq; ipſe Cæſar in patentibus campis, nemoq; fuit paulò notioris nominis Sarmata, nemo illuſtris Pannonius, nemo è tota Germania, qui toga vel armis clarus eſſet, quin regem ſuum cum ornatiore turma equitũ minimè fuerit comitatus. Aderãt Thomas Strigonienſis, & Longus Gurcenſis cardinales, aderant Danorum & Gothorũ regis legati, Bohemorum & Marcomannorum Senatus, & totius denique Europæ principum oratores. Multa eo concilio, quæ ad rerum quietem pertinere videbantur, pertractata: actumq; in primis de Moſcouitis, qui infeſti Lithuanis, etiam tum Smolenchum vi captum retinebant: quibus Cæſar propter affinitatis neceſſitudinem, quæ ſibi cum Baſilio eorum rege intercedebat, fauere videbatur: magnoq; omnium ſtudio deliberatum eſt de auertendis Turcarũ incurſionibus, quibus finitimæ

Illyrici & Pannoniæ regiones euastabantur. Visaq; est sed non capta ipsa rerum occasio gerendis bellis efficaciſſima, quum Selymum aduersus Aladolum regem cum omnibus copijs in Mimorem Armeniam profectũ esse cognouiſſent. Pacem subinde ac fœdera inter se percussa, arctiſſimis cognationibus additis, obstrinxerant. Nam Cæsar Ludouico Vladiſlai filio, Mariam neptem suam Philippo filio genitam, collocauit. Carolum verò, aut certè Ferdinandum alterum ex nepotibus, Ludouici sororem, quum nubilis foret in matrimonium ducturum recepit. Bona quoque Ioannis Galeacij Sfortiæ filia, cuius amitam ipse Cæsar antea duxiſſet, Sigiſmundo regi desponsata. Secretiora denique de maximis rebus inita fuere consilia, quæ sicuti ipso rerum exitu nihil memoria dignum pepererunt, ita ea nos literarij monumentis minimè tradenda esse censuiſſemus. Sed dum cohortes in Vindelicia, commeatus, pecuniaq; parantur, qui Brixiæ præsidio erant, quòd minore iam cura absentis occupationiq; Cæsaris, & difficultate Alpinorum itinerum angustiora sibi in dies futura omnia existimabant, de deditione cum hostibus agitare cœperunt. Erãt ij nonnulli ante alios signiferi ac centuriones, qui spe amplioris pecuniæ, quæ à Venetis offerebatur, & tædio diuturnæ obsidionis adducti manipulares suos depraua-

rant, ac tunc maximè, vt se dederent, & laboris præmia quæ certius ab hoste, quàm à Cæsare promererentur, accipere maturarent, habitis per contubernia conciliabulis adhortabantur. Neque gregarij mercenarijq; milites, qui parũ decori ac gloriæ, quæstui verò plurimum student, tametsi paulò ante iactarant se non prius de deditione cogitaturos, quàm omnes obsidionis acerbitates pertuliſſent, voluntati centurionum suorum defuerunt: publico nanque consilio decretum est, vt legati ad Triultium de deditione mitterentur. Postulabant vt viginti dierum induciæ forent, intra quod tempus si auxilia à Cæsare minimè mitterentur, urbem dederent. Trimestre verò stipendiũ singulis præsidiarijs militibus ab hoste persolueretur, quibus liceret, quum urbe decederent vexilla præferre: tuba ac tympanis more militari vti atque omnem bellici apparatus supellectilem asportare. Neque Triultius eas conditiones, tametsi inflatius quàm pro dignitate ducum exercituum foret ab obsessis proponerentur, respuendas esse iudicauit, quòd parari auxilia in Germaniæ finibus per Venetos exploratores audiebat, & satis ad laudem profectum arbitrabatur, si eos hostes, & in primis Hispanos qui pro laude ac gloria in perferendis belli difficultatibus patientiſſimi existimari volebant, ad extremum

mum intempestiua ac celeri rerum desperatione compulsos, ad deditionem perduxisse diceretur. Sed vix dum Bonaualles, Gallorum equitum præfectus ad tractandas deditionis conditiones à Triuultio ad Hicardum missus, re perfecta tabulisq; confectis ab vrbe in castra redierat, quum frequentibus nūcijs allatum est. Cæsarianos Rheticis culminibus digressos aduentare: eosq; biduo post cum armentis, commeatu, validisq; auxilijs affuturos. Quibus cognitis Triuultius, ne repentino Germanorum aduentu, ac simul vno tempore subita Brixianorū eruptione aliquod incommodum ancipiti contentione distractus acciperet, castra contraxit: admonitisq; præfectis atque omni ordinum centurionibus, vt paratos ac intentos milites continerent, tormenta, quæ sub muro erant, reduci ad Euphemia vicum atque id ociosè admodum & quietè administrari iussit, ne concursatione & frequentia militum, callidus & arrectus hostis in aliquam vel noui consilij vel concepti timoris suspitionem adduceretur. Hispani tamen è muro, quòd tormenta reducerentur, admirati, quum nullum interea per pactionem telum vtrinque mitteretur, eius consilij causam à Venetis Gallisq; requirebant, & crebrò num timerent, vel accepta fidei inducijsq; diffiterent, notos quosque appellando sciscitabantur. Con-

Contrà illi, quòd multorum dierum inducias concessissent, et clausis niue geluq; alpibus, nulla eis ab Cæsare ventura auxilia manifestè perspicerent, veluti perfecto negotio, instrumentum omne bellicum se colligere respondebant. Interea Gulielmus Rochandulphus multis militiæ experimentis apud Germanos clarus, cū Ludouico Lodronio, qui propter multas Alpinarii gentiū clientelas, atq; opportuna castella quæ in Tridentinis obtinebat, montium locorumq; omnium naturam, & inusitata quæque itinera apprime nouerat, per niuosos atq; abruptissimos tramites cum auxilijs Ansum peruenit. Id erat castellum trigesimo ab vrbe miliari, petræ impositum, vbi coeuntes inter se montes, asperam conuallem, insuperabilesque angustias facibāt, quod Vrsattus Priulus Patricius Venetus cum mediocri præsidio tuebatur. Is tanta, vt belli insolens erat, Germanorū multitudine perterritus, quum illi horrendo ac truci vlulatu, nisi portas statim aperirētur, omnia mox victis extrema supplicia denunciarent, repugnante Tonsio Bagnacaballo forti centurione, arcem continuò dedidit: vnde illi non multò post exitium partum. Nam qui infami metu territus vita peperciisse videbatur, timoris ac ignauiæ reus Veneto in foro capite mulctatus est. Rochandulphus castello atque angustijs celeriter potitus, inde mouit: nihilque

hilq; intermisso itinere, prius signa ac copias è proximis collibus ostendit, quàm Brixiani quicquam de eius aduentu nuncijs vel fama compertum habere potuerint: quòd tanta diligentia Veneti itinera locaq; omnia dispositis præsidijs obseruabant, vt qui mandata vel literas deferrent, sine manifesto vitæ periculo commeare non possent. Montani quoque homines qui pertinaci fide Venetum nomen omni tempore coluerunt, nemimem impunè transire patiebantur. eosq; bello supra quadraginta notos speculatores, qui è Brixia Veronam, vel è Germania in eas vrbes mittebantur, deprehensos necatósque arboribus passim nulla interpositæ dubitationis suspenderat. Quæ res insperatum repentinumq; Rochandulphi aduentum fecit: & manifestam hostium tormentis salutem attulit. Rochandulphus quòd plures boues, & aliquantum pecuniæ in stipendium, magnamq; sulphurei pulueris copiam, & septẽ millia peditũ adduxerat, summa omnium gratulatione exceptus est, quanquam multi tacitè aduentum eius molestè ferrent, quòd sublata deditionis occasione, certa spe præmiorum quæ ab hoste proponebantur, manifesto decidissent. Erant plures, quem aduocato statim concilio sententiæ de belli tractione dicerentur, qui cibo ac modico somno recreatis militibus, eadem nocte erumpendum, atque ad oppugnanda

castra hostium contendendum esse censerent. Id Hicardus ipse & Rodulphus, Hala ac Vbertus Gambara veteresq; milites probabant, qui celeri audacia, factóque virtutis periculo deleri imparatos hostes, & bellum facilè confici posse iudicabant. Triumultius enim paulò ante cognito Germanorum aduentu, vt equitatum, quem magno vsui minimè sibi futurum asseris præcisisq; in locis intelligebat, in patentiores campos educeret, ad Ghedas ita se receperat, vt eum veluti loci distantia confisum, & à fesso ac fugato hoste ea maximè nocte nihil tale verentem oppressuri nocturno impetu viderentur. Sed Rochandulphus, quo iussu Cæsaris dubij atque anducis consilij fortunam, quæ, vt bellici ferunt casus, vel mediocri etiam clade illata resurgentes partium vires, & maiora iam Cæsaris consilia perturbare & euertere possent, se tentaturum negaret, prolatisq; Cæsaris mandatis quibus ille præscripserat, vt Brixia metu liberata contentus foret, omnes eius consilij cogitationes interrupit. Nec multò post, quum duriores de seruorum rumores audiret, quòd multitudine suorum militum aliquantum plus famis, quàm pecuniæ vel commeatus intulisse diceretur, ad parandam pecuniam, qua militi stipendia soluerentur, duabus cohortibus in præsidij supplementũ Brixia relictis, in Germaniã reuersus est.

est. Iam enim Germani æquè ac Hispani, impellente Sel conniuente Hala, qui ueteré odio atque emulatione Rechandulpho tacitè infensus, omnem eius authoritatem militari petulantia, comminui ac lacerari magnopere cupiebat, fremere cœperant: nec à maledictis minisq; palam abstinebant, quòd sine stipendijs in ea rerum omnium inopia, quum per occasionem exploratæ victoriæ diuturnum simul bellum & longam durámque militiam finire possent, ipsa illa tot periculis cognita virtute, inutiles muro inclusi. & vinctis planè manibus timidissimi cuiusque ducis imperio tenerentur. Mox gliscente insania, quum deterrimus quisque seditionis faces accenderet, quòd summotis hostium castris erumpendi prædandiq;, vt quotidiana exercitatione consueuerant, facultatem amisissent, summa procacitate atq; licentia, debitas sibi pecunias ab ducibus efflagitare cœperunt, atq; in Hicardum, qui vt tumultuantes authoritate pollicitationibusq; sedaret, concionem aduocarat, inclinatis intentatisq; cuspidibus impetum fecerunt: Ac nisi circumstantes de more signiferi trepidantē superiectis vexillis contexissent, quæ ferro tangere fas non ducunt. & veluti sacrosancta etiā scelestissimi venerantur proculdubio sceleratas manus nefaria ducis cæde maculassent. Eum tamē metu exangue, hastarumq; ictibus

cornua circumuenire, & tumultuario prælio lacessere iubet: vt Turcæ equites penè, priusquam ipse inductis suorum turmis procurreret, ancipiti pugnæ periculo turbarentur. Mox tormenta quæ iam deducta ac directa in hostes fuerant, displodi imperat. Idem continuò fecerunt Turcæ, nam iusto ab spatio maiora minoraq; semel emiserunt, ac rursus omnibus celeriter impletis, eorum currus ad sagittæ iactum promouerunt: certatumque diu est hinc atq; inde solis ac frequentibus tormentis, dum acies appropinquarent. Qua contentione Aegyptij libratores fermè omnes interfecti, pluráque eorum tormenta vi pilarum hostilium curribus excussa, perfractáque sunt. Nam Turcæ complures tormentariæ artis peritissimos magnis inuitatos præmijs, ex Italia atque Germania in castris habebant, ac multos in primis ex illa Iudæorum colluuie, quæ pietate Ferdinandi regis omnibus expulsa Hispanijs, in contumeliam nostram toto postea Orienti huiusmodi variores artes insolitas atque mortiferas importauit. His omnibus præpositus erat Iacobus è Regio Lepidi horum operum egregius artifex, qui iam pridem Turcarum muneribus illectus, deserto Christi cultu, ad Mahometi sacra defecerat. Sed quum iam prælium vtrinque ad manes adduceretur, Mamaluchi trucem atque horribilem clamorem tol-

lunt, & tripartitò magna vi Turcas adoriuntur. Selymus enim superius institutum suum seruans, sic incedebat, vt lunata acie aduersis hostibus appropinquaret. Præerat Asiaticis in dextro cornu Mustaphas, in sinistro Iunusbassà: ipse mediam aciem, vbi prætoria phalanx erat, cum magna tormentorum multitudine obtinebat. Sinambassà autem toti summæ certaminis præesse iussus, ad incertos pugnæ euentus, certam sibi aciem ex fortissimis equitum ab vnaquaque ala detractis delegerat. Quibus ex Selymiana phalange & virtutis & celocitatis eximiæ quingẽtos pedites sclopettarios admiscuerat, vt ab omni pugnæ loco quantumlibet subitis casibus paratus, ei suorum parti subsidio foret, quæ ab hostibus maximè premeretur. Ita vno fermè tempore quum Tomumbeites in medio contra Selymum constitisset, & iam Mamaluchorum ala cum cornibus pari fronte concurrissent, ac in tergis Arabes, vt imperatum fuerat, impigrè dimicarent, quatuor simul prælia distinctis in locis exarserunt. Narrant qui huic prælio interfuere, & clamore militum, & tympanorum tubarumq; sonitu, & fragore tormentorum, & pulueris nube, armorumque strepitu, adeò omnium mentes attonitas confusasq; fuisse, vt cuncti promiscuè cæci furore, & vecordi audacia proruentes: quum nec voces tesserasq; dignosci

gnosci, nec sideri signa, nec ducum imperia ex audiri possent, magnam suorum pariter atq; hostium stragem per mutuum errorem ediderint. Nunquam enim antea vlla acies maioribus accensa odijs inter se concurrerant. nunquam duo maximi reges minore salutis curà pertinacius atque ardentius corporis aut animi virtutem ostenderant: Nanque ambo pari suo atque exercituum periculo, quum se vitæ simul atque imperij aleam subijsse manifestè perspiccrent, nullam sibi reliquam spem, nisi quam ipsa victoria peperisset, fore intelligebant. Iam Gazelles deceris atque Vindicta studio incensus, vt Europeis parem Gazensi cladem redderet, Iunusbassam magno impetu adortus, primas ac resistentes turmas obtriuerat, vexilla prostrauerat, ac Arabibus à tergo prementibus, illas omnium bellorum victrices copias, vbi Thracum, Thessalorum, ac Macedonum robora erant, terga quæ nunquam vllus antea hostis constexisset, dare coegerat, quum Sinambassà in omnem victoriæ occasionem animo ac viribus intentus cum recenti ac valida suorum manu in latus hostium adnolauit, & inclinatam ac fædè discissam aciem rep. rauit. Verùm paulò post ipse Sinambassà, qui supremo virtutis opere edito, manifestam hostium victoriam interpellarat, conuertentibus sese in nouum hostem Mamalu-

chis Bidone pugnacissimo duce, ante alios egregiè pugnans obtruncatur. Eius quoque equites exanimem humo tollere ac seruare conati, Gazelle turmas explicante, vt rari liberius gladijs rem gererent, quo genere pugnæ Mamaluchi maximè præstabant, magna ex parte cæduntur atque fugantur: egregiáque illa prætoria cohors, quum destituta ab equitatu circumacta in orbem hebetatis sclopettis diu restitisset, tota in medio protrita, concisáq; est. In altera autem parte Mustaphas cum omni suo equitatu vehementer inuectus, sinistram Aegyptiorum alam, in qua Heylmis Diadarius, & Giapal alter Orcomas clarissimi duces curabant, acerrimè perurgebat. Ii paulò antè à tormentis insigne detrimentum acceperant, quæ fortè ab media Selymi acie obliquis campi spatijs emittebantur. Ea re animaduersa, Mustaphas abolenda ignominia auidus, semel perturbatis acriter instare, dissiectos lassatósque inductis per cuneos turmis fundere atque prosternere: ac tota acie armis voceq; conspicuus Asiaticos adhortari, vt veteris militiæ decus, quod Hierapolitanis in campis nuper amisissent, illa die virtute egregia, vel honesta morte recuperandum sibi esse censerent. Eodem quoque tempore Tomumbeius perrupta media equitum acie, ad peditatum peruenerat, plura ipsa clara facinora eum

uato ense, vt erat corpore ac viribus ingens, ediderat, atque Arabes exteriora Turcarum agmina coronæ præcinxerant, eosq; auersa ac duplici acie pluribus in locis pugnare coegerant quum Selymus, quod reliquum ac certum erat in tanta rerum iniquitate subsidium, phalangem promouit, cuius impetum neque equi aeres ferróque contecti, neque viri victores ferre potuerunt. Pars enim militum per interualla sclopettis vtebantur, pars prætentis cuspidibus frontem hastarum sylua ita præsepserant, vt obuia quæq; vbi illa conserta ordine vnius corporis armatorum stabilis moles incumberet, sternerentur. Pugnatum tamen est vario vtrinque euentu ab hora quarta ad occasum Solis, nec vlla copiarum pars extitit, quæ diuersas pugnæ vices alterna sorte non tulerit, adeò enim victi victores q; mutua atque implacabili rabie efferati, peruicacibus animis decertabant: quum Mamaluchi ab his eripi sibi victoriam, quos tam latè cæcidissent, Turcæ verò tandiu sibi resistere duobus prælijs ab se paulò antè superatos, indignarentur, vt languidæ etiam manus, fessaq; & prægrauatæ vulneribus corpora, quæ vna tra ac obstinatione animorum sustentabantur, suffectura continuis cælibus in alteram lucem videri possent, nisi nox ipsa tanta cladi finem attulisset. Prior Tomumbeius haud dubiè victus summarei

mæ rei diffidens, receptui canere iussit: Vt suis qui iam phalangi pares esse non poterant, non pulsi, sed reducti viderentur, quod ad confirmandos militum animos, & ad retinendam authoritatem pertinere plurimum existimabat. Iam enim illa eadem fortuna, quæ primas spes fefellerat Tomumbeio, vt miseris solent, meliora speranti secundos rerum euentus promittere videbatur, si animo non deficeret: ac seruatis, quæ supererant, copijs bellum instauraret. Prælio interuentu noctis dirempto, Turcæ victores potiti hostium tormentis atque tentorijs, Mamaluchos, qui iter fugæ simile Memphim intendebant, ad multam noctem persecuti sunt. Pugnatum est die Iouis Nono calendas Februarias, anno à partu Virginis decimo septimo supra Millesimum & quingentesimum. Captus est in fuga Diadarius multis grauatus vulneribus, & cum eo Bidon, cui pila falcone emissa traiecto equo alterum genu perfregerat. Ambos Selymus, vel quia sanari non poterant, vel quia ita decebat, postero die mactari iussit: scilicet vt Sinambassæ manibus, quem vnicè defleuerat, dignioribus victimis parentaret. Erant Turcarum copiæ, tametsi egregiè vicerant, vehementer secundis etiam prælijs attenuatæ. Quarta pars valetudine atq; vulneribus erat confecta, magnumque equorum numerum superemensi itineris labores

labores, eius diei fatigatio debilitarat. Quibus de causis Selymus aliquid de sua vetere festinandi consuetudine remittere cogebatur. Nondum enim Aegyptiorum qui Memphim incolebant voluntates perspectas habebat, nondum quibus in locis Tomumbeius constitisset, quibusve consilijs niteretur, fama cognouerat. Quibus rebus nisi maturè ac diligenter exploratis, suam ac totius exercitus salutem numerosissimis incolis, vrbique totius terrarum orbis amplissimæ, minimè committendam esse statuebat. Igitur hisdem in castris ad Mathaream Rhodaniamque vicum quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, suorum cadauera effossis magnis scrobibus sepelri iubet: hostium verò alitibus ac feris laniandа relinquit. Indeq; promotis castris, vt commodius aquaretur, in planiciem inter Cayrum vetus & Bulachum proficiscitur.

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI
Nucerini historiarum
sui temporis

LIBER XVIII.

INTEREA Tomumbeius nihil tot vsque adeò funestis, atq; asperis rerum successibus fractus, collectis vndique Mamaluchis, loco inter Memphim nouam & Nilum amnem ido neo castra posuerat: ad octo millia seruorum Aethiopum armauerat: quo genere hominum propter antiquæ rebellionis memoriam, antea vsus non fuerat. Præterea Mamaluchorum filijs, ac Mauris clientibus suis. Iudeis atque Arabibus aperto Vetere armamentario, arma telaq; tradiderat, & bellum priore maius atque atrocius aduersus Turcas impigrè moliebatur. Sed quoniam multæ erant gerendi belli difficultates, amisso scilicet omni propè tormentorum apparatu, & fortissimis equitum ferro absumptis, supremi consilij dubias spes, quas dira necessitas exprimeret, æstuante animo ita versabat, vt postquam nihil aperto in campo vera virtute proficeret, totus ad dolos bellicósque æstus verteretur, vtpote qui integris nuper copijs vires improsperè perieritatus, nequaquam iterum iusto prælio contendendum arbitraretur, nec duci vel extrahi in æstatem bellum posse, infirmissimis opibus suis, ac desperatis auxilijs, consideret. Itaque noctu adoriri ac incendere Turcarum castra constituit: cuius consilij duæ rationes esse videbantur: quarum altera erat in celeritate posita, vt prius ipse aliquid per tenebras audacter conaretur, quàm hostes paucitatem copiarum eius deprehenderent, quæ hebetes & tumultuariæ erant, vel ipse in contemptionem Aegyptiorum deueniret, qui excutiendæ seruitutis auidi, rebellandi occasionem mutantibus animis expectabant. Altera erat, vt tormentæ quæ in repentinis & nocturnis maximè casibus nullo propè vsui esse consuessent, noctis beneficio deuitaret, qua parte virium hostes magno suo cum detrimento superiores esse didicerat. Verùm & hos quoque conatus, quum iam omnia ad patrandum facinus paratæ essent similis transfugarum perfidia euertit. Namque Selymus, prudentibus aliquot Mamaluchis, qui despecta regis fortu-

na, vt

na, & in calamitate miseris accidit, quotidie transfugiebant, cognito insidiarum ordine, exercitum arma expedire, & excitatis passim magnis ignibus intentiore cura excubare iusserat. Qua diligentia sequenti nocte peropportunè factum est, vt Tomumbeius delatus ad castra non mediocri cum iactura temere prouecti primi agminis repelleretur: Supremamque inde procul dubio ea nocte cladem accepisset, nisi flammarum totis castris collucentium insolito splendore admonitus, festinantia agmina, quæ vltrò contra hostium tormenta citato cursu ferebantur, animaduerso prælio continuisset. Eo depulsus consilio Tomumbeius, omnium suorum hortatu Memphim ingressus est. Nanque Mamaluchi, quum omnibus victi prælijs aliam gerendi belli rationem ineundam sibi esse censerent, vt vrbem occupatis opportunioribus locis totius exercitus præsidio confirmaret, atque ingressu hostem prohiberet, suadebant, vt qui in tanta rerum acerbitate, postquam pro focis, & vxoribus ac liberis, certandum foret, in eorum conspectu ac in ipsis domorum vestibulis pugnantes occumbere, decorum & pristinæ virtutis gloria dignum arbitrarentur. Itaque singuli equites domos suas digressi familiam omnem & summa tectorum vario genere telorum instruunt, Aegyptios suæ quisque vicinię supplici-

citer orant, vt arma aduersus communes & crudelissimos hostes capere velint, nec se trucidari, vxores verò ac liberos in seruitutem abstrahi patiantur: quando nec ipsis, etiã si medios se gerere, & neutrum contra alterum opibus suis iuuare vellent, parsurus esset si semel immanis atque auarissimus hostis (quod Dij auerterent) bello victor euaderet. Quum victoria libidinis atq; insolentiæ plena nemini agnoscat, nisi eum, qui minimè cõsilij incertus & dubius, dum Mars adhuc communis, re manuq; partium fortunam adiuuerit. Erant plerique ex ditioribus Aegyptijs, qui situ rerum atque imperij commutatione, mercatura, fortunis q; suis detrimentosam, atque inimicam fore prouidebant, ita studio atque opera Mamaluchis non deerant. Contra plerique e media classe ciuium, & è plebe infima ingens multitudo, quæ periculi expers semper in alieno damno lucrum fecit, quòd se per trecentos propè annos in luctuosa & miserabili seruitute omnia extrema perpessos esse meminerat intenti in euentum supremi certaminis, foribus suis se continebant, & tacitè lætabantur: quòd non sine Deorũ immortalium cura tempus aduenisset, quo nefarij impotentesq; domini tantorũ scelerum pœnas darent, ac vindicta alieno præsertim sanguine peteretur, vnde mox ipsi oculos optatissimo spectaculo

culo satiarent. Interea Tomumbeius intentissimo labore ac studio portas aditusq; omnes cõmunire, singulos duces singulis plateis præponere, per omnia fora concionari, nihil remissum in opere esse pati, ac demum quod in calamitate, atq; periculo difficillimum putatur, summam spem rediuiuamq; virtute intrepido cultu præferre. Ipsi verò equites supra necessitatem, quæ extremis in casibus ignauos etiam accendere atq; efferare cõsueuit, æmulatione incitati, impigrè officia ducis exequebantur. Nam quisq; uti eorum ingenium atque industria ferebat, notioribus uicis suis fossas transuersas ac trabes ingentis crassitudinis perducebãt, alij præacutos stipites occultis in scrobibus, quèis incautè prolapsi hostes inducerentur, defigebant: alij in compitis ac tritijs frequentioribus fenestras, & domorũ frontem pro copia tormentis instruebant. Quæ omnia tanta celeritate administrabantur, quòd nemo uel equitum splendidissimus, ligones, aut sordidi operis labore detrectabat, ut nõ prius excogitari, quàm perfici cuncta uiderentur. Erant portæ certiq; aditus qui in urbem ferebant, quanquã urbs amplissima atq; uetustissima nullis mœnibus cingeretur, quorum unus directis ac latioribus uiarum spatijs, ab Orientali porta ad arcem mediamq; urbem pertinebat. Cæteri aditus perangustes calles

calles, & enormes uicos habebant, quibus tormenta commodè apteq; deduci, uel instructa armatorum acies tutò committi non poterãt. In hunc maximè locum Tomumbeius iussas uires contulerat, quòd necessariò ab ea parte irrupturos hostes propter uicorum amplitudinem intelligebat: reliquas urbis remotas regiones mediocribus præsidijs impositis tuebatur. Interiora verò, ubi arx erat, à ualidissima copiarum parte tenebantur, ut quò uis hostium clamorq; & periculum milites auocasset, intenti ad opem ferendam celerius accurrere possent: quoniam urbs omnium maxima, ab exteriore circuitu patentibus ubique ingressibus, parua manu defendi non poterat. Memphis enim uasto ambitu tres ingẽtes urbes complectitur: sed hæ raris inter se iunctæ ædificijs unam efficiunt, quarum frequentissimam hodie nouũ Cayrum appellant. Ea in longitudinẽ sex milliarium, secundum Nilum amnem protenditur, & ab Nilo passus mille paribus semper interuallis distat: Latitudo eius decem stadia non excedit. Media in urbe arx est molli tumulo imposita, cuius amplitudinẽ & elegantiã potius quàm munitionem nostri homines admirantur: Sunt enim in ea nobiles horti, platea ingens cum immensis porticibus, hippodromos, minoresq; areæ plures, atque triclinia in omnes cæli obuersa regiones.

nes. Exteriora verò turribus ac propugnaculis, eximijq; operis pinnarum corona præcinguntur: vnde subiectæ circumquaq; vrbis spatia, Nilus præterfluës, ipsæq; pyramides amœnissimo prospectu conspici possunt. Nō longè ab regia lacus est, aqua ex Nilo corriuata manufactus, eū ædificia mirè pulchritudinis vndiq; claudunt: summáque est eius loci amœnitas, quum & piscari et aucubus, quæ in lacu innumerabiles degunt, insidiari ex ipsis etiam fenestris liceat. Sed hunc alius nobilitate superat figura triquetra lacus, in extrema huius noui Cayri regione, quæ Bulachum respicit. Is per emissarium lapidei operis, vbi ferreæ sunt caturactæ crescente Nilo impletur, eo etiā latiore canali fluuio cōmissus nauiculas admittit, quibus interdiu noctuq; qui latiores vitæ genus colunt, & amoribus vacant, peruehuntur. Domus ad elegantiā fermè omnes ipsa fronte, lacui imminent, quarū vestibula perpetuo podio & marmore leuigato circumstrati marginibus decorantur. Hic cymbas errantes ludibundiq; admouent, effusamq; ad captandas auras virorū ac mulierū multitudinem, cytharis, musicisq; cōcentibus salutāt. In Orientali lacus latere, prætorium exurgit paucis ante annis Dultibeæ reginæ opibus ædificatū, quo cetera amœnissimi tractus ædes structuræ specie atq; interiore elegantia facilè superantur.

Parietes enim porphyreticis et variegatis incrustationibus relucebant: laquearia & concamerationes bracteato auro, pretiosioribusq; pigmētis, & multa arte præcellentiū artificum ornabantur: quin & totæ domo tessellati & vermiculati operū pauimenta, fenestras minorumq; ornamenta portarum, ex alabastrite, & candidissimo marmore, multóque passim ophite calatæ spectare erat. Postes valuæq; ipsæ vbique solido ex ebore, ac internitente passim ebeno elaboratæ, tanta artificum eruditione luxuriantibus in certos orbes nodorum capreolis, vt mirantium oculos detinere, nec satiare posse viderentur. Nec apparatus si ad interiora peruaderes, magnificentissimis ædibus erat inferior vtpote qui et regiæ fortunæ, & muliebri luxuriæ aptissimè responderet. Quæ omnia mox victor Selymus, violatis etiā parietibus, vt integra exquisitorum lapidū ornamenta detraheret, Byzantium asportauit. Præter eum lacum, omnibus noui Cayri regionibus nonnullæ procerum & Mamaluchorū domus visuntur: quæ à nostris hominibus maiorem amœnitatis quàm structuræ commendationē accipiunt: Cetera vrbis humilibus casis & sordidissima plebe replentur. Extant etiam tria Christianorū templa diuersis in locis, quorū vnum multo alijs venerabilius existimatur, propter cryptæ famam.

mam, vbi Maria virgo sæuitiem Herodis effugiens, cum infante Deo Christo latuerit. Alia Barbaræ virgini & Georgio equiti, diuûs etiam apud eas gentes celeberrimis, nuncupatæ sunt. Cayrum nouũ continuatis prope modum ædificijs Bulachum sequitur. Id oppidum in vrbis effigiem altioribus tectis superbum, Nilo adiacet et à Mamaluchis cæterisq; nobilibus æstiuo tempore frequentatur: vt increscentis Nili exundationes voluptatis causa ab editioribus locis prospiciant. Eo cuncta nauigia quæ aduerso amne subuehuntur, applicant: cæterum mercatorum concursus nouo in Cayro celebratur. In aduersa ripa cõtra Bulachum piscatorũ ac nautarum casæ atq; tuguria ex cratibus & palmarum foliis contecta, visuntur. Paulò supra Bulachum Cayri vetus occurrit, quod pariter nouo Cayro intercedentibus ædificijs interuallo vigintí stadiorum adnectitur: & præterfluenti Nilo imminet. Plurima mediocris structuræ ædificia vtramque ripam obtinent. Contra est insula medio in amne hortorũ & villarum amœnitate memorabilis, vbi diuortium aquarũ incipit, & Nilus ipse ingenti eius insulæ rostro prosciditur. In ea templum est filiæ Pharaonis regis amore, & Moseos periculo tanti amnis repetita memoria celebratum. Verùm Cayri veteris ædificia magna ex parte in hortos & squallen-

squallentes ruinæ abierunt. Ibi antiquam Memphim fuisse multis coniecturis existimamus. In ripa amnis Sulthanus Campson, egregij operis turrim arcis fastigium altitudine superantem extruxit, ad hauriendam è Nilo aquam. Ea pluribus rotis & machinationibus iumentorum labore versatis in cacumen excepta, perpetuo demum aquæductu per tastella, & lapideos tubulos, toti regiæ varijs siphonibus immittebatur. Ab vetere Cayro quinq; millibus passuum, in Africæ parte pyramides absunt, barbaræ vanitatis monumẽta quando insanas opes ostentantium æternis etiam in molibus tituli nominaq; perierint. Intus sunt conditoria Aegyptiorum regum distincta in cellas, quæ pretioso sectoq; lapide vestiuntur. Ea loca odore tetra sunt, & tenebrarum affectu formidanda. Nanque propter aderescentes ruderum cumulos, angustissimo ingressu descendentibus sæpius funalia extinguuntur, circumuolitantibus vespertilionum agminibus. Multi in summitates earum cuadunt, & narrant inde aspici Alexandriæ pharum, & fluminis ostia in mare erumpentis: addunt q; eas ad mediũ infimæ basis spatium, ob altitudinẽ, sagitta ictu minime posse pertransiri. Verùm miraculo pyramidũ excepto, coactis in vnũ tribus vrbibus nihil admirandũ præter incolarũ multitudinẽ conspici-

tur. Populus enim, supra quàm credibile sit, per omnes vicos numerosissimus occurrit, sed magna ex parte incultus & sordidus: nam Mamaluchorum metu, ostentare opes non audent, qui diuites existimãtur. Hi camelis assnisq; vehuntur, solis sibi equos vsurpantibus Mamaluchis. In vniuersum plebeij pariter ac diuites, vervecina carne atque oriza pultarijs famem explent, nec qua aliarum gentium luxuria inuenit exquisitas dapes, vel gula irritamenta nouerunt: gallinaceũ tamen generis pullos nobiliũ admittũt mensæ, quòd eorũ magna sit copia Aegyptijs, apud quos gallinæ suos ova non incubãt, sed ea in clibanis tepore sensim adhibito, ita fouentur, vt mirabili arte compendioq; pulli intra paucos dies progignãtur simul & educantur. Caterum Selymus, vbi Tomumbeium Memphim ingressum esse, & Mamaluchos omnes coactis in vnum viribus extremam belli fortunam periclitari velle, certius cognouit propius vrbem admouit castra: & milites adhortatus est, vt totiet victos hostes ea die omnino vincendos, & penitus debellandos existimarent, paululumq; adniterẽtur, vt superiorum laborum atq; victoriarum præmia caperent, quæ tot ac tanta futura essent, quanta ipsi vel immodicis animis antea concupiuissent. Restare paucos cum desertissimo rege, qui quum vulneribus ac timore

more occupati, campestrem aciem ferre nequeant, domi in oculis & complexibus liberorum atq; vxorum supremum vitæ casum expectare decreuerint. Vocari se vltrò ab Aegyptijs Mamaluchorũ nomini infensissimis qui illorum excidium auidissimè expectent, & se ad delendam pessimorũ atq; immanium hominum progeniem è domibus pugnaturos polliceantur. In his tamen reliquijs fusi perterritiq; exercitus debellandis, summam totius belli victoriam constare, quãdo pro victis censeri non possint, qui adhuc starent, arma teneant, ipsaq; imperij sede atq; vrbe maxima potiantur. Proinde in eius diei euentu, cùm salutis & gloriæ, tum fortunarum omnium rationem & casum consistere extstimarent. Rem vero nullius prope negotij periculiq; futuram, si in nouo pugnandi genere, vt antea se duce bellis omnibus enixè fecissent, omnino sibi peruincendũ esse ducerent. Ardebant prælia cupidine militũ animi, paratiq; & diducti in ordines irrumpendi signũ expectabant, quum Selymus Bassuela portæ ingressus equites pluribus simul locis, sed latiore via prætectanos immisit. Occurrere equitibus equites prælitũq; atrox in trinijs, & angustijs incalluit, edidere: pedites verò prolatis in frontem colubrinis, atque falconibus, hostiq; vbi hostium agmina cernerentur, repente excussis,

compita rectis oppositis regionibus statione defensoribusq; nudabant. Vbi verò ad munitiones fossasq; peruentum, dum impulsu obiectas trabes amoliri, fossasq; transcendere conarentur, contráque Mamaluchi impigrè obsisterent: tantaque animorum pertinacia certauere, vt nusquam acrius vel cruentius memoria nostra sit dimicatum. Mamaluchi enim pariter ac Turcæ viros omnes, & cunctas bellandi artes in id vnum pugnæ discrimen contulerant, haud ignari pro vita atque imperio, vltimo eo certamine dimicari: quádo summa stipendiorum præmia, aut extrema supplicia victis atque victoribus, ludente Fortuna ostenderentur. Plurimum cædis erat apud munitiones, nam Turcæ incautius progressi in cæcas fossas, alij super altos cumulati, prementibus vltimis procedebat: alij acutissimis vallis induebantur. Ipsæ matres familiàs & pueri è domibus virili audacia in subiectos saxa ac tegulas prouoluebant. Hos contra Turcæ, vt quisq; eorũ in fenestris vel tectis conspiciebatur, destinatis sclopetorũ ictibus ferire, effringere fores, vnde supernè vis telorũ ingrueret intra domos vario euentu pugnare. Ipsi quoque Aegyptij, modò harum modò illarum partium fortunam speculantes, diuerso studio vtrosque pro hostibus ducere atque oppugnare, vt quemcunque victorem sors daret,

illum

illum etiam egregiè iuuisse viderentur. Erãt diuersis in regionibus plura simul contracta certamina: nam transuersis vicis quiũ discurrerent, modò hi, modò illi, in nouos hostiũ globos incidebant: & qui victores in fronte vrgebant, sæpe intercluſi ab hostibus, in tergis cædebantur. Viæ, & quantum spatij inter tecta relinquebatur, horrẽdum visu, conceruatis passim cadaueribus, tam multo cruore madebant, vt eleuatus puluis, qui initio densissimus erat, sedaretur. Aer nihilominus fumo & caligine tormentorũ, & sagittarum nube erat obscuratus, tantusq; erat militũ clamor, armorumq; strepitus, atq; ipsorũ tormẽtorũ fragor, vt terra tremere, & conuelli ædificia viderentur. Pugnatũ est cõtinenter duobus diebus, ac totidẽ noctibus ancipiti Marte, ita tamen, vt Mamaluchi, qui numero pauci labori atq; vigiliis sufficere non poterant, cedendo in interiores sensim vrbis partes, desertis primis munitionibus se receperint. Tertia die Mamaluchi, quũ in ipso summæ rerũ fortunarũq; omniũ discrimine, quod supremos hominũ conatus atq; animos augere cõsueuit, versarentur, tanta virtute pugnam redintegrarunt, vt Turcas ad multum spatium propulerint, & aliquot eorum falcones interceperint. Quo casu Selymus dicitur de victoria desperasse, iussisseq; vt ædificia passim incẽde-

rentur, impellente eum ad id flagitij & crudelitatis edictum iusta penè aduersus Aegyptios iracundia, quòd Iunushassa in oculis eius è fenestra lapide caput ictus, grauis vulnus paulò ante sustulerat. Iam tecta miserabilem flammam conceperant: iam vlulatus plorantiu & deprecantium Aegyptiorum audiebatur: iam ipsi Turcæ languidius pugnantes, vt receptui caneretur expectabant, quũ à pluribus simul nunciatum est hostes ab diuersa parte, instante Mustapha, loco pulsos superatosq; supremum auxiliũ in fuga posuisse. Etenim Mustaphas, monstrãtibus Aegyptijs Mamaluchisq; trãsfugis ad amplissima platea tum peruenerat, vbi Mamaluchi stratos sranatosq; equos collocarant: vt si quid durius accideret, eò se reciperent, atq; his conscensis, in proxima, qua statuissent loca se properarent. Hos omnes, Mustaphas, deiecto præsidio, quod vt in parte vrbis minimè suspecta ex pueris ac mulionibus infirmissimũ erat, comprehendit, et abduxit. Ea res secuti in grauissimis atq; inexpectatis casibus accidere solet, vigorem eorũ atq; impetũ magnopere debilitauit. Quamobrem sic fugæ sublatæ, quum vndique circumuentos se perspicerẽt, præliumq; nulla alia spe, nullis subsidijs, sed sola virtute sustentaretur, confessione sua victi terga verterũt. Multi cum Tomumbeio, qui ne vinceretur eo prælio, cunctas artes virtutis

tutis atque consilij nequiequam expertus fuerat, ad Nilum properantes ratibus transuecti in Segestricam regionem contenderunt. Alia multitudo Aegyptiorũ domibus fœdissimisq; latebris se condidit. Ex fortissimis autem equitibus amplius mille & quingẽti ad templum maximum Deorum tota vrbe maximum confugerunt, vbi quum diu sese tanquam ex arce defendissent, quòd nisi honesta conditione dedicionem facere nolebant, ad extremum, siti, lassitudine, vulneribus, tormentisq; expugnati, victoris arbitrio se dediderunt. Quorũ pars, connuente Selymo, ab iratis militibus in vestibulo trucidata, pars secundo amne post aliquot dies Alexandriam deuecta est. Selymus, inclinante victoria, extemplo cohortes duas ad reßinguendos ignes præmisit, ac tota vrbe circummissis præconibus pronunciari iussit Mamaluchos, qui intra duodecimam horam se dederent, omnes fore incolumes. post id tempus, deprehensis nullam fore salutis conditionem. Aegyptijs autem qui latentes proderent, se daturum præmia: contrà quos occultassent, se protinus eos palo infixurum: vxoribusq; ac liberis venundatis, domos ipsas esse concrematurum. Ad cuius edicti famam magnus eorũ numerus prodijt, quibus statim catenæ iniectæ. Iidq; omnes postea contra iusiurandum, quòd fugæ consilium cepisse dicerentur in cu-

stodia crudelissimè trucidati sunt. Nonnulli, qui fidei ac amicitiæ iura proditione violare noluerunt, delati ab alijs vicinis ciuibus, extrema supplicia perpessi pro amicis quibus se deuouerant, constantissimè periere. Exinde milites victoria feroces, scrutari cūcta protrahere abditos atq; obtrūcare, prædari etiā Aegyptiorum domos, nihil clausum secretūmque relinquere. Erant qui vno tempore ijsdem in ædibus auaritia, crudelitate atque libidine grassarentur, quum quisque eò vires impetumque transferret quò a natura raperetur. In magna nanque licentia quisque suis moribus facilè seruit effusiq; blanditur. Eodem die Gazelles, qui paulò ante ad cogendos Arabes conducendāque auxilia iussu regis in Thebaidem profectus fuerat, superuenit. Is quum euersis omnibus rebus, neque manu neque consilio proficere posset, ac Dijs iratis infestissimi belli fortunam, quæ toties partium conatus trāsuerso impetu perfregisset minimè sibi amplius tētandam putaret, ad Selymum fide accepta cum tribus Arabum ducibus, multisq; equitibus venit: atque ita locutus est. Si Fortuna, quam summa virtute tibi conciliasti, felicitati nostræ non inuidisset hodie non haberes postquam cuncta armis tuis subacta sunt, vnde reliquos mortales animi magnitudine superares. Integris rebus nostris atque opibus dum

dum pro vita ac imperio certaretur, Turcarūm nomen inani virtutis fiducia elati, semper contempsimus, & te vti hostem decebat, acerbissimo odio persequebamur. Facto demum periculo, omnibus victi prælijs, quum & mirificam atque diuinam virtutem tuam, & secundissimas victorias, quæ non sine Deorum immortalium consilio tribuuntur, miraremur supplices ad te venimus, vt meliorem fortunam beneficio tuo sequeremur, & tu ipse parcendo atque ignoscendo victis ac deditis, qua vna virtute homines cælitibus æquantur, supra immortalis gloriæ tuæ terminos nomen & famā extenderes, Tomumbeio quandiu ille regis nomen vireſque retinuit, & in aliqua luce versatus est fidelem operam præstitimus. At quū iniquo suo fato profugus, incerta etiam salutis fama solitudinibus inerret, deserti potius quàm desertores, ad te confugimus, studium nostrum atque operam tibi meliore conditione probaturi, si, commutata acerbissimarum rerum sorte, nobis viuere, & auspicijs tuis militare licuerit. Selymus, quòd Gazellem propter eximias animi corporisq; virtutes, quibus clari viri etiam apud hostes gratiam promerentur, apprimè nouerat, quodq; Arabes, quos maximè timendos esse intelligeret, fœdere atque amicitia sibi obstringere cupiebat, omnes humanissimis verbis excepit: & singulis stipendia

pendia constituit, hortatusq; est, vt veteris fortunæ oblivisci erentur, & cuncta ex liberalitate sua sperarent. Nec multo post, quum ab Achasia vrbe Mauri simul atque Arabes, adiunctis quibusdam Mamaluchis, qui eò profugerant, Memphiticum agrum incursionibus vastarent, sapeq; frumentatores Turcas ac muliones qui paulo longius pabularentur, interciperent, Gazelles cum parte exercitus ad debellandos eos missus est: qui celeriter expugnata, direptaq; Achasia, & latronibus magna ex parte trucidatis, superiorũ dierum iniurias cum magna sui laude imperatoris q. latitia vindicauit. Interea Tomumbeius in Seiectica regione, quæ trans Nilum ad Cyrenaicam vergit, his etiam tot malis victus bellum reparabat. Venerat ab Alexandria ad eum valida Mamaluchorum manus, quæ ab vrbis præsidio literis euocabatur: multi etiam eum ex fuga comitati fuerant. Non deerant partis Africæ Arabes: & Mauri quoque regionis incolæ studium atque operam suam pollicebãtur. Præterea ab Memphi nõnulli Aegyptiorũ, quorum domus ipsaq; familiæ Turcarũ præda atque libidini cesserant, si noctu Memphim conuolaret, se tumultum excitaturos promittebant: foreq;, vt omnes Turcæ, qui in cõtubernijs essent, vno clamore atque impetu populi delerentur: quando omnes cuncta nefanda atque hostilia perpessi, diutius insolentissimorum hominum iniurias ferre non possent. Ipsos quoque Turcas ad contemnendum numerum ex amplissimo exercitu redactos esse dicebant, magnam eorum partem duobus Memphiticis prælijs interijsse: reliquos fermè omnes, aut vulneribus aut aduersa valetudine esse confectos. Quibus de rebus, & vires vndique crescebant, & spes ipsa, quæ nunquam perdito ac profligatissimo regi defuerat, apud inuictum animum supra eius miseriæ conditionem efferebatur: ita vt Fortuna, quæ immittis atque acerba omnium mortalium infelicissimo supremas insidias tendebat, tum primũ commutatis iniurijs prosperos rerũ exitus promittere videretur. Dum hæc à Tomumbeio parantur, Albuchamar vir Aegyptius: qui in Seiectica cæteros omnes authoritate atque opibus antebat, siue vt imminentis belli cladem ab agris suis auerteret, siue vt gratiam victoris, quam malis facilius apud reges, quã bonis artibus homines consequuntur, proditionis munere mereretur, ad Selymum venit, atque eum de copijs, ac nouis Tomumbeij & eorum consilijs certiorem fecit. Quo cognito, Selymus excubias tota vrbe disposuit: Suspectos ciues, in arce, quæ deserta à Tomumbeio, deuenerat in eius potestatem custodiri iussit: & complura nauigia tormentis atque militib

militibus instructa, quæ aduersam Nili ripā observarent ac tuerentur, pluribus locis separatim toto flumine collocauit. Verùm secum ipse reputans, quanto cum periculo toties cum acerrimis hostibus confligisset, & quàm difficile factu foret intercipere Tomumbeium fuga extrahentem bellū, atq; alia semper atq; alia per Vastas & ignotas regiones auxilia cōparā tē. Vt clemētia atq; animi liberalitate hominē tētaret, ad eum legatos mittere decreuit, qui suaderent, Vt arma deponeret, & iam tandem Victoris fortunam agnoscere vellet, ac simul data fide pollicerentur, eum si supplex accederet, regnum quod tueri armis nequiuisset, Victoris humanitate ac beneficio consecuturū. At si renouare bellum pergeret, & suæ imbecillitatis obliuisceretur: diiudicata belli fortuna, nullam eum posteà dignitatis ac vitæ conditionem ex merito apud tratos inuenturum. Enimuerò Selymus, quū se in remotissimam regionem, alia atque alia inuitante Victoria, abductum conspiceret, ac tantulis infirmus copijs timeret, ne in amplissima vrbe ab incerta fidei hominum multitudine opprimeretur, per conditiones bellum conficere, quàm si contendendo nouis implicari periculis malebat: cum præsertim ab incolis eius prouinciæ nunciaretur, vbique manus equitum omnis generis cogi ab his Mamaluchis, qui ex fuga diuer

diuersas regiones petiuissent: classemq; ad Suezziam portum expectari, quæ Arabico sinu ad Erythræas angustias aduersus Lusitanos profecta esset. In ea esse supra tria millia Mamaluchorum, & Amyrassem ac Raysalomonem peritissimos duces, magnúmque numerum æneorum tormentorum, vnde Tomumbeius accepta incommoda resarcire, atque vrbem vocantibus amicis repetere posse videretur. Sed eū in primis ingens cura Persicarum rerum excitabat: ne si Hymbracorbassà quem ad Taurū præmiserat, Hysmaelis viribus impar foret, ipse prius ab Asia Minore ac Syria excluderetur, quàm Byzantina classis cum supplemento militum, & secundis commeatibus Alexandriam peruenire. Igitur decreta legatione, viri insignes qui sacris præerant, cum his q; aliquot Aegyptij clari nominis mittuntur. Qui quum traiecto Nilo in Seiecticam peruenissent, antequam audirentur, à quibusdam Mamaluchis insana ac barbara crudelitate trucidati sunt. Nefarij siquidem & arrogantissimi homines, Tomumbeio nihil tale expectanti, se gratum facturos putabant si ad declarandum studium suum atque alienissimam à pace voluntatem, tanti odij ac feritatis rabiem ea immanitate sceleris ostentassent. Quod factum superbè atque atrociter, omnem Selymi patientiā abrupit, &

pit, & mox funestissimum bello, ac Mamalu-
chis omnibus finem imposuit. Nanque homo,
quum nullis etiam irarum stimulibus ageretur, natura & vehemens & ferox, æquo ani-
mo ferre non poterat, quòd victi fugatiq; & mandata sua, quæ vtilia atq; honorifica ipsis
forent, despiceret: & ius legatorũ apud efferatissimas etiã gentes sanctissimũ violare ausi
fuissent. Quamobrem his exagitatus iniurijs, in Seiecticam aduersus Tomumbeiũ expeditionem edicit, commeatũ parari imperat: & Nilum, quòd ratibus transire, neque sua dignitatis, neque præsentis occasionis esse statuebat, contractis vndique nauigijs stabili ac latissimo ponte consterni iubet. At Tomumbeius, quum parari copias & Nilum ponte iungi per exploratores & Memphiticos ciues audiret, veritus prouincialium perfidiam, quorum animos Albuchomaris defectione ab se alienatos esse, propter eius viri potentiam atque authoritatem facilè susp icabatur, illam eadem, qua toties spes suas frustrata fuerat, prælij fortunã tentare constituit. Omnibus enim rebus inferior, extrahere belli, vel hostem expectare non poterat: neque sibi iterum amissa dignitate per vlteriores solitudines fugiendum arbitrabatur. Ergo inito cum suis consilio, quod sibi Mamaluchisq; omnibus supremum fuit, cum quatuor millibus armatorum equitum, & bis

bis totidem Maurorum atque Arabum, è Seiectica diluculo profectus continuato per diem ac noctem itinere, ad Nilum cõtendit. Vt Turcas, quos nihil tale de victo atque infirmissimo hoste suspicaturos esse intelligebat, audendo falleret, & suæ famam celeritate præueniret, ratus se improuiso aduentu copiarum partẽ, quæ prima flumen transissent, priusquam eis subueniri posset, esse deleturum. Neque enim temporis spatium opinionem fefellit: nam horarum momenta cum itineris celeritate egregiè supputata, congruerant: & vt ipse coniectura futurum putauerat, prima Asiaticorũ agmina pontem traiecerant. Muliones, & cũ bis pueri, qui Selymo à cubiculo seruiebant, quum ad tendendum tabernaculum amœniorem locum quærerent, longius progressi, puluerem aduentantis exercitus primi conspexere: statimq; ea de re Mustaphas certior est factus & ad arma conclamatum. Quo rumor & his, qui iam transierant, & illis qui in citeriore ripa transituri morabantur, magnam trepidationem iniecit. Tomumbeius expedientes arma, & coeuntes ad signa hostes repentino impetu adortus, primos, qui sustinere irruentium impetum ausi sunt, obtruncat, alios dissicit & conuertit in fugam. Nec Mustaphas quãquã impauidus, ante alios pugnãdo, atque adhortando, tota ferme prima acie protrita,

protrita, ac cæteris perturbatis, restituere ordines, aut in fugam versos retentare poterat. In aspero enim atque inopinato negotio, cuncta, cocursatione cæde fuga, & metu, plena erant, totis ripis supra atq; infra pontem respectantium atque auxilia implorantium trepida agmina visebantur. Multi, impellentibus hostium turmis ad extremos redacti margines, in flumen procidebant, multi ad initium pontis, occurrentibus, qui continuè ab ulteriore ripa submittebantur, dum scandere pontem vellent, timore præpediti, & reiecti ab suis, profluentis gurgitibus hauriebantur. Erat latitudo pontis tanta, vt quaterni equites commodè recipi, & magna eorũ multitudo vnius horæ momento trasmitti posset. Verùm quum tormenta traducenda essent, minora equitum subsidia, quàm periculi magnitudo, vel repentinus casus efflagitabant, submittebantur, nec in tormentis vllum erat auxilium, quæ celeriter traduci, vel ab citeriore ripa in aduersam, propter obiecta suorũ agmina emitti sine detrimento non poterant. Interim Selymus, qui initio tumultus ad Nilum decurrerat, scaphas & fluuiatiles lembos prætorianis sclopettarijs complet, atque equitatu per pontem accelerare iusso, eos laborantibus subsidio transmittit. Quibus nauigijs expediti nautæ, quum adhibita omni celeritate reuerterentur,

tur, ac rursus alios exciperent, paruo temporis spatio plures cohortes exposuerũt. Quorum aduentus perturbatos & iam ægrè sustinentes Asiaticos confirmauit. Canoglis quoque Tartari regis filius, Scytharum agmina vt Nilum transirent cohortatus, in vlteriorem ripam paucis desideratis & admirantibus cunctis euasit. Ea enim gens & Tanaim & Volgam rapidissimos maximosq; amnes gregatim insuefactis equis transnatare didicerat. Eodem quoque tempore, Tomumbeius, quòd celerem in vna ea re victoriam consistere prouidebat, confertis suorum turmis ad pontis caput penetrare, atque id occupare conatus est, vt ad intercludendos hostes primam ratem auelleret, & rudentes, quibus ea nauium series ripæ deligebatur, præcideret, quibus abscissis, necessario totus pons superstantibus copijs resolutus, ipso tanti amnis impetu raperetur. Quæ res longè periculosissimam attulit dimicationem. Nam ab delectis, ac optimè armatis, qui à fronte vrgebant singulari virtute pugnabatur: & Mustaphas animaduerso periculo, & signa et fortissimos quosque in eum locum contulerat. Itaque tanta est contentione actum, quanta agi debuit, quum Mamaluchi, si loco potirentur, se breui negotio posteà superiores hostium victorias euersuros, manifestè persuicerent: & Turcæ, nisi pontem conseruassent,

de sua in primis, & reliqui exercitus, ac ipsius imperatoris salute desperandum esse intelligerent. Sed rem obtinuit Mustaphas sclopetarijs, & Graecorum turmis, quae iam plures transierant, praelium excipientibus: moxque hostibus repulsis vltrò instituit: & ad multum spatium eos submouit. Hic est ille Mustaphas natione Pannonius, & Baiazetis gener, qui magnificentiae & perpetuae laudis studio, ex huius victoriae manubijs, eximij regijque operis, & sumptus, pontem lapideum in Symonte amne construxit: quem hodie per Thraciam transeuntes, tanquam Romanae magnitudinis aemulum admirantur. Tomumbeius, vt Mamaluchis, qui lassitudine deficientibus equis, acrius pugnare non poterant, aliquid ad respirandum spatij daret, & per eos rursus extremum praelij casum collectus viribus experiretur, Arabes, ac Mauros, vt tantisper pugnam sustinerent, adhortatus est. Quod quum impigrè praestitissent, & paulò post Mamaluchi equis atque corporibus aliquantulum recreatis successissent, tantae vi praelium redintegratum est, vt Selymus victoriae diffidens, quanquam amici eius, ne id faceret, deprecarentur, conscendere pontem, & suis auxilio proficisci non dubitarit. Eius aduentus, spe illata militibus qui in conspectu imperatoris, et praemia & laudem, insigni aliquo virtutis fac-

more edito, promereri cupiebant, conatus hostium repressit: statimque praetorianarum cohortium virtute omnes in fugam versi. Fugientes, equitatus qui praelio non interfuerat, totis campis consectatus est, & ipsi demum Scythae, qui delati torticibus in vlteriorem ripam ad hostes tardius ascenderant, sagittantes affuere. Tum verò missi Mustaphas Cayerbeiúsque, & Gazelles cum recenti atque expedita equitum manu, qui vestigijs fugientium insisterent: nec Tomumbeium elabi paterentur. Sequenti die eum ad praealtae paludis emissarium, vbi paulum conquieuerat, adepti sunt, conantémque interscindere ligneum pontem, vt iniecta mora antecederet, aliquot ibi occisis et captis, rursus effugere coegerunt. Tertia die, quum amissis fermè omnibus copijs, ad Secussani reguli villam peruenisset, & Turcae Aegyptijs, qui eius regionis pagos incolunt, extrema supplicia denunciassent, nisi ad comprehendendum Tomumbeium, egressus omnes illarum paludum, & circumiecta loca intentis custodijs obseruarent, metu perculsus paludibus se condidit: vbi eum paulò post agrestes mersum aquis vsque ad summum pectus, atque inter iuncos & harundines latitantem deprehenderunt: vinctúmque miserabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multò post cum aliquot ducibus amicorúmque praci-

puus, Memphim perducius est. Selymus, qui propter interfectorum legatorum iniuriam, hominem necare decreuerat, eum ad se perduci uetuit tortoribúsque tradidit: ut de Campsonis thesauris quærerent, qui secretissimo spe cu abditi credebantur. Ferunt eum constanti animo ac minaci uultu, nihil præter suspiria atque horribiles gemitus in summis cruciatibus protulisse, ut ea patientia victoris sæuitiam superaret. Postero die eum uili camelo impositum, ac absoleta indutum ueste religatísque in tergo manibus, sicuti noxij ac latrones solent, per omnia urbis fora, & celeberrimas regiones circumduci iussit: ut Aegyptij quem paulò ante regem adorarant, illum eundem uertente fortuna in extremas præcipitatum miserias, uitæ simul atque imperij diei fatali laqueo finiturum intuerentur. Quum uerò ad Bassuelam portam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregere, utq; transeuntibus conspectui atque ludibrio foret, uinco ferreo suspensum supra fornicem reliquere. De Tomumbeio supplicium sumptum est Idibus Aprilis, anno à partu Virginis decimoseptimo supra Millesimum & quingentesimũ: qui dies Lunæ dicatus, Christi resurrectionis celebritatem secutus est: quum ad Rhodaniam pugnatum esset Vndecimo Calendas Februarias, die diui Vincentij memoriæ dicato. Nec defuerunt, qui in eo

in eo tam atroci miserabilique spectaculo, lachrymas effunderent, tristíque gestu & incondito ejulatu ultimi regis sui usque adeò fœdam atque turpissimam necem auersarentur, uel increpantibus sæua uoce, & mortem comminantibus Ianizaris, quòd Memphiticus populus, uti leuis, & ueteri Mamaluchorum seruitio assuetus, depulsæ seruitutis beneficium, nequaquam lætis & gratis animis acciperet. Erat enim plebs Aegyptia adhuc incerta libertatis, propterea q; cæco suspensa metu, rebus suis timere cogebatur: quòd Turcarum gentem bello inuictã, formidatamq; cunctis Europæ atque Asiæ regibus, nequaquam Circassijs mitiorem, imperatore præsertim truentissimo, superbissimè regnaturam existimaret. Commouebat quoque animos mirum in modum pendentis Tomumbeij habitus tam indignè à Fortuna mulctati: eum nanque singulis aulæ honoribus integra nominis famæ gestis, ad summum regij decoris fastigium, studio populi, fauoréque procerum ascendisse meminerant, ut inde urgentibus fatis usque adeò deformi ruentis imperij & uitæ exitu præceps daretur, exemplum haud dubiè inter pauciss ima humanæ uarietatis ualde memorabile miseris pariter atque felicibus, prabiturus. His quidem, ut nihil sese efferre, sibique adulari, illis uerò, ut cuncta, quæ indigna at-

que asperа sors adueheret, constanter ferre condiscerent. Eo etiam Tomumbeius commiseratione dignior apparebat, quòd maiestatem proceri & lacertosi corporis, cultúmque promissa & canescente barba venerabilem, cùm regio solio, tum militari imperio parem attulisset. Caeteri Mamaluchorũ proceres cum ignobili etiam equitũ turba, qui in custodijs erant, eandem exitus fortunam tulerunt. Sublato Tomumbeio, atque occisis fermè omnibus Mamaluchis, quum nulla certa hostium manus in Aegypto esse nunciaretur, qua renouare bellum posset, deductis copijs, ad recipiendas vltiores prouincias Selymus duces misit. Alexandrini enim secundum Memphiticam pugnam expulso praesidio, & Phari arce, quam imbellis custos certa cum spe praesentis praemij quàm dubio periculi euentu, tradere, quàm defendere maluerat, facilè occupata multis ante diebus ad Turcas defecerant: Damiata quoque victoribus portas aperuit. Hac olim Pelusium, Heliopolisque demum instaurante Hadriano Caesare vocata est: Citra autem Nilum, quà Aegyptus Iudaeа atque Arabiа terminos, attingit, nulla ciuitas, quа Turcarum imperio non pareret, relinquebatur. Ipsique Africа reges Cyrenaicа finitimi, qui pendere tributa, & Sulthanis certo fœdere parere consueuerant, legationes destinabant. Reliqui erant

Arabes, & praesertim Africani, qui Tomumbeio auxilia miserant, & Turcis, quòd eo bello magnum suorum numerum amisissent, minimè pariturі, dicebantur. Ea gens latrocinijs potius, quàm bello assueta, ab Euphrate quà Palmyrenorum fines alluuntur, vsque ad Atlanticum Oceanum totum Aegyptum atque Africam multitudine sua replеuit. Errabunda gens est, ac innumerabilis, distincta tamen per populos & duces, qui suas vrbes atque oppida singulis curribus trahunt: vt pote quis certas sedes non habent, & Scytharum more tentorijs & papilionibus vtuntur. Ipsi se gentium nobilissimos praedicant, quòd nullis vnquam alijs immixti gentibus, incorruptam antiqui generis nobilitatem conseruarint. In vniuersum astu omnes atque ingenij artibus potius, quàm corporis viribus pollent. Frugi enim in conuictu homines nullа cibi intemperie vires alunt, temperantia valitudinem tuentur: multáque exercitatione ad inuictum robur habiles artus confirmant. His magna cura est vxorum pudicitiа quando nihil potius ducunt, quàm incorrupti sanguinis antiquum decus. Totum autem familiа censum vna implet tenuis supellex, qua nobili equo Numidico, lanceа, & iaculis constat. In mundo muliebri, neque aurum, neque argentum vsitatur, sed laneа virgata vestis, et pro gentili thoro ex centone

leuis culcitra primores tantum, argentum Vermiculato opere fabre factum pictumq; in phaleris gestant: argenteasq; item bullas collo suspendunt, quas incluso amuleto Thaheles vocant: quarum præsidio aduersus pericula se probè munitos arbitrantur. In hostites aduenas ambitiosius, quàm latronum mores ferant, liberalitate vti mos est. Sed conuiuia eorum, si venatio non suppetat, leui pollinis & oryzæ pulticula, fauo mellis, carica, palmæ dactylis, ac lacte acido finiuntur. Munera sunt lanea chlamydes colore violaceo aduersus imbres à nostris expetita. Sed inter se nouas & veteres à maioribus per manus traditas immortales inimicitias exercent, ac sæpenumero in factiones secedunt, & aggregatis vtrinque auxilijs cruentissimè præliantur. Qua de causa, quum antiquis odijs, & nouis simultatibus semper studeant, & bella ex bellis oriantur, nunquam ad expellendos Mamaluchos consentire in vnum, & pari consilio bellum gerere valuerunt. Neque enim Mamaluchorum opes tantæ multitudini sufficere potuissent, quando Sulthani ex aliena discordia potius, quàm propijs viribus eam prouinciam atq; imperium retinere viderentur. Itaque Selymus per idoneos homines plures eorum duces data fide ad se Memphim euocauit, & summa liberalitate prosecutus est: quorum exemplo fiebat, vt

ceteri

ceteri quotidie accederent, acceptisque muneribus in verba eius continuò iurarent. Aliqui tamen, quum nullis pollicitationibus ac donis flecterentur, per insidias ab alijs ducibus intercepti, ac Selymo traditi manus pertinaciæ atque odij pœnas dederunt. Classis quoque paucarum nauium aduerso Nilo vsque ad Sienem quam hodie Guagueram incolæ appellant, ascendit, omnesq; hæ gentes quæ ad Aethiopiam vergunt, sicuti amicitiam potius, quàm imperium Sulthanorum agnoscebant, ita victoriæ famæ perductæ, in Turcarum fidem facilè concessere. Isdem etiam diebus ad Suezziam Rubri maris portum (is olim Arsinoes fuit) cum aliquot turmis atque cohortibus processum. Distat Memphis à proximo litore, vbi Suezzia est & Thorius portus, trium tantum dierum itinere. Quo in portu Campson aduersus Lusitanos classem ædificauerat, qui subacta tota prope India, omnem Arabici sinus nauigationem sustulerant: et quum Indicas merces per Oceanum in Hispaniam auerterent, Memphitica vectigalia grauissimis detrimentis afficerant. Ea classis, magna impensa, & labore incomparabili vix quatuor annorum spatio perfecta, deductaque fuerat. Nam ab Issico sinu, atque Amani syluis è Cilicia materiam petere necesse erat: eam inde transuectam Pelusium, aduerso Nilo Mem-

phim deportabant, Vbi nautæ ac peritissimi fa-
bri non deerant qui ab Venetis haud obscurè
submittebantur: quum & ipsi, eodem incom-
modo accepto, nobilem illam, & toti Europæ
statu temporibus aromata partientem nau-
gationem intermittere cogerentur. A Mem-
phi autem plicatiles ac solutæ naues membra-
sim camelorum dorso Arsinoem conuehebant-
tur: ibique rursus commissæ in vnum per par-
tes suis clauis configebantur. Quibus cõstructis
atq; deductis, paulo ante Selymiani belli ini-
tia, Campson Amyrasem & Rayssalomõe du-
ces misit cũ valida manu Mamaluchorũ, ma-
gnóque tormentorum apparatu, qui cum clas-
se ad Erythræas angustias contenderent, &
cum Lusitanis bellum gererent. Sed illi, quum
Lusitanam classem duce Lopo Suare vltrò in-
gressam Arabicum sinum cognouissent, nec sibi
tunc, multis de causis, cum totius Indiæ vi-
ctoribus confligendum esse arbitrarentur, Gid-
da, qui Mecha Mahometi sepulchro celeberri-
mæ vrbis portus est, medio in sinu ad Arabiæ
Felicis litus per causam reficienda classis sub-
stiterunt. Mox verò discedentibus Lusitanis,
qui propter aduersas tempestates repulsi ad
Aethiopica litora, ac diu flantibus Euris iac-
tati, nulla re memorabili gesta, sinu excesse-
rant, aliquot amicas vrbes felicis Arabiæ la-
tronum more diripuerunt: & Ademum, ci-

uibus pecuniam exprimerent, expositis copijs
oppugnarunt. Sed vrbs frequentissima &
munitissima impetum Aegyptiorum egregiè
sustinuit. Ademum enim, quod antiquitus
Ocellis emporium fuisse arbitramur, opportu-
na in caute iuxta promontorium Palindro-
mum extra Arabici sinus fauces ad leuam po-
situm est, & à tribus ferè partibus mari al-
luitur, murumque habet, quà aditus est à ter-
ra, & complures turres in morem nostrum
portui ac nauali bus impositas. Magna quoque
est ea in vrbe, vt in nobilissimo Indici ma-
ris emporio, commercij & mercaturæ causa,
Persarum atque Indorum multitudo, qui
vno consensu cum ciuibus, vt sese atque opes
suas ab Aegyptiorum iniuria tuerentur, pro
aliena vrbis salute sumptis armis propugna-
re non recusabant. Ita Amyrases, & Rayssa-
lomon repulsi ab mœnibus & pessimè accepti,
reductis copijs ad insulam Cameronis, atque
inde Giddam redierunt. Ibi quum de Camp-
sonis morte atque aduentu Selymi ad Mem-
phim cognouissent, atq; alter inside permane-
re, alter verò victoris fortunam sequi conten-
deret, protinus inter se dissentire cæperunt: co-
ortæque inter milites seditione, Amyrases qui
Tomumbeio fauere conabatur, Mechã profugit
Verùm paulò post Rayssalomone eum deposcen-
te, atque

te, atq; omnia hostilia, nisi cõtinuò sibi traderetur, denunciãte, à Mechesibus, qui rebus Gid densiũ magnopere timebant, captus, & Giddã ad classem trãsmissus est. Porrò Rayssalomon Vt, æmulo & collega sublato, solus classis imperio potiretur, atque edito aliquo insigni facinore sibi aditum ad victoris gratiam prapararet, Amyrasem noctu ad declinandam inuidiam mari demersit & bimestri stipendio donatis militibus, his q; Selymi sacramẽto adactis, paucorũ dierũ nauigatione Arsinoem peruenit: & tradita classe ad Selymũ profectus est. Ea verò Turcarum manus, quæ Arsinoem venerat: dextro litore ad superiores prouincias ascendit: regulíq; omnes, qui Sulthanorũ tributarij vel amici erant, vsque ad Dauidis maximi, Aethiopũ regis fines, quem nostri Preteiannẽ vocant sine vlla dubitatione deditionem fecerũt. Sed quoniam in mentionẽ Preteiannis incidimus, non inuitundã fore putauerim si post tot cruentæ prælia, & tristes rerum prope omniũ euentus, amœnioris materiæ diuerticulum legendo fessis paremus, quod Aethiopiæ descriptione aptè præstare iubet, vt quæ plerisq; fabulosa videri solẽt, ad veritatem fidemq; historiæ referantur.

AFRICA, quæ tertia pars orbis cẽsetur, ingentis Pyramidis figuram effingit: cuius basim efficiunt ea litora, quæ à Nili ostijs perpetuo

petuo tractu ad columnas Herculis directa, Mediterranei maris fluctibus alluuntur. Latera autem, hinc Rubri maris sinus, illinc Atlanticus Oceanus, sensim extenuato terrarum cuneo castigãt, vt in oblongã coeundo desinant cuspidẽ, & extremo Bonæspei promontorio terminentur. Id ad Antarticũ polũ vergit, æquo fastigio æquatoris, & tropici Capricorni lineas longissimè progressum: quod intentatum, nec planè antiquis cognitum Africæ caput, memoria nostra superauêre Lusitanæ classes, quum in Indiam ingenti ausu petendis aromatibus proueherentur. Id naturæ munimentum, immensi diuersiq; æquoris vastum pelagus tanquam rostro findit & dirimit, quum ab ortu Solis Indici maris æstum læuo humero excipiat: ab occasu autem, dextro alterius propè Oceani Aethiopica litora pulsantis fluctus summoueat: & extrema veluti terrarum lingua concursantibus ventis, & refractis tempestatibus imperet. Media huius expressæ pyramidis, quæ sunt regiones vltra citraque æquinoctialem lineam, per arenarum solitudines innumeræ Aethiopũ gentes inhabitant, quæ portenta naturæ existimari possunt: quòd moribus tantum ab homine distent, quantum ingenij captu brutis accedunt: quanquam auaritiæ, superbiæq; bona pariter ac mala planè intelligant, quum

& auc-

& aurum quod effodiunt, & commerciorum vtilitates agnoscant, rerumq; propè omnium inopes, pro imperio, & dominatu regum suorum cruentissimè dimicent. Ex his Troglodytæ, qui iniquissimis feruoribus damnati, perpetuisq; & directis Solis radijs flagellati, cauernas inhabitant, feritate reliquos antecedunt. Nigritarum omnium, quos interluit Niger amnis hodie Gambra vocatus, Sol pro aspectu recto aut obliquo gentis colores euariat. Ante alios Guinei absolutæ nigritiæ, nec repandis & contusis naribus vultu gestúque nobiliores existimantur. Mantingæ generoso ingenio fidem colunt, matura oleæ colorē imitantes. Manicongri ancipiti memoria pollent, nam obsequia cum fide implent, & seruitij pertæsi, conditionis suæ fortunam, dominorum cæde sæpe vindicant. Gilopi ablutis carbonibus similes, verberum odia reseruant: pigriq; & hebetes non citò mansuescunt. Zapes & sensuum & corporum ignauia, mancipiorum omnium vilissimi existūt. Ad has gentes quotannis penetrant instis & compositis agminibus, quæ Caranane vocātur proximi mari nostro Pœnorum, Numidarum, & Mauorū mercatores, magno quidem quæstu, sed aliquanto maiore vitæ periculo: quòd in arenosas solitudines, & indiga aqua loca, obsessaq; passim serpentibus & feris delati, sæpe exci-

tato subtiliore sabulo austri flatibus obruuntur. Hac nobis scribentibus Muleasses rex Tunetanus ab immani fratris iniuria exustorū oculorū orbitate miserabilis, enarrauit, totam ferè ex imperio eius subiectis Carananá, tantam proximè vno ventorū turbine, calamitatem subijsse, vt vix decimus quisq; multorum mensiū remenso itinere sospes & integer domum sit reuersus. Tanta est auri & eboris satis cum hac vilium mercium permutatione parentur, vt incertæ spe lucri non planè dubiæ salutis iactura cōputetur. Cæterū Lusitani Atlantem, quem in Mauritania Clarū montem hodie vocant, & Praxiū promontoriū, Virides q; insulas, quas nonnulli Hesperides esse existimant, annuis atque victricibus classibus præterrecti, insinuatiq; Nigritarū terris, pleniorem horum populorum notitiam retulerunt: quum inde captis aut coemptis mancipijs, Lusitaniam repleuerint. Legendo enim oram à Praxio ad Orientem proras vertere, qua irrumpens Oceanus deuoratis litoribus ingentem efficit sinum, & usque ad sancti Thomæ insulam, quæ sub æquatore sita est, deserta nuper, & infestæ crocodilis atque serpentibus, quibus eam in relegata damnatorum corpora ad pœnam objicicbantur. Sed ex infami & incultæ, propter benignam perpetuæ autumni temperiem, facile frugiferam, facca-

roq;

roq; abundantem, Lusitani in cultura diligentes, reddiderunt. Sicuti de Fortunatis, quæ Canariæ hodie dictæ, dextrorsum numero decem in eorum ventum vergunt, & de Maderia Foncialia Hispaniæ proxima, paruo colentium labore profectum esse videmus. Ab hac diui Thomæ insula in quæ iam Lusitanorum colonia coaleſcit, aliæ atq; aliæ classes recuruatis litoribus adiere nouas gentes, longissimo tractu vsque ad ipsum Bonaspei promontiorium: sic tamen lustrando litorum recessus & anfractus, vt à conspectu classis, nisi iusta manu armatorũ expositæ, recedere non auderent, admoniti scilicet recenti infortunio Francisci Almedij Indicæ classis præfecti, qui sub promontorio Bonaspei, quum inaurspicatò in terram ad conspectum fontem cœnaturus descendisset, subito ferorũ hominum è nemore erumpentium impetu oppressus est, vir indignus ea calamitate, vel hoc vno, quod magnis rebus gestis, partam Indicæ victoriæ laureã, regi suo referre nequierit. A Bonaspei promontorio, binisq; ambientis Oceani litoribus, introrsus Magni Preteiannis imperia pateſcũt, quæ in quadragintæ amplius regna, per immensas propè regiones certis finibus distinguuntur. Hæc nota, claraq; suis nominibus atque opibus, peculiares habent reges, lingua, moribus, & oris colore dissimiles, quæ tri-

buta pendunt: aut stipendiarij facti, quum bellum ingruit, Preteianni tanquam supremo imperatori operam nauant. Præ cæteris Sceuæ regnum vbertate soli, cæliq; temperie, atque hominum ingenijs, nobilissimum existimatur. Hoc tanquam præcipuum natalis soli, rex incolit; nam in complures habet regias, & augustiora templa: secutus q; herbidorum locorum, & aquarum opportunitates, ad tot comitantium agminum commoditatem antecapit, & exurente etiam Sole, per varias mansiones salubriore aeris temperie perfruitur. Toto siquidem ferè anno sub tentorijs degit, insigni apparatu & magna aulæ frequẽtia, quanquam frequentes pagi ædificiaq; ex trabibus cancellatis, & cretaceis parietibus adfabrè constituta, non desint, quæ hospitaliter subeuntes recipiant. Regnum Sceuæ Antarcticum polum duobus & viginti gradibus eleuatum aspicit. fines eius à proximo Oceani litore decem dierum itinere distant: absunt autem à Nili fontibus itinere quindecim dierum. Sceuano in agro mira est rerũ omnium fertilitas, frumentiq; præsertim, & ordei, omnisq; (vti apud nos) leguminis: milij verò, panici, vsq; adeò altæ segetes luxuriant, vt equitis staturã superent. Nec terra abundans pomis vites respuit, quæ vindemias largissimè præbeant. quanquam ex pyris, acrioribusq;

malis vulgò succum exprimant, quo in potu vilior populus vtatur. Ter singulis annis arãt, & serunt, & perpetuo propè autumno omnis generis fructuum copia lætantur. Nam ficus virides, & melopepones sapidissimi toto fere anno conuiuijs non desunt. Fabæ & ciceris siliquæ virentes cunctis mensibus apparent. Omnibus Sceuanis agris maioris minorisq; pecoris armenta, equorum nobilium, camelorũ, & asinorum greges passim visuntur: & inter cætera, eximiæ proceritatis & pulchritudinis mularũ agmina. Abyssini enim omnes, quo nomine in vniuersum subditi Preteiannis appellantur, alendis perdomandisq; mulabus maximè studẽt: quòd à proceribus aulæ magno pretio coemantur. Caterùm Sceuanis solertia ingeniorum, et morum grauitate, vitaq; & honesti cultus elegantia Abyssinos omnes antecedũt: ideoq; gratia principis maximè florent. Is siquidem, Republica prudentissimè constituta, tantæ legum æquitate populos regunt, vt quum principis authoritatem studiosè respiciant, eiusq; nomen in omni iudicio atque actione venerentur, non secus ac Veneti patritij regnent: apud quos principis maiestas, dissimulata, vel erepta potestatis imagine tantùm viget. Sceuani rerum præsides, sacra more nostro hisdem templorum apparatibus, atque hisdem prope cæremonijs, mu-

sicorum organorum intermixtis concentibus, celebrant: iam pridem Christianis initiati sacris, vti asserunt, docentibus Bartholomæo apostolo, & Philippo diacono, Candaceque Aethiopum regina susceptente. Sacro enim baptismatis fonte abluuntur, quãquam aliqua ex candenti ferro fronti stigmata superaddant: nec Hebraicæ consuetudinis oblita planè sint: vtpote qui decidere præputia, & è pudendis etiam mulierum caruncula præcidere soleant. Qui verò iurisdicundo præsunt (vti apud nos) eadem legum seueritate in puniendis noxijs vtuntur, aberrantes enim, & temere desciscentes à religione, totius concursu multitudinis lapidibus obruuntur. Semel verò susceptæ religionis ritus præceptaq; temere transgressos, & de Deo Maximo Diuisq; impiè loquentes, in foro viuos comburunt. Homicidam propinquis interfectis victum tradere mos est, vt pro libidine sanguinis sui iniuriam vindicent. Nonnulli auariores deditum mercatoribus in seruitutẽ vendunt, quum alij plerumque à superbis & sæuis per exquisita tormenta ad interitum excrucientur. Furibus oculos eruunt, tradunt q; luminibus miserè captos publico mancipio, quibus cithara & cantu cibum quærentes, per omnes regiones & remota regna, ea lege perducat, vt alterum diem vno in loco permane-

re strictq; capitale sit. Marium tentasse libidinem, quod apud finitimos Mahometanos impunè est, extremo supplicio crimẽ dignum censent: minora verò delicta scriptæ legis interpretum arbitria subeunt. Nam aliqui carcere, alij exilio vel flagris, ignominiosq; traductione mulctantur: raros pecunia aut alterius rei pretium à decreti pœnis absoluit. Nuptias solennibus epulis celebrant, verùm detectis adulteriis mutuo iure connubia dirimunt. Sed quoniam de Preteiannis stemmate, cultu, analeq; eius consuetudine, copijs, bellico apparatu, & rebus gestis, atque item de ortu Nili, Lunæq; paludibus, & de variis ferarum generibus, aliqua succinctè dicturi sumus, operæpretium fore putaui, à quibus hæc acceperim, ingenuè profiteri, ne fabulosa ab imperitis existimentur, quæ iam consensu multorum, nota compertaq; sunt: quanquam totam fidem esse velim penes eos qui hæc longa nobis & curiosa indagatione quærẽtibus tradidere. Ex his fuere Petrus Aluares Lusitanus qui in legatione Roderici Limæ ab Araquinquo Arabici maris portu, quò appulerat Indica Lusitanorum classis, terrestri ærumnosoq; itinere ad Preteiannem penetrauit, alteraq; legatione susceptæ, ab ipso Preteianne ad Clementem pontificem, qui tum erat Bononiæ cum aureæ crucis muneribus peruenit. Is itinerum suorum atque

atq; actionum omnium diurnos commentarios, quum Romæ decessisset, scriptos reliquit. Secundum eum Petrus Abyssinus præclaro constantiaq; ingenio vir, diu in Preteiannis aula versatus summa comitate fideq; Abyssinarum rerũ memorabilia nobis aperuit, vtpote qui plurium idiomatũ peritus, Romæ desumpto cucullati sacerdotis habitu, linguam nostram scitè didicerit: & quosdam è nostris curiosos Abyssinam linguam doceat. Cuius linguæ Chaldaicis elementis scriptæ, sacros libros Romæ impressos videmus, quos, Abyssini religionis causa ab Hierosolymis Romam venientes, pro insigni miraculo in patriam deferre solent. Romæ siquidem Orientales peregrini Christianæ professionis, Abyssiniq; præsertim, post maximi templi testudinẽ, proprium cum domo delubrũ habent, vbi suo more sacra conficiunt, aluntur q; pontificis sumptu, & pia benignitate aulæ sacerdotũ. Hic magnus Abyssinorum & Aethiopum rex, qui à nostris corruptè dictus est Pretegian, à suis Belulgian appellatur: quod est vetus cognomentũ vsurpatum à superioribus regibus. Id nomen incomparabilis præstantiæ, immensiq; pretij gemmam significat: proprio verò nomine, qui hodie regnat, vocatur Dauid, peculiareque habet cognomentum Atanadidinghel, quæ vox thus virginis exprimit. Regnauit

ante hunc Naus pater, nullæ propter auaritiam populorum grátia. Excepit autem regnum filius admodum puer, tutrice Helena matre, qua prudentia pietateq́; spectabilis, eum probatissimis imbuens moribus, tot regna moderatissimè rexit. Filij ex ætatis prærogatiua in regno patribus succedunt. Quòd si mascula proles desit, Vnus è propinquis virtute præstantior, defuncti sedem implet. Præalto siquidem stemmate ab antiquissimis regibus genus repetunt: regijq́; sanguinis incorruptæ nobilitas historiarum testimonio recensetur. Nam apud eos rerum gestarum memoria, perpetuaq́; regiæ stirpis successiones, fidelis literarum custodiæ publico instituto demandantur, tantæ curæ & religione, vt præfecti notariorum, quum oportet, annorum supra mille nusquam interfuisse memoriam ex archiuis proferant. Rex ipse cum negotiorum occupatione liberatur, reliquas horas euoluendis historijs sacrisq́; item literis fermè totas impendit. Nam apud eos sunt veteris & noui instrumenti codices, cum Diui Pauli Epistolis, in Abyssinam ex Chaldaica translati linguam. Exinde modicè corpus exercet, atq; in balineo curat, & demum eodem more quo nostri reges cibum capit solus aureo in monopodio, quod nulla mappa contegitur. Ministrant ei nobiles pueri, epulásque per ligneos grad

gradus excelsa mensæ inferunt: & eas quidem in paruis calathis concisas. Vinum ex aurea patera potat, & ex calice crystallino cerasiæ lympidæ genus, quod ex austeris pomis & saccaro conficitur. Suauissimi saporis boues, pisces q́; vti apud nos, venatio q́; item multæ omnis generis totius regiæ mensas exornant. Prandenti, custodiam agunt circumfusi tabernaculo trecenti fermè iuuenes ex omnibus delecti regnis: qui loco satellitum & obsidum habentur. Arma eis sunt, ensis, pugio, & hastile præpilatum, ceruices & humeros ferina pellis contegit. Quatuor porrò insignes reges, qui edicto euocati, per vices aulam frequentant, cum splendido procerum & minorum præfectorum comitatu, epulas è coquina vestibulo, ad regis tabernaculum honoris causa deducunt, tradunt q́; prodeuntibus pueris. Rex prandio contentus, quando nisi festis diebus haud cœnet remota mensa, aliquot reginas, quæ ad colendam ipsius Dauidis vxorē euocatæ, eadem cōditione qua reges ad aulam veniunt, ab eunuchis introduci iubet. Hæ iocum dioris oblectamenti causa, coram rege psallere, & saltare consueuerunt. Is quatuor vxores finitimorum regum filias connubio sibi iungit. Sed cum vna ritè & sanctius desponsata cubat: quæ si sterilis euadat, vna è cæteris regiū thorum subit. Velata facie obtenso scilicet te-

nui sudario rex in publicum prodire, & paruam crucem argenteam dextra manu gestare solet, equitanti q3 septem laureæ totidem Victoriarum præferuntur, prælongis hastis fercam Bellam excedentibus, hæc ei trophæa sunt de deuictis hostibus. Vir enim bellicosus arma continenter exercens, ingentes alit copias, quibus aduersus rebelles hostesq3 imperij sui maiestatem tuetur. Difficili ante alios & periculoso bello Troglodytas Senenatis tentes sagittis perdomuit: regem Casantem prælio fusum Viuum cepit: eiq3 tanquam sauitia & perfidia insami caput præcidit. Is regnaoat ad eam regionem, quæ vergit ad Australe Oceani litus nomine Mozambicum, quod contra spectat ingentem diui Laurentij insulam. Hæc ora Aethiopici litoris insalubris pestiens est propter æstuaria, quæ reciprocatis Oceani alluuiones, & crebris decurrentium amnium ostijs dulcis aquæ undas marinis admixtas recipiunt. Ab eo quoque Bethsaga regina quæ regnum Bonæspei promontorio proximum possidet, præfectus bello acer & contumax, acie victus interfectusq3 est, quod inuita regina oblitus beneficiarij iuris, tributa pendere nollet, & crebris incursionibus fidelium fines euastaret. Eadem armorum & Manicongri regem, quem postea Christi religionem induisse constat, & Tormedam Nigritarum princip

principem assiduo bello ita attriuit, vt auctiora tributa atque obsides victori dare cogerentur: geminatam verò victoriam varia contentione multoq3 sanguine quæsitã à Selano rege retulit. Is Mahometanus Mauris imperat, iam pridem ex Arabia Felice per Rubri maris angustias in Aethiopiæ proximã continentem ad condendas colonias transgressis. Ea gens Persarum more optimè instructa armis & equis, ita in dies coalescit, viribusq3 & numero hominũ augetur, vt Barnegasio & Tigrinio regibus qui regna inter Arabicũ sinũ & Nilum amnẽ obtinent, & Dauidi parent, magno terrori sit. Tributa quæ Dauidi regi pendũtur, varij sunt generis, pro facultate atque opibus subditorum regum. Alij nanque informe aurum, atque alia metalla, quorum omniũ ferax est Abyssinorum terra: alij maioris pecoris greges: alij telas sericas aut laneas, quibus ea gentes ab umbilico ad suras contegũtur: alij præterea diuersa segetis, & fossitij salis copiam in castrensem commeatum, alij peregrinas merces, aromata, præcipueq3 piper, & mancipia præbent. Agrestiores porrò asperis nemoribus adiacentes, certum numerum viuorum leonum, & tigridum, aliarumque ferarum ad regiam perducunt, quæ animi causa viuarijs & septis includuntur. Remotioribus sola huiusmodi ferarum tergora imperat,

perat, quibus Abyssini ad elegantiam & militarem cultum vestiuntur. Regis exercitus quum ad bellum educitur, incredibilem equitum & peditum multitudinem ostendit. Pedites magna ex parte iaculatores, sagittarij, funditoresq; sunt. Robur autem est in equite, qui loricæ oblongæ protegente coxas, aperta galea, & rotundo scuto, acinaceque adunco, & ancipiti lancea armatus in aciem prodit. Qui galeis carent, capita muniunt rubris villosissq; pileis, quibus modo Mamaluchi equites apud Memphiticos reges vtebantur. Elephantos etiam turritos & militariter ornatos in aciem producere consueuit. Eadem autē disciplina accipiendi imperij, mundæq; pugnæ obseruatur, quæ apud nos in vsu est. Tympanis reis, & tubarum cantu Martem accendunt. Vera & spectata inter eos virtus, certum decus & præmia parit, eo quidem nobilius, quòd strenuè pugnantes quò minus arcta manu conserant, nullo tormentorum periculo deterrentur. Abyssini monetam non cudunt, ne à prauis ingenijs adulteretur: importata tamen vtuntur, sed tantum aurea cum Arabicarum literarum nota. Hos nummos, Pardales, & Seraphios appellant, qui nec ponderi, nec probitate auri Venetum nummum æquāt. Certis auri argentique frustulis ad varium pondus examinatis, militi stipendia persolue-

re, & res venales in foro coemere mos est. Toto autem Abyssino regno, patriarcha sacris præest, summumque imperium habet in sacerdotes, qui sunt innumerabiles, distincti per templa atque cœnobia. In horum mores seuerā exercet censuram, & cōtumaces vel deprauatos à recta disciplina, anathemate persequitur: eoq; religionis telis adigit, vt deserti ab omnibus, ac ejecti passim dolore atque inedia miserè contabescant & pereant. Patriarcha cum suo senatu sedem habet in vrbe Barrara, quæ arduo & nemoroso in colle sita est, tecta perpetuis vmbraculis ad amœnissimas ambulationes. Nam frondosarum arborū ramis ea serie inflectuntur, & fornicatim connectuntur, vt in feruentissima regione, meridianisq; solibus, æstum non sentiant: & quod opacitates gratiā implet, saluberrimis etiam fontibus passim diductis irrigentur. Quibus vmbratilis otij voluptatibus, vita duritiem sæculari lege impositam facilè sustinent. Patriarchæ magni sunt ex decimis redditus, quibus etiam regiorum vectigalium quota pars accedit, liberali regum pietate sacris addicta. Hæ opes in egenos et xenodochia erogat, alit q; graui sumptu infinita propè monasteria cucullatorum, è quibus multos quotannis impenso viatico Hierosolymas mittit, ad inuisendam sacrosanctam vrbem, colēdumq; Chri-

sti

sti Sepulchrum: Ut ritè explorata & comperta de rebus Christianis in patriam referantur. Reliquæ quæ supersunt patriarchæ diuitiæ, quum is moritur, ad regium fiscum redeunt, solennibusq; demum habitis comitijs, probatissimus omnium superante suffragio creatur. Is in cælibatu viuit, quando sacerdotibus vxorem ducere nec tamen iterare nuptias fas sit. De ortu verò Nili, longa percunctatione reperiebamus, in regno Gogiano, quod à Sceuano ad Antarcticum extenditur, esse immensam altissimorum montium congeriem, Caucaso, & Atlante, hisq; nostris Europæ alpibus multò celsiorem. Iugæ eius perpetuis obsessæ nimbis gelúque rigentia, nubibus sese inserere, & cælum fulcire videntur. Harum immanium rupium media atque infima, densissimis syluis procerrimarum arborũ vestiri constat. Quæ loca inaccessa homini, lustra cubilia q; sunt ferarum & belluarum omnis generis. Nam iubatis leonibus, pantheris, tigribus, vrsis, & apris scatent: campis autem, qui radicibus subsunt, elephantorum greges inerrant. Asserunt quoque Gogiani regni incolæ his in vallibus dracones gigni alatos, qui anserinis pedibus gradatim humi serpãt, repeririq; camelopardalim, quam gyraffam nostri appellant, Florentiæ quandoque visam magni Sulphani munere qui eã Laurentio Medici dono misit

miserat. Idem affirmant de monocerote, quod animal vnicorne à nostris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu, armatã frontẽ præfert, quod leuore, cãdore q; eburneo, & pallidis distinctum spiris, ad obtundenda hebetãda q; venena, mirificam potestatem habere dicitur. Cornu enim immisso & per lymphas circumducto fontes expiare perhibent, vt salubriter bibat, si inde viroſæ bestiæ præpotarint. Id viuo animali non detrahi, quum vllis insidijs intercipi nequeat. Cornu tamen sponte decisum in desertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui ex senectæ vitijs, renouante Natura, vetus cornu exuunt, venantibus relinquunt. Hoc cornu regijs impositum mensis, toxica, si qua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore, conuiuis prodere narrant. Ex his duos vidimus bicubitales brachiali ferè crassitudine, primum Venetijs: quod posteà Senatus Solymano Turcarum imperatori dono misit: alterum pari properè magnitudine, sed præcisa cuspide argentea basi insertum: quod Clemens pontifex Massiliam profectus, pro insigni munere ad Franciscum regem detulit. Cæterũ de vi tantæ dotis in hac animante nihil plus affirmauerim, quàm quod euulgata fama credentibus suadet: quũ antiquorum authorũ nemo, quod legerim, præter vnũ Heliæ

Helianum Græcum quicquam de hac monocerotis admiranda potestate memoriæ prodiderit. Ab his asperrimis immensisq; rupibus, quæ à chorographis Lunæ montes vocãtur, frequenti & copiosa scaturigine, Nili fontes erũpunt in loco vehementer abstruso, quẽ Beth (hoc est desertum) Abyssina lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi, per Gogiani regni spatia modò dissipati, modò coeuntes, in longè maximam toto orbe aquæ dulpaludem effunduntur. Huic Saphe nomen est, spatiosissq; litoribus tria attingit regna: eaq; affatim opima piscatione fœcundat & replet, Gogianum scilicet, & Beghemedrum, quod est ab ortu Solis, & ab occasu Dambaitũ. In hac palude amplius viginti insulæ numerantur, incolis frequentes, & multis cultæ ædificijs, in quibus turrita templa, & luculenta seratorum hominum cœnobia eminent: multis enim religionis, & tranquilli otij causa, ab humanarum rerũ commercio, & vestigijs profana multitudinis in eas insulas se subducunt. Vna præ cæteris maior atque munitior à rege pro carcere seruatur, in quã noxios et rebelles relegare consueuit. Ex hac tanta palude, Nilus primò lenis, mox rapidus & præceps sese effundit: varijsq; meandris & gyris Nigritarum fines lãbens, Gogianum regnũ, & mox Amazanum insolenti cursu proscindit: nec vsquam ripis

ripis cohibetur, donec ad cataractas, quæ sunt antiquis Catadupa, arctis rupium angustijs strangulatus, ac iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptusq; alueo, lenior fit atq; diffusior: & per magnos flexus, & adoscq; sinus, nauigiorum impatiens, ad Meroem insulam defertur. Hæc Britannia maior est: tresq; in ea reges distincti finibus dominantur, sæpe inter se bellum gerentes. Eorũ, potentia maximus, Mahometanus est, & Maurorũ stirpis: secundus Aethiopici sanguinis genus idolorũ cultu, moribus, & colore fatetur: vltimus Abyssinorum gentis est, Christianæ religionis cultor, qui Dauidi paret. Cæterũ de Nili incrementis ad subtilium studiorum ostentationem disserere, & proferre causas audere, planè ambitiosum esse putauerim, quando hæc illustrium Græcorum pariter & nostrorum ingenia, inani & arbitror labore, iam pridem exercuerint. Quis enim vel natura, vel cæli & terrarum opificis arcana iure quodam curiosis mortalibus abscondita rimatus est? Quis ingentes illas in ipsis terrarum visceribus cauernas, vel maximè vasti ingenij luminibus introspexit? qua cuncta maria per tantum aui spatiũ, tot in cursu fluminũ nusquã crescentia, perpetuo hauriunt, & exsorbent? Quis denig; subterraneorum anfractuum mensuras, certa ratione deprehendit: quibus repletis vniuersa exuberantia

rantis aquæ moles in apertum cælum per gibbosa montium euomatur, & ea quidem optima naturæ fide, quantum acceperit, irrequietæ dispensatione rependentis. Imbecillitatis profectò nostræ non meminimus, quum hæc superba ingeniorum vanitate perscrutamur: Unde iam hoc totum rerum scientiæ nomen tot vigilijs, & sumptibus partum profiteri dissudeat, postquàm adeò pauca scire, & de singulis ambigere disputando confitemur. Verum Abyssini hoc unum pro constanti certis coniecturis persuasum habent, Nilum ex eliquatis niuibus quotannis augeri, & pro ratione frigoris & caloris, prout Natura induxit ac imperauit, in varias exundationes excrescere: cui non inepta ratione credant, sub circulo Capricorni, maximis caloribus eam plagam vrgeri & exuri, cui subiecta sit tot montium niuoserum rupes, quæ ex orienti Nilo caput præbet. Pari siquidem ratione, non secus atque apud nos in solstitio æstiuo, Solibus cuncta exurentibus, sic vt mora & spatio multorum dierum incrementa amnis in Aegypto fieri contingat, quæ ex arcano suo, aut lata aut tristia, Natura sæpe nouerca, sæpe mater, Aegypti terris importarit. In Meroe, quæ incolarum lingua Naulebabe, id est, optimorum portuum parens vocatur præstò sunt magnorum lintriumque classes, quæ peregrinos & aduenas à terrestri itinere discedentes, Memphim & Alexandriam secundo amne deuehunt. A Meroe quindecim ferè dierum nauigatione, descendentibus occurrit vrbs Syene, obeliscorum lapidicinis clara & poetarum carminibus celebrata, qui in ea Solares radios ad perpendiculum incidentes, in neutram partem vmbras flectere tradunt. Hæc est initium Aegyptij regni, vocaturque hodie Guaghera. A Syene demum Nilus tutissimè nauigatur, & vtranque ripam Aegyptij & Arabes incolunt, qui præternauigantibus varij commeatus copias præbent. Nilus ipse ab his gentibus, Abbahus, id est, amnium pater appellatur. Nam post longum & tortuosum cursum, in multa cornua totum aquarum molem diffundit, quæ Memphim et Alexandriam perducunt: & Canopico ac Peluſiaco ostijs contimentur. Quum hæc edere pararemus veris nuncijs allatum est, regem Dauidem Fato concessisse, quum extra matris tutelam vigintiseptem regnasset annos. Vixisset autem octo supra quadraginta. Fuit ingenio maximè prompto, atque habili ad omne belli & pacis obeundum munus, itemque literis vsque ad astronomiæ notitiam optimè instructo: Corporis autem habitu mediocri, rotundo ore mali cotonei sub cinere tosti colorem exprimente: Suauibus item oculis, & capillo non planè more Aethiopum intorto, vt ex vera imagine quæ apud nos

est, intueri licet. Quatuor mares & quinque fœminas ex una tantùm uxore suscepit, quorum natu maximum aduersa in pugna infeliciter amisit: quum intempestiue renouato bello, cum Selano rege acerbissimo hoste congressus, superiores victorias corrupisset. Hoc ictus uulnere, grauissimum concepit dolorem, atque inde febrem, qua diu sustineri non potuit. Filius itaque secundus excepit regnum nomine Claudius: qui reparatis copijs, cum Selano prosperè confligens, & fratris cædem, & patris iniuriam non toto uertente anno uindicauit. Sed iam unde discessimus reuertamur. Eo itaque modo Selymus uti narratum est, terra marique omnibus hostium prouincijs in potestatem redactis, circiter calendas Iulias secundo amne Alexandriam nauigauit, sedente ad clauum prætoria biremis Curtoglo Halicarnasseo prædone clarissimo, ut Byzantiam classem, qua per eos dies appulerat, mitteret. Qua lustrata, urbisque mœnibus, atque ipsa Phari arce diligenter inspectis, Memphim reuersus est. Interea Mamaluchi, qui Alexandriæ custodiebantur, iubente Selymo ad unum omnes in foribus carceris contrucidati sunt. Familia quoque Aegyptiorum, qua opibus, aut generis claritudine præstabant, numero supra quingentas, Byzantium migrare iussa: magnaque multitudo fœminarum ac puerorum ex pro-

ex progenie Mamaluchorum, eodem conducitijs nauibus transiecta. In classem autem præter thesauros ac regiam gazam, publica ac priuata opulentissimæ urbis ornamenta congessit, tanta rapiendi libidine atq; auaritia, ut marmora eximij operis cælatura, aut coloris uarietate commendata, summa uictoris inuidia parietibus reuellerentur. Nec multò post per summam uoluptatem incrementum aninis, qui proximos campos stagnantibus aquis inundauerat, ita insæuit, ut à senioribus incolarum totius exundantis amnis mensuras rationesque curiosè perquireret. Pronuntiant enim diuersi auctus, qui certis mensuræ notis deprehenduntur, modò latissimam segetem, modò diram famem, modò certam tantùm aduersus inopiam securitatem, quum imperiosus ac impotens amnis, benigna aut sæua libidine exundans, nunc quosdam camporum tractus adeò copiosè irriget, ut intra serendi spatium serò decedat, alios segniter parceque leui tantùm ore aspergat, ad non dubiam sterilitatem uix puluere subacto, ea prorsus alternantis amnis lege ut Aegyptij tum diuites futuros existiment, cum Nilus temperatus & lenis nequaquam ad summi, aut minimi incrementi notam accesserit. His rebus studiosè compertis, tum sibi in Syriam propter rumores, qui de Hismaelis aduentu, in Mesopotamiam afferebantur

tur, redeundum esse arbitraretur præsidio Turcarum Memphi imposito, Cayerbeium toti Aegypto præfecit. Quæ res Iunusbassam eius honoris spe, et iusta cupiditate accensum, vehementissimè perturbauit. Is enim mortuo Sinambassà, cum virtute & rebus gestis, tum recenti etiam vitæ periculo elatus, cum neminem sibi exæquari dignitate pateretur, se vnum esse reliquum, ad quem summa imperij redire deberet, Selymi et militum iudicio ex omnibus illius amicis ac ducibus existimabat. Nec decerat militaris fauor, nam vt statim ex vulnere conualuit, quum in magnificentissima Diadarij domo, quam in ipsa victoria vsurpauerat potius quàm Selymi munere acceperat, cum iuuia, quibus milites maximè capiuntur, regio propè sumptu primoribus iuxta atque gregarijs quotidie pararet, ac sæpe nobues equos, decorà seruitia, vestes, vasa, arma, vltro omnibus elargiretur, tantam gratiam beneuolentiamq; collegit, vt quum de more in arcem ad imperatorem eundum foret, longè amplissimo atque ornatissimo comitatu deduceretur: & vulgò ei omnes Aegypti præfecturam destinarent. Quæ omnia Selymi animum offendebant: nam vti erat facilè suspicax, & metuens, magnis etiam virtutibus, quæ nimiam claritatem certamq; potentiam adferrent, inuidebat. Cayerbeio autem summæ rei præposito, Iunus

Iunusbassa pudore ac dolore victus vt qui superbo animo contumeliam ferre non poterat, simulans ægritudinem corporis, quæ animi æstuantis erat, per aliquot dies publico abstinuit: & quum magis ac magis, & sua iniuria, & proditoris honore cruciaretur, etiam moderari linguam non poterat. Accidit autem, vt Cayerbeius, quum officij causa ad visendum eum accessisset, et meridiano tempore ad leuandam sitim, consuetudine Aegyptiorum, saccarum frigida dilutum militari fame liaritate degustasset, paulò post acerbissimis alui doloribus ita cõflictaretur, vt veneno eum à Iunusbassa petitum fuisse complures interpretarentur, ac seruatum certioris antidoti præsidio dictitarent. Qui rumor, an falsus, incertum: altius tamen quàm quisquam putaret, in Selymi animum penetrauit: et iam paulo ante audierat non nullas Aegyptiorum familias, ex his, quæ Byzantium commigrare iubebantur, à Iunusbassa (ipse enim ei negotio præerat) vt tutò Memphi in patria permanerent, ingenti pecunia se redemisse. Cuius auaritiæ non obscura ab æmulis ac delatoribus indicia prodebantur, quòd reguales illos sumptus, quos priuatis stipendijs tolerare non posset, nouis vectigalis redditibus egregiè sustineret. Hæc quum ad comminuendam gratiam pertinerent, aliud quoque fraudis vel negligentiæ

crimen acceſſit, quod illi vitæ extum vrgentibus fatis maturauit. Nam Selymus ſicuti reges ſolent, qui egregiè diſſimulando, vt priora puniant, compreſſa in præſens iracundia, alicuius noui criminis occaſionem expectare conſueuerunt, dicta factáque eius obſeruans, cum inſenſo paratoq; animo perſequebatur. Paucis enim ante diebus, quàm certior fama de profectione imperatoris in Syriam euagaretur, milites, qui Memphim in præſidio relinquebantur, cauſati longinquam militiam maioraque pericula, & defunctos labores, augeri ſibi ſtipendia flagitarant. Idq; illis facile Selymus vt dinum habita ratione præſtiterat, mandauerat q; Iunusbaſſa, vt ea ſumma apud caſtrenſes tabulas antiquis rationibus adderetur. Sed ille inſania præceps, nihil earum rerum quas iuſſiſſet imperator quæſtoribus retulit. Vt milites, ſi vberiore promiſſoque ſtipendio fraudati eſſent, Cayerbeum tanquam iniuriæ auctorem odio habere, atque deſpicere inciperent: ob propterea Memphiticæ res militari abalienatione turbarentur. Vnde Selymus damnato priore conſilio, pro alienigena qui non occulto Aegyptiorum odio, vt in recenti fœdiſſimæ proditionis memoria deflagraret, cuius que imperium veterani moleſtè ferrent, hominem Turcam nutanti prouinciæ ſubmittere cogeretur. Sed ea omnia, quoniam prauæ conſilia duri eorum

rum exitus veſtigio conſequuntur, aliter atq; ipſe ægro animo deſtinarat, euenere. Nanque profecto imperatore, & iam Hieroſolymis appropinquante, Memphitici milites, quod accipiendi ſtipendij ſtatuta dies adueniſſet, nec ſibi quicquam præter veterem ſummam perſolueretur, rei indignitate commoti, apertius ac violentius quàm Iunusbaſſa putauiſſet, inſultare et cõminari quæſtoribus, ac ipſi Cayerbeio palàm maledicere cœperunt. Quibus vocibus ille perculſus, vt qui nondum in Turcarum conſuetudinem deuenerat, ſnà cum quæſtoribus, ſeſe purgare militibus, atque orare ſuppliciter, vt nihil de ſe temere crederent, remque ipſam ſedatis ab iracundia animis cognoſcere vellent: nec ſe vel acerbiſſimam pœnam deprecaturi ſi quid dolo ſuo factum aut fraude prætermiſſum inueniretur. Sed diſceptationis is exitus fuit quum Cayerbeius & quæſtores ſuſpitionem periculumq; ſitare, & milites ad vlciſcendam iniuriam fraudem deprehendere properarent, vt legati ad Selymum mitterentur, qui nondum Iudeæ finibus exceſſiſſet. Legati itinere celeriter confecto, exercitum ſupra Lariſſam Paleſtinorum conſecuti, imperatori, vt primum facultas data eſt, & militum querimonias, & Cayerbei ac quæſtorum in auertenda fraudis ſuſpitione ſolicitudinem ordine detulerunt. Quæ res Selymi animum alijs quoq;

offensionibus alienatum, adeò vehementer mouis iracundiæ stimulis exagitauit, vt Iunium sæpè protinus ad dicendam causam pertrahi iusserit. Ille, quanquam & culpæ conscientia & supremo timore pallesceret, quum in irati imperatoris vultu certissimas sæuitiæ notas intueretur, attamen præsenti animo respondit, se neq; dolo malo, vt pecuniam auerteret: neque vt inde alijs aliquam conflaret inuidiam, stipendia militum secus ac ipse iussisset, aucta fuisse. Sed id optima factum ratione, vt ærario prospiceretur, quum incredibilem pecuniarum vim præterita bella exhausissent, & iam noui bellorum motus è Perside audirentur, qui non necessarijs sumptibus parcendum suaderent. Contrà milites, qui & prædis ditissimi euasissent, & in fertilissima vrbe Mamaluchorum domos & fundos tenerent, ac Aegyptiorum facultatibus alerentur, & maiora atque vberiora, quam ab vllo vnquam Othomanorum imperatore, stipendia acciperent, eum esse, quod minus liberali consilio secum ageretur, si non omnem penitus modestiam exuissent, æquioribus animis tolerare potuisse, ac debere imperatores, qui milites bella pacè; perpetua liberalitate prosequerentur, ab his aliquando pro disciplina animi continentiam requirere: ne dum priuatim quæstui omnes studuerint, publice postmodum ad sustinendos mores

res sumptus, quum necessariò bella ex bellis ducantur, opes desint: Quando nemo vel virtute, vel fortuna maximus imperator, res præclaras vnquam bello gesserit, si eum omnibus abunde optimis artibus instructum pecuniæ propria bellorum instrumenta defecerint. Talia dicentem Selymus vindicabundus & ferox, loqui plura prohibuit, quoniam si reus longiore oratione merita anteacta militia recitasset, deprecatores ex intimis omnino sibi paraturus esse videretur: protinus q; eum in conspectu interfici iussit: addens insolentissimi eius seruj exemplo, cæteros, qui arroganter imperatori præscribere vellent, officij & conditionis memores in posterum futuros. Ferunt milites, cum magna Selymi inuidia, miserabilem insignis viri interitum magnopere doluisse. Nam ille præter eximiam, & toties cum summa gloria spectatam omnibus bellis virtutem, tantum Græci ingenij artibus oris habitu, militariq; facundia, & ipso vitæ splendore apud omnes & gratia & existimationis adeptus fuerat, vt nemo in exercitu esset, qui se non ei aliqua ex parte deditum atque obstrictum esse fateretur: ac imperatoris sæuitiem non damnaret. Meminerant enim ab eo præpropera crudelitate necatum Mustapham, cognomento Calogerum, tantæ quondam authoritatis & potentiæ: & simile quoque rabie Cheni-

demum

demum ea dignitate, vitæq; innocentia omnium ducum, qui ex regni Mahometis seminario profluxissent, longè peritissimum; indicta causa concidisse. Neque excidérant animis Bostanges eius gener, & Ducaginoglis, hic insigni curiæ magistratu clarissimus, ille classis ac hortorum præfectura, & Sexoris vinculo atque opibus superbus, qui biennio ante abscissis cervicibus, in curiæ vestibulo expositi, & miseriæ suæ, & regiæ crudelitatis spectaculum præbuerant. Obuersabantur quoque omnium oculis, veluti nouo scelere pristinæ immanitatis renouatæ memoria, Bayazetes pater sanctissimus senex, duoq; fratres suo iure, suoq; ætatis & stirpis ordine ad imperium vocati Achomates atque Corchutus: totq; item regiæ indolis adolescentes, superiorum fratrum filij; qui inhumani ferij, hominis execrabili sententia perijssent, vt non immeritò eum omnes simul meterent, & acerbissimo odio persequerentur: Quando Selymus nullo Deorum metu, nulla humani dedecoris cura, nec pr[illegible]uas, nec detestabiles vllas esse artes, modo vires imperio adstruerent, arbitraretur, et timeri à pluribus, quam amari certius, atque validius esse, in animum iam pridem impietate atque sceleribus efferatum induxisset. Hisdem fermè diebus Himbracorbassa, quem ad Persarum fines cum parte exercitus missum fuisse docuimus, vt si Sophus Hysma

Hysmael, in ea rerum opportunitate, in Asiam vel Comagenem sibi irrumpendum arbitraretur, & illic quæq; iusta vires ad tuendos aditus inueniret, per literas significauit, Persicos apparatus, qui tantum belli rumorem initio hyemis excitassent, media æstate penitus refrixisse. Prædatoria tantùm manus, quæ speciem præsentis exercitus facerent, atque ex occasione nonnunquam excurrerent, abse consp[illegible]ctas esse: cui quibus ipse sapius in excursionibus prosperè conflixisset. Cæterùm eno consensu à captiuis, exploratoribusque referri, Hysmaelem Hyrcano ac Scythico simul bello implicitū, cunctas regni vires aduersus eas gentes contulisse. Propterea eum, quòd iam propinqua hyeme solita niues Tauri iugis immineret, Asiam aut Syriam eo anno minimè esse respecturum. Fuère qui dicerent, Tartaros Scythas, qui Tanaim inter & Volgam amnes latissimos campos tenent, Selymi consilio atque pecunia sedibus suis excitos, vt ad distinendum Hysmaelem, Iberis & Albanis, qui in eius ditione essent, bellum inferrent, adiuuante præsertim Mahometo socero, Bosphorano rege, qui facilè eiusdem linguæ Tartarorum duces fœdere atque amicitia sibi iunctos, ostentatis præmijs ad bellum in[illegible]endum impulerit. Nos autem, quum à Persis, Armenisque hominibus talia quærerentur, quòd Sophus Hysmael pulcherrima

rimæ, atque à Dijs propè ipsis oblatæ occasioni defuisset, quæ Selymum in Aegypto bellum gerentem, Asiæ ac Syriæ penitus exueret, intercluſum cum omnibus copijs, præſertimq; tanta vi reſiſtente Tomumbeio, facilè delere potuerit. Eam fuiſſe cauſam reperiebamus, quòd non eadem Hyſmaeli domi ac foris ſint vires. Exercitum nanque eius ex euocatis atque nobilibus magna ex parte conſtare, qui gratuito militare conſueuerint. Hos, vt ſunt totius Orientis fortiſſimi equites, ſingulari ſtudio regnum egregiè tueri, & cum finitimis populis acerrimè bella gerere. At ſi paulò longinquior expeditio ſit ſumenda, eam militiam detrectare, quum relinquere vxores, quibus maximè ſunt addicti, durum arbitrentur: nec more ſuo multa impedimẽta trahere, & plures ducere equos gens luxurioſiſſima atq; ornatiſſima ſine ſtipẽdijs poſſit. Quæ rerũ difficultate ad educẽdos exercitus, ipſum quoq; Vſumcaſſanẽ maternũ Hyſmaelis auũculum laborare cẽſtat. Id autẽ eo agrius ab Hyſmaele parari poſſe videbatur, quòd propenſiſſima prouinciarũ voluntate auitum imperiũ recepiſſet ſublatis ſtatim onerosis vectigalibus, ſtudia hominum, quæ liberalitate atq; iuſtitia facilè comparantur, longe firmiſſima regni opes eſſe ſemper iudicauit. Quando ipſis tantum gentium fortunis imperare, animis omnium

omnium ſemel acerbitate tributorum alienatis, non optimi, ſed impotentis, ac temporarij regis eſſe videretur. Contra Selymus qui vi, ſcelere, execrandisq; artibus paternã ſedem inuaſerat, in ſeruilibus & mercenarijs copijs quas & longè ab domo abducere, & per omnes prouincias raptare pro libidine poſſet, ad proferẽdos imperij terminos, & ad res immortalis famæ gerendas ſumma atq; certiſſima præſidia eſſe ſtatuebat: vt qui in vna pecunia, atq; imperij ſeueritate, veram atq; expeditam potentiam putaret, quæ omnium Othomannorum victorias obſcurare felici rerum ſucceſſu didiciſſet. Ea, quæ ſecuta eſt, hyeme, Selymus circumeundo maritimas & mediterraneas ciuitates, exercitũ in Syria aluit appetente autem Vere, quum Romæ flagrantiſſimo ſtudio Leonis pontificis de bello inferendo turi conſilia aduerſum ſe, ſupplicationes magna celebritate fieri, & ad excitandos Chriſtianorũ reges ſummæ dignitatis legatos in omnes prouincias deſtinare certius cognouiſſet, relicto in Syria Gazelle, qui cum imperio præeſſet, Byzantiũ magnis itineribus contendit, vt ex propinquo conſilia motus q; hoſtiũ ſpectaret: haud ignarus interea Aegypti Syriæq; prouincias nullam rerũ mutationẽ eſſe ſubituras, quoniam Cayerbeium atq; Gazellem, qui immortales inter ſe inimicitias ex

veter

veteribus studijs, & ex recenti etiam proditione conceptas exercerent, non consensuros in unum: sed amulatione ad promerendam gratiam in regendis prouincijs, diligentia, fide, ac temperantia inter se certaturos esse intelligebat. Eadē æstate, qua ad Singam amnem in Syria pugnatū est (fuit is annus à partu Virginis millesimus quingētesimus sextusdecimus) Galli & Veneti repressis apud Mediolanū Maximiliani Cæsaris conatibus atq; eius copijs in urbem Veronam compulsis, vniuersas vires ad oppugnandā Brixiam contulerūt. Præerat Gallis, Borbonio in Galliā profecto, Odettus cognomento Lotrechius, qui ad non dubiam iusti maturiq; ducis famam contendebat: quum vim feruidæ alacritatis, vti ab vltima Aquitania semihispanus, mora & ratione sedato impetu temperaret: nec in corapacis ingenij sordes, aut dissolutæ ac indignæ voluptates notarentur: superiorum eius gentis ducū planè dissimilis & suscepto oneri, omnino par, nisi superbo ingenio nemini familiaris, alienioq; consilij insolens contemptor, grauitatis atq; prudentiæ suæ nomē corrumperet. In Veneto autem exercitu, quum senatus neminem adhuc in tanta ducū inopia, Liuiano suffecisset, Theodorus Triuultius iam pridem Gallico stipendio addictus, imperatorias partes exercebat, vir neq; vehemēs, neq; pugnandi auidus: sed qui propter longā militiam quòd pluribus quam quisquam suæ tempestatis ducum, Italiæ prælijs interfuisset, consilio optimus habebatur. Erat Brixiæ Hicardes recenti defensæ urbis gloria insignis, cum Hispanorum & Germanorum adeò exigua manu, vt milites duarum cohortium numerum vix implerent. Cæsare nanque infectis rebus in Germaniam redeunte, quum res aduersæ multorum spes atque animos comminuissent, milites vulgò domum aut Veronam concesserant. Multi quoq; qui diripiendæ Cæsarianæ pecuniæ authores fuisse dicebantur, iudicium veriti, ad hostes perfugerant, nulla commeatus, nulla stipendij certa spes, exhaustis priore obsidione Brixianis relinquebatur, & matura tum in agris segetes erant quibus hostis longè ac latè circumemisso equitatu potiebatur. Quodq; in ea rerū asperitate grauissimum ducebant, tormentarij pulueris tanta erat inopia, vt totus tormentorum apparatus, vix decies impleri posse videretur. Quæ omnia sicuti corporis vitia, tametsi planè celari non poterant, vir tamen Hispanus et prouidus sic ea cunctis artibus contegebat, vt intra urbē difficultates earum rerū minores, & maiora militum præsidia hostibus viderentur. Itaq; Gallus et Venetus promotis castris, ac exploratis omnibus rebus, inter se conuenēre,

pugn

nere, ut diuiso peditatu, atque ea curæ minoribus ducibus demandata, ab quinque simul diuersis urbis partibus murũ quaterent: patefactoq; aditu ad irrumpendum hostes ut necesse foret in plures diductos partes, & multiplicis periculi timore occupatos, adorirẽtur. Id autem facilè fieri poterat, quum & militum multitudine foris abundarent, & tanta esset tormentorũ copia binis in castris, ut paucorum dierũ spatio urbs amplissima mœnium corona nudari posse videretur. Igitur quũ per aliquot dies continuè oppugnando, ingentem murorum ruinã destinatis in locis edidissent, atq; hostes, qui necessario die noctuq; comportare aggerem, interiores munitiones erigere, & quod in perpetuo labore durissimum erat, omnes simul propter paucitatem excubare cogebantur, multu prælijs lacessissent, ad extremum, ut iusto prælio aggrederentur, cohortes delectas paulò ante optimè instructas, murũ subire iusserunt. Pugnatum est uno simul tempore quinque locis per plures horas, magna utrinq; contentione: nam recentes atq; integræ cohortes fessis & conuulneratis, sic per uices in pugna succedebãt, ut propugnatoribus etiam superiorum dierum labore defatigatis, nihil spatij ad recipiendas uires relinqueretur. Verùm Hispani atq; Germani tot bellorũ usu periti, sicuti æquitate locorum atque uirtute

tute superiores erant, ita subeuntiũ impetum multis illatis uulneribus egregiè sustinebant. Sed magno eis subsidio erant, equites fermè centũ, qui per pomerij spatium irrequieto cursu mœnia introrsum circuibant, notabantq; qua in parte maximè laboraretur: ac statim in forum ubi trecenti ueterani in statione ad subitos casus collocati erant, decurrebãt, totq; ueteranos, quot periculi magnitudo deposcebat, ne pedestri cursu exanimati peruenirent, suis in equis consessores accipiebant & ad locum iniqui certaminis reuertebãtur. Ipsi nonnunquã, quum repentinũ urgentis prælij discrimen præsentanea subsidia flagitaret, ex equis desiliebant, & in pugnã locum progrediebantur. Sed ab ea parte quam Nauarrus oppugnandam acceperat, longè periculosissimum certamen fuit: nam Cantabri & Vascones intrepidè murum subiere: actumq; est utrinq; audacter non missilibus tantùm, sed lanceis & gladijs, quũ scutis super capita impositis, ueluti testudine facta succederetur: transcendissentq; in urbem nisi testaceæ malæ sulphure & resina repletæ, et globi manuali artificio confecti, lethiferum atq; terribilem uomentes ignem, quæ propugnatores superne iaculabantur, subeuntes cohortes deiecissent. Quo malo perterriti Nauarrini, urgentibus mox in ea perturbatione aduersarijs, per ruinas

nas præcipites acti, aliquot suorum amissis & pluribus igne ambustis ac consauciatis se receperunt. At Hicardus quinque prælijs vna die atq; vno tempore sustentatis, quum multos vulneratos, & cæteros omnes labore atque vigilijs cõfectos esse animaduerteret, nec vlla sibi Cæsariani auxilij teneretur, de deditione cum hostibus sibi agendum esse iudicauit. Magna enim eum viram, quàm parua sibi præsidia forent, animo reputanti, amittendi decoris cura angebat, ne si pertinacius hosti et quotidianis prælijs resistere vellet, attritis ad extremũ viribus deditionem, quum omnino necessariam fore prouidebat, iniquiore conditione facere cogeretur. Itaque aduocatis centurionibus, & ciuium primarijs, protulit tabulas publicas, quibus ab initio regrediente Cæsare, eius præfectos fuerat contestatus, si vrbem, si quid durius accidisset, extemplo esse deditorum: quando neque commeatus, neque militum cæterarumq; rerum debita præsidia, quibus sua fidei cõmissam vrbem tueri posset, sibi relinquerentur. Non esse neque sibi neque præsidiarijs succensendũ, si in summa rerũ necessitate, & vitæ & rebus suis prospiciant, ac optimè de se meritæ vrbis saluti consulere velint. Conditiones quas longè æquissimas hostis proponeret, non esse temerè contemnẽdas, quũ ad eas mox afflictis ad extremũ rebus sit recurren-

currendũ. Satis enim pro gloria, quid Hispani, quid Germani virtute possint, quid ve hostes audeant, Brixiæ pluribus periculis ostensum esse: & satis superq; pro ipso Cæsare dimicatum, qui repentina profectione, rebus & consilijs omnibus subitò euersis, suos omnes deseruerit atq; proiecerit. Proinde rei conficiendæ sibi curam relinquerent: daturum enim se operam, vt non accepisse conditiones, sed dedisse salutis præsidij & ciuium existimatione videatur. Itaq; quum & Grittus, qui tum legatus aderat, nullas non æquas esse conditiones duceret, modo vrbe potiretur, per idoneos vtrinque homines actum, vt Hicardus vrbem atq; arcẽ Lotrechio dederet sicut eam Cardonius, & Prosper Colũna ab Obignino quatuor ante annis accepissent. Præsidium verò armatum more militari cum tubis ac tympanis explicatis q; vexillis exiret, ac libere, quo vellet, proficisceretur. Centurionibus tamẽ certis q; cohortium præfectis interdictum est, ne Veronã intra quadragesimũ diem se conferrent, quando milites si absq; ducibus foret, dilapsuri viderentur: qui tamen omnes fermè Veronam alij alijs itineribus profecti sunt. Expresse quoque in tabulis cautum est ciuibus Brixianis, & præsertim his qui partim Cæsaris fuissent, vt nulla domibus vel præsidijs eorum iniuria inferretur, etiam si apud Gallorum & Vene-

torum hostes agere vellent vel se Brixiæ minimè tutos esse existimarent. Sed quum præsidium eductis impedimentis porta egrederetur, & per medios hostium ordines alacriter pertransiret, Galli conspecta hostium paucitate (vix enim septingenti armati milites erant) pudore confundi, & fremere cœperūt, quòd tantulæ copiæ falsa maioris multitudinis specie obiecta duorum exercituum impetum elusissent, vixq; sibi temperare poterant, quin mimis & contumelijs abeuntes vlularēt. Lotrechius prior vrbem ingressus, vt capta possessionis formula seruare videretur, paulò post eam Gritto restituit, actaq; nomine senatus Lotrechio ingētes gratiæ et munera data, quòd nauiter copijs suis Rempublicā tuitus esset: atq; vrbem tanto sanguine toties frustrà repetitam integra fide reddidisset. Nec multò post ad conficiendum bellum copia in Veronensem agrum ducta: nanque exulibus Cæsarianis q; reliquijs vnus erat Verona tutissimus receptus propter magnā loci opportunitatem, quòd vrbs Tridentinis iugis atque Germania proxima, celeriter nouis auxilijs, si vrgente hoste res paulò asperiores euaderent, confirmari posse videretur. Collegerat M. Antonius Columna, cui summa bellicarum rerum cura ab Cæsare demandata fuerat, ex omni genere hominum validissimam veteranorum manum.

manum. In his erant Hispanorum Tricenaria cohortes sex, quibus ante alios Maldonatus & Morellio præerant, viri ætatis honore & fortibus factis insignes: Germanorū verò quatuor millia, omnes fermè in Italia militare assueti. Ii Georgio Franisperchio nobili è Vindelicia parebant: præterea Castellato ac Rhodulpho alæ strenuis præfectis, & Marco item Sithio, qui postea M. Antonij testimonio summam inter Germanos virtutis militaris atque prudentiæ laudem adeptus est. Aderant & quingenti fermè Heluetij, qui militiæ auidi, suis domum abeuntibus, Veronæ remanserant, adhortante Arnoldo Vnderualdio eorum duce fortissimo, qui apud Sforziam prætorij præfectus fuerat. Præter verò suam cataphractorum alam veteranam, aliquot Italici, Hispanici, ac Germanici generis leuis armaturæ equitū turmas habebat, quarum inter alios excellenti virtute ductores eminebant, Gurlottus Rhauennas, Valastichinus Cantaber, & Succanus Belga. Sed in primis militari gloria florebat egregia Græcorum equitum manus. Ii omnibus Italiæ bellis exercitati, clypeos tanquā inutiles deposuerant, quibus antea ipsi inermes oblongis atq; inflexis vtebantur: & pro his thoraces & galeas ita ferre didicerant, vt congredi cū cataphractis auderent. Erant eorū duces duo Boc-

cali, Constantinus, & Emanuel illustri Veterū Achaiæ principum familia orti: & secundum eos Andreas cognomento Bua corporis atque animi promptitudine insignis. His fretus copijs M. Antonius, dum Galli & Veneti Brixiam oppugnarent, atque ipse laborantibus socijs auxilia submittere vllatione nequisset, Vicentiam nocturna profectione contenderat: expulsoq; præsidio atque vrbe occupata, ingentem prædam omnium rerum, multosq; captiuos, & aliquot currulia tormenta auexerat. Quódque magno ei postea vsui fuit, frumenta quæ in areis adhuc erant, conquisitis vndiq; plaustris ac sarcinarijs iumentis, Veronam asportauerat. Neque post id factum, vllus hostium locus fuit, qui ab Antonianorum iniuria tutus esse putaretur: quum circumiecta castella aut deserta essent, aut in summo metu versarentur, atque omnes milites qui in præsidijs erant, eius viri vim atque celeritatem pertimerent: vti superiore etiam hyeme pluribus periculis, & multis acceptis incommodis timere didicissent. Veneti aliquot ante diebus, quam iustus Gallorum exercitus adpropinquaret, vt qui capiendæ vrbis peculiari curæ plurimum angebantur, non longe à Verona consiterunt, vt hostes pabulatione ac frumentatione prohiberent, ac simul vniuersam regionem, quam subitis incursionibus aduersarior-

riorum equitatus infestabat, oppositis maioribus copijs tuerentur. Itaque crebro equestria prælia fiebant, & hinc atque inde ex occasione & per insidias, vt quisque suū hostem opprimeret, virtute ac dolis singulari studio certabatur. Per eos dies agricola Veronensis M. Antonij præmijs, & pollicitationibus inductus, magnum facinus sed tum sibi postea exitiabile, quàm hostibus inexpectatum ausus est. Is enim, quum res venales & hortensia in primis sapius humeris deferret, atque ob id Venetis in castris impunè versaretur, simulatione spectandi, ad tormentorum locum, vbi & omnis eorum erat apparatus minimè id curantibus custodibus, processit funiculumq; igne succensum, vt antea edoctus fuerat, idonea in parte reliquit. Nec mora, vt primam statim paleæ & proxima cadis stramenta flammam corripuere, tantus repēte incenso puluere ignis obortus est, vt quicquid sulphurei pulueris ad oppugnandam vrbem magna impensa, & multo labore paratum conuectumq; fuerat, id totum vno temporis puncto conflagrarit: tantáque flammarum violentia atque rapiditas fuit, vt omnia concursantis & restinguere conantis exercitus remedia, tanta mali velocitate præuerteret. Id solùm in graui atq; insperata iactura solatio fuit: incēdiarius dū se reciperet, in ipso statim incendij fauillis imitia

deprehensus. Qui postea ad eruendam veritatem tormentis excruciatus, & viuus eodem igne concrematus, dignas scelere atque audacia pœnas persoluit. Eo accepto incommodo Veneti, quòd omni pulueris copia incendio absumpta tormentorum apparatus inutilis euadebat, quódque & tutius, & commodius quæ amissa erant si se reciperent, reparaturos esse iudicabant, reductis castris in remotiora ab vrbe loca discesserunt: tantúmque paucis diebus diligentiam adhibuerunt, vt longè maiorem vim pulueris quàm antea habuissent. Patauio atq; Venetijs in castra pluribus omnifariam imperatis vecturis comportarint. Nec multò post Gallorum exercitus qui eius gentis consuetudine cùm in aliena causa tardè & cunctanter, tum alieno in agro tardissimè, vt sese atque equos largius atq; liberius alereti ter faciebat, circiter calendas Sextiles appropinquauit, & Veneti pari consilio ab ea parte, qua est vltra Athesim, castra promouere: ita tamen, vt neuter exercitus intra maioris tormenti ictum tendere vel consistere auderet. Incredibilem enim tormentorum in vrbe esse multitudinem transfugarũ & speculatorum sermonibus compertum habebant: ignari tamen, quanta intus hostes pulueris penuria premerentur. Itaque duobus magnis exercitibus circumiectum omnem agrum longè lateq; tenentib

nentibus, arctius obsideri cœpta, ea ratione, vt non prius ad oppugnandum accederent, quàm inclusos fame ac aliarum rerum inopia debilitatos, ad summas defendendæ vrbis difficultates perduxissent. Iam enim cohibitis excursionibus, & facultate frumentandi ac pabulandi magna ex parte sublata, tantum custodiarum diligentia, atque itinerum obseruatione, vltra citraq; Athesim effecerant, vt Cæsariani, nisi cum iusta ac valida peditum & equitum manu, longius frumentari vel excurrere dubitarent. Quod ne sapius fieret, multitudo & propinquitas aduersariorum & præsentis belli ratio, ne extremis propè rebus aliquod detrimentum acciperetur, prohibebant. Interea M. Antonius, qui hostes propius accessuros, ac mox vrbẽ oppugnaturos esse certiore coniectura iudicabat, munitiones, quas antea instituerat, irrequieto ciuium ac militum labore perficere, ipse in primis vti erat propter architecturæ disciplinarúmque noticiam, summus horum operum artifex vt alios doceret, exemplóque accenderet, agendo atque instrumenta fabrilia contrectando, nullum vel humilis etiam operæ laborem aspernari, omnibus in locis aggeres adificare, sed maximè ad Mantuanam portam quæ Calcearia dicitur, frequens & multus in opere esse, ac plurimum in eius loci munitione versari. Erat tur

ris mediori altitudine ipsi portæ impositæ, atque ea foris ita aptè oblongo & quadrangulo cincta propugnaculo, vt pertis etiam per se satis tuta videretur. Sed vitium M. Antonius animaduerterat, qui nullam sibi tuendæ portæ facultatem relinqui si propugnaculi murus acri hostium oppugnatione sterneretur, solerti iudicio prouidebat. Quamobrem, tametsi ab omnibus propè militibus irridebatur, quòd munitissima in parte tantum operæ ac laboris impenderet, tamen quin munitionem perficeret non destitit, quæ vna omnium postea & cunctis salutem, & ipsi in primis singularem laudem peperit. Siquidem portam ante omnia multo aggere repleuit, relicta in medio ad ingentis tormenti vsum feneſtella, quæ tenuis gleba in speciem ab exteriore parte similiter obstruebatur. Item ab vtroque latere apud binas munitiones totidem feneſtellas effecit, quibus maiores colubrinæ interius collocatæ ex obliquo, vbi incursus hostium flagitaret, occultè emitterentur. Nouam quoque & subterraneam portam, patefacto ab imis mœnibus ampliore aditu, in fossam perduxit, vnde expediti atque intenti milites aduersus subeuntem hostium multitudinem ex improuiso prosilirent. Atque hæc ne hostibus proderentur, adeo occultè administrabat, quum nocturno maximè tempore, & familiaribus ant fidiſſ

fidiſſimis vteretur, vt milites magna ex parte, ac ciues quæ parata essent, ignorarēt. Multò nanque ex Hiſpanis, nulla verecundia, quòd neque sine ſtipendijs pro Cæſare militare, neque vltimam inediam, quum iam anguſtior annona videretur, experiri se velle dictitarent, ad Venetos simulata in agrum excurſione transibant. Quanquam plures patrij decoris memores, ne vniuerſæ genti ea ignominia conflaretur, dolore concepto, factum perditorū hominum improbarent, atque eis quum vindictæ vel iudicio locus foret, extrema ſupplicia comminarentur. In his fuere Suares Roſcius, Plaſella, Chriſtophorus Magius, Iamperres, & Ioannes cognomine Latro, & nonnulli alij leones verius quàm milites, quæſtui aſſueti, qui paulo ante ſigniferorum, & centurionum loca, melioribus fato extinctis, audacia potius & commilitonum fauore, quàm propria virtute meruerant. Hos & ipſe Maldonatus paulo poſt, nullo ante actæ militiæ pudore, ſubſecutus eſt: vir militari laude dignus, niſi auaritia atque ſuperbia inductus, iam ſenex ante partam longo labore dignitatem, eo ſcelere, & poſtea fœdiſſimo ac horribili vitæ exitu, maculaſſet. Per eos etiam dies Bernardinus Caldareus Veronenſis equitum præfectus, quum in diuidenda præda, ſeditione inter milites ſuborta, eius equites Emanuelem ala Grecorum

rum ducem interfecissent, & pluribus de causis suspectæ fidei à Cæsarianis esse diceretur, ad Venetos transfugerat. Nulla interim dies erat, quæ non equestri prælio subiectis in campis certaretur: fuitq; aliquando admiratione dignum, quòd pauci Græci equites totidem cataphractos Gallos captiuos adducerent. Nam singulari velocitate grauiter armatorum impetum ludificabantur, ac rursus præteruolantes & subiti ex transuerso ictus ingeminabant, clauaque præsertim ferrea hostis cassidem, & eius equi caput feriebant, tanta arte, vt fessos atque attonitos facilè postea ad deditionem, quæ traditione gladij fiebat, compellerent. Quòd si confertis turmis Galli ingruerēt, liberiore campi spatio fuga sibi consulebant. Si verò Græci in angustias vel arctiora loca retrudebantur, vbi stataria pugna dimicādum foret, nec solitis in fugam gyris eludere congredientem hostem facilè possent, circumuenti atque oppressi, audaciæ pœnas luebant. Nonnunquam etiam per lusum extra ordinem, interposita fide, ab binis vel ternis vtrinque certabatur, vt tum accidit quum inductis inducijs, vt tutò omnes spectaculo interessent, quatuor nobilissimi ijdem atque omnium longè fortissimi Galli equites, inter quos Ambra pedistum præfectus excellenti virtute iuuenis erat, totidem ex hostibus prouocarunt. Præferebatur certamini titulus: si qui in vrbe equestri gloria illustres essent, qui pro adamata muliere decurrere atque hastam ferro præpilatam infringere vellent, hos contra in stadio parem ad numerum staturos Gallos, & suæ atque alienæ virtutis sine fraude periculum esse facturos. Prodiere Gurlottus Rauennas, Summontius Neapolitanus, & duo Hispani Vascus Cunnius atque Guinnea, concursumq; est infestis hastis magno ardore, summis vtrinque viribus, adeò vt pari virtute, pariq; periculo contendisse omnes iudicarent. Summa tamen laus haud obscurè Cæsarianis cessit: nā quum Summontius & Vascus superiores euasissent, & Guinnea ephippio fuisset excussus, Gurlottusque & Ambra mutuo ictu penetratis vsque ad interulam tunicam solidissimis thoracibus, cùm vi, tum constantia, pares extitissent, nulli dubium erat, si res ad gladios deducta fuisset, duobus iam Gallis pessimè affectis, qui tum afflicti superstratis & morientibus equis iacebant, victoriam ad Cæsarianos esse redituram. Sed statim dirempta est pugna, ne tantæ virtutis homines, qui non hostili rabie sed ingenuo quodam corporis atque animi vigore concurrerant, postquàm primum & maximum vitæ periculum euitassent, non gloriæ sed fati casibus se obiectare viderentur. Interea Lotrechius & Theodo-

rus,

rus, quum certius cognouissent obsessos, desperatis semel stipendijs, & cibarijs magna ex parte consumptis, ob crebra suorum transfugia metu consternatos, ciues verò vsque ad miserandam egestatem & rerum tadium, omnibus domi & foris conflictatos incommodis, diutius quin se dederent, extremas miserias non esse toleraturos, mœnia aggredi statuerunt: atque ita perductis fossis, perfectisq; solitis munitionibus, vt tuto mœnibus succedi posset, prolatóque omni tormentorum apparatu, vrbem ab duobus lateribus oppugnare cœperunt. Gallus eam partem quæ à Mantua porta perpetuo tractu ad Citadellam patet (Sic enim appellant retractiorem vrbis angulum, & vetere munitione firmissimum) sibi oppugnandam accepit. Venetus autem ad Vicentinam, quæ Episcopalis nuncupatur consedit. Et quoniam inter bina castra praterfluebat Atheſis, qui eo in loco vado transiri non poterat, vt vterque exercitus mutuis auxilijs subitò traducendis alteri præsidio foret, amnem latissimo ponte iunxerunt: & ad tutelam eius cohortes stationarias ad extrema pontis capita cum tormentis imposuerunt. Itaque vrbs diuersis duobus in locis vndecim ferme continuos dies oppugnata, tantaque vi, ac tanta vtrinque perseuerantia, vt Veneti eam mœnium partem, quæ ad Vicentinam

tinam pertinet, supra centum & quinquaginta passuum in longitudine patentem, perpetua murorum strage edita, deiecerint. Galli verò per interualla quinque in locis ingentes quinque aditus patefecerint, superstantibus intermedijs totidem intacti muri portionibus in pinnarum similitudinem. Quæ ruinarum & stratorum passim mœnium vastitas passuum fermè ducentorum spatium amplectebatur. Idq; ea ratione fiebat, vt hostes, qui interiora cadentium murorum fossa & perpetuis aggeribus munire cogebantur, multò maxima (vt in extenso ac longiore opere) continui laboris necessitate imposita conficerentur: ac simul, vt tormenta quod recta fronte fieri non poterat, ex obliquo per diruti & patentis muri interuallum, in latera hostium intus prostatione agentium, atque opus molientium, non fortuitis, sed destinatis ictibus emitterentur. Erat tanta pilarum vis, vt non solum muri, sed quum supra mœnia ferebantur, etiã ædificiorum tecta corruerent: multiq; passim in vrbe, plures in munitionibus vel incidentibus pilis, vel defractorum lapidum fragmentis eliderentur. Nulla nanque gentes, nulli duces memoria nostra vel maioribus opibus, vel ampliore tormentorum apparatu vrbem oppidúmve oppugnarant: Nulla ipsi qui oppugnabant, Italia in parte, tormentis, aut machinis

maior

maiorem murorum vastitatem factam fuisse meminerant: adeò vt supra viginti millia ferrearũ pilarum, vna ea oppugnatione, & paucis quidem diebus iaculati fuerint. Periere è Cæsarianis tormentorũ ictibus discerpti, Iouannes Montefeltranus clarioris nominis eques, Pellanda architectus insignis, & Fontana Insuber, in conflandis dirigendisq; tormentis peritissimus. Sed in tanta periculi asperitate, ea erat & ducis virtus, & militum diligentia, & ciuium fides, quum omnes certatim singulari studio in opere versarentur, neque sibi die noctuq; parcerent, vt quantum muri ab acerrimis indefessisq; hostibus sterneretur, tantum ipsi pari temporis spatio adauctis & prolatis aggeribus commodissimè resarcirent. Intra enim cadentium mœnium ruinas, M. Antonius fossam perduxerat, atque interiore labro munitiones erexerat. Vbi verò pomerij depressum solum foret, nec abrasis ab hoste mœnibus æquaretur, murices passim, & tabulata è quibus frequentes clauorum cuspides prominebant, opportunis in locis occultè posuerat. Præterea testarum & globorum ingentem parauerat multitudinem quibus missilis & pinguior flamma noto artificio continebatur. Tormentaque, quorum magnum habebat numerum, idonea in parte, vbi periculum ostenderetur, ordine collocarat. Curabant Germani duce

duce Franisperchio, adiunctis sibi Heluetijs, ea in parte quæ à Venetis oppugnabatur: atque hæc eadem agendo imitandóque diligentissimè administrabant. Porrò Antonius tabernaculo iuxta mœnia in ipsis munitionibus erecto, vbi certamen & plurimum periculi futurum esse putabatur, cum reliquis copijs aduersus Gallos constiterat. Iam peruentum erat ad summas rerum difficultates: iam cuncta obsessos, præter vnam spem, atque vnam animi virtutem constantiamq; defecerant. Frumenti parua, casei autem, & carnis salitæ, vel pecoris nulla copia in vrbe reperiebatur: et quod in primis corpora atq; animos Germanorum infregerat, tanta vini penuria erat vt quicquid in ipsa spe propinquæ vindemiæ superesset, id totum sacrificio atque ægris militibus seruaretur. Dux ipse, quum primores exercitus quotidianis cœnis adhiberet, & quadraginta diebus nihil præter aquam bibisset, tanta constantia omnes abstinentiæ & frugalitati insuefecit, vt facilè atque alacriter cæterarum etiam rerum inopiam tolerarent. Lentem enim, & fabam: panicea aq; pultataria in quotidiano vsu: equinas verò atque asellorum carnes magno in honore habebant: et tum præsertim opiparè apud ducem epulabantur, quum aliqui Gallorum equi vt erant præpingues, ac suis strigosioribus & fame propè ene-

 ctus

ctis minimè comparandi, in excursionibus occidebantur. Nam conspectis statim equorum cadaueribus, portis frequentes euolabant, concisosq; in fracta humeris in Vrbem cum plausu referebant. His rerum angustijs quum premeretur Antonius, neque pluribus literis ac nuncijs ad Cæsarem transmissis, quicquam certi de eius auxilijs audiret, atque in dies copias tot affectas incommodis magis ac magis deficere, atque extenuari, nihilque iam semiægris corporibus prater fortem fidelemq; animum superesse conspiceret: antequàm omnis exercitus desperatione atque extrema inedia conficeretur, audendum sibi aliquid de eruptione existimauit. Itaque re ad consilium delata, docuit quàm luctuosus atque ignominiosus, ipsiq; in primis nobilissimæ ac fidelissimæ ciuitati miserabilis rerum exitus futurus esset, si in suprema ingentis belli necessitate, Cæsaris auxilia sibi expectanda iudicarent. Fortibus viris fortia consilia, quæ necessitas omni ratione validior offerre videretur, in tempore esse præsumenda, conandumque ac impigrè agendum, dum vires ad rem bene gerendam superessent. Nec in vna laboris atque inediæ patientia sed in virtute, atque audacia, & spem melioris Fortunæ, & summam totius belli victoriam positam esse arbitrarentur. Placere sibi eruptione facta pontem occupare atque interscindere

scindere, ac simul omnibus copijs Venetos adoriri, quando facto facillimum foret, vt qui nihilominus, quàm eruptionem ab obsesso hoste fieri posse putarent, subitum atque improuisum pugnacissimi ac toties victoris exercitus impetum, minimè sustinerent. Quibus pulsis, Gallos nec consistendi animum, nec sese recipiendi sine tormentorum iactura, spatium habituros. Quantum autem ad se pertineret, vt maiorem spem prosperi euentus concipierent animis, ad exaquandum periculum pedibus in prima fronte pugnaturum: & Dijs bene iuuantibus, si forti cõsilio strenui milites nõ deessent, finem egregia cũ laude ærumnis omnibus impositurũ. Præfecti, et centuriones qui aderant, nulla interposita dubitatione, fermè omnes Antonio assenserunt. Nam tametsi consilium primo aspectu periculosum atq; asperum ducebãt, tamen tanta erat omnium virtus tantaq; pugnãdi cupiditas, vt quo audacius consiliũ erat, eo & certius & speciosius esse videretur. Curauêre cuncti corpora, atq; arma expediuêre, vt sequẽti die ancipitis consilij aleæ taceretur. Sed quum rebus omnibus ordine cõstitutis instructi & parati essent ad erumpendũ, et iam prima signa ad portã ferrẽtur, repentinus ab Calcearia porta tumultus exortus, interpellãtibus Gallis, ab incepto M. Antoniũ reuocauit. Nanque Lotrechius, si portæ propugnaculum

celeri atque acerrima oppugnatione sternere-
tur, prius quàm obijci nouæ munitiones pos-
sent, facilè se in Vrbem peruasurum ratus, con-
uectis in eum locum omnibus probè maioribus
tormentis, propugnaculi muro portam nudá-
uerat: patefactoq; aditu Lescutum fratrem (is
tum peditatus curam gerebat) expeditas co-
hortes adducere, et per ruinas immittere insu-
serat. Subière ad portam impigrè Galli, & fre-
quentes totum propugnaculi spatium comple-
uêre, vt inde in Vrbem transgrederentur, quú
Antonius, qui priorè excussus consilio, celeriter
in eam partem decurrerat, locum delectorum
militum præsidio firmauit: edixitque, gnarus
eorum quæ occultè parauerat, ne iniussu illum
in subeuntes tormentum emitteretur. Cæte-
rum alijs atque alijs intrepidè subeuntibus, vt
confertissima hostium multitudine interiorem
propugnaculi aream plenam esse animaduer-
tit, subitò tormentorum illud maximum quod
ante ibi conditum fuisse docuimus, sua manu
collibratum atque inflammatum, in oppositos
emisit. Idem fecêre magistri, qui tormentis in
dextram ac lauam collocatis præerant: tantá-
que hominum strages puncto temporis edita
est, vt pauci ex ea multitudine, quæ propius ac-
cesserat euaserint. Nam non pilis tantum tor-
mentis quibus constipata acies certa ac mise-
rabili clade lacerabatur. Sed etiam taxillis fer-

reis, variýsq; metallorum frustulis usque ad
summa oræ compleuerant, quæ flammarum
& pilæ impetu expulsa, grandinis modo sic in
omnes partes lethali violentia dispergebantur
vt thoraces earum rerum ictus minimè susti-
nerent. Incubuêre demum Hispani, & cum
his Itali cataphracti qui ea die pedibus rem
gerebant, & paucos atque ea procella disiec-
tos multis illatis vulneribus repulerunt. De-
siderati sunt paulò minus ducenti milites in
partibus Gallorum, vulnerati autem plures, è
quibus multi etiam, quòd eius generis vulne-
ra igne ac sulphure viciata difficillimè cura-
rentur, postea interierunt. Eo die Antonius,
tacito suorum omnium consensu, summam pru
dentiæ opinionem adeptus est: quam amici pa
riter atque æmuli, qui eum superioribus die-
bus Calcearium, veluti inani quadam haud
necessarij laboris perseuerantia, munientem
irriserant, eius operæ atque artificio in repen-
tino maximi discriminis casu, Vrbem haud
dubiè conseruatam esse faterentur. Nec multò
post literæ è Germania allatæ, quibus Cæsar
significabat magna peditum atque equitum
auxilia se cum ingente commeatus copia pro-
pediem ad soluendam obsidionem esse missu-
rum. Qui nuncius sicuti Galli primam eruptio
nis occasionem improuisa dimicatione sustu-
lerant, ita in posterum totum destinatæ eius

rei consilium interrupit. Quoniam M. Antonius, quanquam milites ostendendæ virtutis auidi, id ægerrimè ferrent, in tam propinqua spe auxiliorum, nihil temere sibi tentandum arbitrabatur. Caterùm Lotrechius, quum eo accepto incommodo, nihil neglectum apud hostes, nullámque mœnium partem quam ipse tormentis deiecisset, non omnis munitionis genere vallatam esse conspiceret, noua ratione ad fallendum hostem oppugnare constituit. Superstabat inter binas stratorum mœnium ruinas, eiusdem muri pars, septuaginta fermè cubitorum in longitudinem, qua ratione superius memorata ex interuallo relinquebatur. Eam partem ab imo subruere, atque excisis fundamentis, in vrbem vna impulsione propellere conabatur, vt quum integra ea moles perpetui muri procidisset, priusquam vlla ab hostibus munitiones ab interiore parte extruerentur, armatorum acies, patente quàm amplissimo aditu, in vrbem irrumperent. Igitur missi complures, qui imas mœnium radices dolabris vectibusq; succinderent: qui quum impunè sub muro versarentur, quod summa mœnia defensoribus nudata erant, breui opus eò perduxerunt, vt murus ab exteriore parte sensim excauatus, appositis trabibus, qua ruinam eius prohiberent, suspenderetur. Eae res serò deprehensa ab hostibus, Antonio atq; alijs magnam

magnã cum timore solicitudinẽ iniecit. Nam in tanta tẽporis exiguitate, nec fossam, nec aggerẽ perficere poterant, nec satis quod vsui patissimum foret, suspensis ac timentibus occurrebat. Antonius tamen, quod subitarium in eo periculo auxilium esse putabatur, conuecta è foro in eum locum multiplici materia, prælongis de validissimis tibicinibus nutantem murum contraria ratione fulciuit. Quorum tignorum tanta vis fuit: quoniam dimensu ad pinnarum altitudinem, atque ab imo diuaricata erant, ac hostilium trabium longitudinem superabant, vt in opus molientes, murum, qui iam totus ab imo cæsus pluribus rimis fatiscebat, in exteriorem partem momẽto prouoluerint. Complures è militibus, qui parati ad irrumpendum in proxima parte ruinam in diuersum expectabant, omnésque ad vnum qui ad subruenda fundamenta successerant, repentino muri casu oppressi, miserabiliter perierunt. Sed dum Antonius in erigendis tibicinibus, ardentius atque incautius in opere versaretur, maiore sclopetto ita ictus est, vt plumbea pila per brachium adacta, corpus etiam sublato humeri osse per alam in tergum quatuor effectis vulneribus emerserit. Dissimulauit in præsens grauissimi vulneris dolorem atq; periculum, vir ante alios fortis dum murus ille prorueret. Quo demum prolapso, &

tot hostibus eius ruina oppressis, veluti expiato vulneris dolore, in tabernaculum concessit: eáque mox fuit lethalis plagæ acerbitas, vt diu pertinaci febre conflictatus, summum vitæ periculum adijsse crederetur. Lotrechius, tametsi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorum hostis extitisset publicè oderat, atque vt erat potiundæ vrbis & militaris gloriæ auidus, plurimùm aduersarij ducis incommodo lætaretur, tamen quum singularis viri casum magnopere doluisset, & medicum obtulit, & quotidie ad eum gratissimarum rerum munera, sicuti morbus & afflictæ vrbis miseria flagitare videbantur, officiosè humanissimeq; transmisit. Erat enim M. Antonius maximarum virtutum gloria, quæ nullis in eo ingentibus vitijs obscurabatur, etiam apud hostes illustris. Idque ei præsertim omnium beneuolentiam cõciliaba, quòd præter proprium animi vigorem, etiam staturæ proceritate, firmitate membrorum & virili quodam decore vultus, armorumque omnis generis, atque in primis equitandi peritia cæteros eius tempestatis duces anteire diceretur. Quin & ipse paucis ante diebus, quum Lescutus, & Franciscus Borbonius sancti Pauli regulus, egregia virtute & singulari dignitate florentes, visendi eius studio adducti, vt porta egredi, et in conspectum deuenire vellet ad iungendas dextras

dextras, quod priuatæ beneuolentiæ testimonium foret, obnixè petijssent, interposita statim fide, ad amplexandos publicos hostes, summa securitate comitatéque prodierat. At Veneti, tametsi ad Vicentinam portam, non intercisis alternisque mœnium spatijs oppugnarant, vt Gallos fecisse docuimus, sed continenti murorum strage, & perpetuis ruinis nudauerant vrbem, tamen neque in duce ea vis animi, neque in exercitu tantum audaciæ fuit, vt mœnibus succedendum, & prælio aliquid sibi tentandum per ruinas esse iudicarent: mox & operum quæ intus erigebantur magnitudine deterriti, & sociorum infelici exemplo adducti ad effodiendos cuniculos se contulerant. Iám que solidam turrim, quæ ad campum Martium vergit, Ioannis Comenis industria (is tum cohortis præfectus erat eius artificij non ignarus) in aliquod ruinæ discrimen adduxerant, quum Cæsarianæ copiæ superatis Alpibus in Pulicellam vallem se demiserunt. Erant ad octo millia hominum, cum magna pecoris & casei copia, multisque farinæ dolijs, quæ ratibus secundo Athesi deuehebantur. Iis præerat Guliermus Rochandulphus, qui superiore hyeme Brixiam obsidione liberarat. Eius aduentus eo fermè tempore, obsidentibus, atque obsessis nunciatus est. Nam quantum iustis confectis itineribus procederetur, tantum

ipsi interdiu fumo passim per villas facto, nocte verò magnis excitatis ignibus, significabant: & ab agrestibus qui pretio literas deferre consueuerant, Venetorum Gallorumq; custodia sæpenumero fallebantur. Placuit Strigæ duci, & Gritto in primis, postquàm Germanorum aduentu, omni spe potiundæ vrbis manifestè deciderant, vniuersa vires in vna castra conferre: ne intercedente amne si cum duplici hoste ancipiti prælio contendendum foret, aliquod insigne detrimentum acciperent. Theodorus, quòd nouo hosti propinquior erat, reductis tormentis vasisq; collectis copias ponte traiecit & ad Gallorum castra se contulit. Quod cùm fieri ab Venetis hostes è muro conspicerent, subitò tormenta quæ in editioribus locis collocata erant, in extremum abeuntium agmen emiserùt, qua procella aliquot interfecti sunt: & in his Basilius Ripa Liuiani alumnus, qui ob singularem rei bellicæ peritiam, paucis ante diebus alæ equitum præfecturam adeptus fuerat. Erupere demum sub signis Germanorum cohortes, & non contemnendam vini & commeatus copiam tabernaculaq; aliquot & castrensis apparatus instrumenta nacti, cuncta in vrbem plaustris conuexere. Ab Antoniano quoq; equestri eruptione cum nouissimis Gallorum vno fermè tempore pugnatum est: casis aliquot, & plures capti. Sed ea omnium opinio fuit

fuit Gallorum copias tormentis ea die propè deleri potuisse, dum subducto oppugnãdi apparatu retro Mãtuana via in tutũ se reciperẽt, si vel mediocrẽ sulphurei pulueris quantitatẽ, cuius summa in vrbe penuria erat, habuisset. His enim pœna grauissima erat cõstituta, qui frustra, vel imussu ducũ paulò maius tormentũ emisissent: vt id totũ quod supererat extremis casibus seruaretur. Lotrechius non multò post Villafrancã, Theodorus verò inde ad secundũ miliare Bouilianũ castra reduxère, ita tamen vt Galli appetente hyeme vniuersi tectum subirẽt: Venetus verò exercitus sub tẽtorijs ac pellibus haberetur. Nec multò post Rochandulphus vrbẽ ingressus est, egitq; Verona paucos dies, ne, qui aduẽtu suo obsidionẽ sustulerat, introducta auxiliorũ multitudine, afflictis diuturna fame Veronensibus duriorem priore calamitatẽ importasse videretur. Itaq; permutatis aliquot cohortibus, vt præsidiũ laboris vicissitudine recrearet, in Germaniam discessit. Per eos quoq; dies Venetis in castris, media nocte tumultuatũ seditione ob scortũ, vt tũ credebatur, inter Italos pedites & perfugas Hispanos orta: resq; eò ab iurgijs & cõtumelijs paucorũ petulãtia processit, vt quum in nocturna trepidatione quisq; ad arma discurreret, iusta propè acie inter se cõfluxerint, admissumq; ea nocte fœdũ ac miserabile faci-

nus

nus foret, nisi Lotrechius, qui è proximis castris tumultū adcurrerat, iam supra centū interfectis et cōpluribus vulneratis, exardentē seditionē minis atq; authoritate compressisset. Profecto Rochadulpho, tametsi Cæsariani quòd, in præsens in vrbe fames esse desierat, graui obsidione leuati, ingruēte hyeme, nihil sibi esse timendū arbitrarētur, attamen hostibus remotiora ac superiora loca tenētibus, sic omnibus obsidionis malis pressi atque afflicti sunt: vt duriorem propè quàm antea annonæ inopiā senserint. Nanq; Veneti quū absistere incepto turpe ducerēt, atq; si pertinacius obsiderentur hostes, eos tātas diuturni belli atque inediæ acerbitates minimè esse toleraturos intelligerēt, diuisis copijs itinera aditusq; omnes, quibus ab Germaniæ inferri cōmeatus posset, occupauerūt. Mercurius cum maiore leuis armaturæ equitū parte summū in cāpis, qui locues ad Alpium radices pertinet, hybernabat: vir vel fato quodā, vel prudētia per triginta amplius annos, quibus in Italia militauit, omnibus excursionibus felix. Federicus autē Gonzaga cognomēto Bozolus, cum aliquot cohortibus supra Clusiā consederat. Sic enim locum appellabāt, vbi Athesis coeuntibus geminis rupibus coarctatus, minimā aluei latitudinē ostendit. Augustijs imminet vetus castellum cū turre, quod Germanorū præsidio tenebatur.

batur. Intercepēre apud eas fauces, nequicquā locum tuētibus Germanis, Veneti pedites aliquot nauigia cōmeatu onusta, quæ secūdo flumine dimittebantur. Reliquæ quoq; copiæ certis atq; opportunis in locis ita constiterant, vt quū in hyberna deductæ essent, nihil quātum cura ac diligētia præstari poterat, obsidionem intermitterent: ac penè acrius quàm æstate fecissent, bellū gerere viderētur. Sed tantis laboribus, ac Veneto tandē bello exoptatū finem impesuit memorabile fœdus, quod in finibus Lingonū & Sequanorum apud Nouiodunum ictum est inter Franciscū Gallorū regem & Carolū Belgarū principē, quem moriens auus Ferdinandus omnium regnorū hæredē testamēto reliquerat. Siquidē adolescēs Hispanorū ingenijs & potentissimorū regulorū voluntatibus diffisus, ne absente se, veluti per interregnū, rebellādi occasio præberetur, omnibus rebus postpositis, in Hispaniā sibi maturādū esse iudicarat. Quod neq; tutò neq; expeditè fieri poterat, nisi prius cum Frācisco certis legibus amicitia firmaretur. Timebatur nanq; rex iuuenis & acer, tantis subnixus opibus, qui dudū Heluetijs prælio deuictis, etiā Maximiliani Cæsaris conatus egregiè repressisset: & tum maximè repetiturū se armis Neapolitanum regnū, & Ioannis Nauarræ regis paulò ante in Gallia defuncti filiū adolescentem in

pater

paternum regnum reducturum minaretur. Itaq; cõscripta Nouioduni fœderis tabulæ per legatos in has conditiones, vt Carolus regnum Nauarræ Ioannis filio, qui inde expulsus esset, restitueret: si id iudicibus, quos cõstituere summa rei arbitros deberent ex æquo & iure videretur. Itẽ centũ millia aureorũ nummum, quotannis Gallo penderet, vt eo tributi nomine aliquod Gallis Neapolitano regno ius esse videretur: amicitiaq; & mutuum fœdus affinitatis vinculo confirmatæ. Nam Carolum sibi Fræiscus generũ adsciuit, sic vt ei puella, quæ in cunis adhuc erat despõderetur. Gallus quoq; ad cõponendum Italiæ statum, & ad res Mediolanẽsis imperij cõfirmandas, vt Verona Venetis redderetur, postulauit, ea lege, vt à Venetis redemptionis nomine ducenta millia aureorũ nummum, duabus pẽsionibus, Cæsari persoluerentur. Quibus conditionibus, sicuti Carolus adeũdæ Hispaniæ cura anxius, haud cunctanter subscripserat, ita Cæsar oblata sibi ingenti pecuniæ summa conditionẽ minimè detrectauit: vt qui nepotis cõsilia, atq; ipsam spem, ac rationẽ omnem obtinẽdi imperij importuna tergiuersatione corrumpere nolebat præsertim quum vrbẽ, quã nisi graui impensa, et summa cum difficultate tueri retinereq; non poterat, magno pretio venditaret. Vt tamen salua existimatione, quæ haud dubiè tã

tam fœda pactione polluebatur, Italiæ possessione decedere videretur, nõ Veneto sed Caroli legatis vrbẽ dedidit, qui eam mox Lotrechio, vt constitutũ fuerat, tradiderũt. Gallus quoque, triduo postquàm vrbẽ ingressus est, sicuti Brixiæ ex formula pactitatũ fuisse memorauimus, Gritto eam cũ arcibus magna omniũ alacritate restituit. Is fuit Veneti belli exitus quo tam octauum annum Italia deflagrabat: illudq; in primis memorabile videtur, quod Veneti ab initio oppugnati ab cunctis propè Europæ regibus, atq; omnibus prælijs victi, vniuersõ tamen bello victores euaserint. Quo fit vt eorũ respublica, quæ vno ciuium cõsensu & priuatis potius quàm publicis opibus stetit, fato quodã tot infensissimarũ gentiũ impetum sustinuisse videatur: Quando, si Romanæ potentiæ magnitudinẽ, & clades quas Annibal dirus hostis intulerit, cum Venetorũ fortuna, vera æstimatione pensauerimus, funestiorem propè eis Abduã fuisse, quàm Romanis Cannas, & Trebiæ & Trasimeni infelices pugnas, Brixiana ac Vicentina stragibus aquatas esse fatendũ sit. Sed ea vel præcipua patrum, ac ipsius fortissimi Senatus principis Lauretani laus fuit, perpetuis annaliũ monumẽtis celebrãda: quòd aduersissimis etiam obruti tẽpestatibus, ad exemplũ Romanæ constantiæ atq; virtutis, nunquam de republica desper

desperarint. Vnus tamen ante alios Grittus togatus imperator, meritam seruatæ patriæ Laurea feret: & tum maximè æternæ laudis gloria florebit, quum seculi præsentis viuida virtutis comes aliquando decesserit. Cæterùm M. Antonius qui iam ex vulneribus conualuerat, quonta certus rumor de his quæ Nouioduni inter se reges, non abnuēte Cæsare pepigissent, afferebatur, ne pudenda deditionis interesset, relicta Ioanni Baptistæ Spinello rerum cura, & remissis in agrū Romanū equitibus suis, ad Cæsarē in Germaniā contendit. Milites verò trium exercituū, quum perfecto bello magna ex parte dimitterētur, & insperatam pacē veluti egestatis initiū ægerrimè ferrent, paulò post Francisci Mariæ Roverei auspicijs, qui Vrbino exactus fuerat, grauissimum in Piceno atq; Vmbria pontifici maximo bellum intulerunt. Cuius belli famā quum ampliſsimi etiā nominis principes liuore atq; superbia inducti aliquandiu pessimis artibus aluissent, exitu rerū manifestè perspectum est, eam demū esse regum omniū fidem, vt pro libidine sanctissimas fœderū leges attrectare, violare q; non dubitent: quum semel præsenti tantum commodo, atq; ipsis temporibus seruiendum esse censuerint.

FINIS LIBRI XVIII.

BENEDICTI VARCHII AD PAVLVM IOVIVM EPIscopum Nucerinum, Historiarum Scriptorem,

EPISTOLA.

PAVLI Ioui, totum cuius iam clara per orbem,
Fama volat, celerique altum petit æthera penna,
Duratura diu, atq; omnes ventura sub annos:
Non quod Pæonias iam pridē, & Apollinis artes
Gallueris, multosq; hominum subduxeris orco:
Nec quòd priscorum nostratia nomina primus
Piscibus imponens, Latias claraueris oras:
Aut quòd magnorum effigies, atq; ora virorum
(Qua tuus æquoreis Benacus non minor vndis
Assurgit, fremituq; imitatur murmura Ponti)
Non sumptu exiguo, atq; ingenti pinxeris arte,
Cuiq; sua ornatis addens insignia verbis

Ellogia, illorum varios testantia honores,
Quæ præclara licet per se videantur, & alti
Ingenij factura fidem, tamen illamet ipsis
Historijs collata tuis (ceu sydera Sole)
Vanescunt, proprias amittunt singula vires,
Hic siquidem te te maior, teq; ipse relinquens
Post terga, extremum properas superare cacumen:
Vel potius summo consistens vertice montis
Iamdudum felix operum, latusq; laborum,
Despectas alios infra, tutusq; quiescis.
Quò nunquam nostro quisquam peruenit in æuo,
Forsitan, & nunquam posthac venientibus annis
Peruenïet quisquam tantæ ad fastigia laudis:
Quid nam opere in tanto primum tantiq; laboris,
At q; æui, multis pleno, magnisq; periclis,
Mirer ego? ingenium ne audax tam multa quòd
vnum
Tamq; loqui diuersa parauerit? an seriem, qua
Cuncta suis dispostа locis miro ordine narras?
An potius clari eloquij numerosq; sales q;?
Verborum, & proprias vario discrimine vires?
Queis Reges populosq; omnes veteris q;, nouisq;
Orbis (vbi Ammerice nostri de nomine ciuis
Alta iacet) prisca verus nouitate recenses.
An magis vt causas omneis, belliq; gerendi
Consilia, & rerum rationem reddere pergis?
Vnde hominum mores varios addiscere, & ampla
Ornamenta queat patriæ q; sibiq; parare,
Quicunq; illa semel docto perlegerit ore.

In quo castra loco metanda, & qualibus armis
Obfirmanda, quibus q;, & qualibus oppugnanda,
Sæpe doces, sæpe idem vrbes defendis, & idem
Expugnas, tu quæ fallacia fœdera, quæ sint
Tuta mones, populumq; leue, timidumq; senatum
Arguis, & nulli tutum confidere monstras,
Quæ si nostrorum Regum imprudentia, & illa,
Ista animis hominum regnandi dira cupido
Cecidisset, nunquam Italia (quod cauerat olim
Medicæus præstans animis, & viribus heros)
Externis iterum patuissent claustra Tyrannis.
Illius si consilium: si facta secuti
Essemus, cælo demissi ciuis ab alto,
Nunquam iterum peregrina manus, nunquam
aduena miles,
Quem sua non virtus, sed nostra ignauia, nostraq;
Fescitia, & procerum excisit discordia demens,
Geminas fauces, cælo tractus q; propinquos,
Mollis inaccessa superasset culmina: nunquam
Impius, & nostris allectus ruribus hostis,
Ah miseræ, & longùm dignæ, atq; indigna feretis
Italiæ in prædam vertisset, & oppida, & vrbes:
Italiæ fera gens populasset litora nunquam:
Italiam nunquam strauisset barbarus ensis.
Heu quoties post interitum, post funera magni
Laurentis, Italis nostro de sanguine sepres
Horarunt, Italo quoties de sanguine riui
Fluxerunt, quoties Italo maduere cruore
Æquora q; campiq; omnes, syluæq; lacusq;:

Nam quæ tã lõgè est tamq; ardua, & auia rupes?
Quæ tam sepositæ valles? quæ flumina ora?
Quod mare? qui scopulus? quo non furor efferus, atque
Prædandi illorum rabies peruaserit vltro?
Testes qui nostris spumarunt ossibus albi:
Sebetus, Lyris, Tarrus, Padus, Abdua, Rhenus.
An non Etruscos vmbrosa cacumina montes,
Et Florentinos excelsa palatia colles,
Nunc ferro excindi, sauis nunc ignibus vri
Vidimus, & crebris responsantem ictibus ipsi,
Ipsi (inquam) intrepidi reboantem audiuimus Arnum?
Quem non Hispanis audax Germania castris
Duxue Italo Gallus confisus milite fortis
Terruit, & vires totius pertulit orbis.
Quin etiã Latium, & rerum pulcherrima Roma,
Roma Deum auspicijs fundata, atq; æmula cælo,
Concidit istorum indignis euersa ruinis.
Sed si non aliam venturo numina COSMO
Inuenêre viam, liceat perüsse tot vrbes,
Totq; viros ferro mortaleis isse sub vmbras
Ante diem: liceat tot amara, atq; aspra tulisse.
Iam priuata placent, iam publica damna videtur
Commoda, tam tanti est Arnioq; Tybrisq; ruina.
Concurrant iterum, sed eodem sydere, & ijsdem
Auspicibus, qua se Cælo mons Murlius æquat,
Agmina nec virtute pari, nec viribus æquis,
Et causa (si Dijs bene creditur) inferiori,

Quo sua victoria renouetur laurea COSMO:
Et nos sub tali viuamus principe tuti.
Quandoquidem hic viridis primo sub flore iuuẽta,
Maternam referens pietatem animosq; paternos,
Sublimi accitus regno, claroq; locatus
In solio, Patrum auspicijs, populiq; fauore,
Correctus patria non detrectauit habenas,
Tempore tam dubio, tali in discrimine rerum,
Accipere, & semet tantis offerre periclis,
Communi propriam postponens ipse salutem,
Publicaq; anteferens priuatis commoda damnis,
Indole: dein quanta referam, quam pectore forti
Pressserit, & rerum iust.as laxarit habenas?
Vt q; afflicta diu bello, ac ciuilibus armis
Res q; viros q; locos q; leuauerit, vt sua cuiq;
Forma prior, priscum q; decus, nomenq; rediret?
Hic etiam ingenti pluuia, ventoq; grauati
Exoritur cum Sol, tolluntur ad æthera flores,
Et seges inclinata solo sese erigit alto.
Hic quoties sua signa, suos q; ad bella tribunos,
Inuictas equitum turmas, peditumq; cateruas,
Pro patria rebus, pro religione Deorum,
Cæsaris aut magnis non paruas viribus addens,
Emisit, toties victricia retulit arma,
Et referet posthac, iustis quia militat æther:
Huic quoq; non tantum Etrusca, Musaq; Latina,
Verùm etiam Argolica sese debere fatentur:
Quas miseras, totoq; expulsas orbe recepit,
Et fouet, amplexus Maiorum exempla suorum.

Quin etiam si non Vates præsagia fallunt,
Ni frustra augurium cælo demittitur alto:
Diuino si quid debemus, Vt omnia Bembo
Credere debemus si non sunt omnia falsa,
Tempus erit, cũ Dijs & te bone COSME *fauente,*
Discussus, quæ nunc offuscant nubila mentes,
Inuidiaq́ procul Scythicis algente sub oris,
Romanus Tusco fasces submittet Apollo.
Aut certè non maior erit, Tyberisq́ fluenta
Aequabit si non excedet nobilis Arnus.
Hunc sibi, quem frustra mille optauêre maritum
Insignes animis, forma & præstante puella,
Magnanimi herois formosa, & sancta Virago,
Perpetuo casti coniunxit fœdere lecti.
Innumeros heroas, & innumeras heroinas
Diuorum auspicio paritura, ducemq́ datura
Ausoniæ, & sacris Romanum qui regat orbem.
Hunc Vnum Cæsar primis expertus ab annis,
Terrarum dominus Cæsar Vindexq́ Deorum,
Ingenium, puerilq́ fidem, curasq́ Viriles,
Inuictumq́ animi robur miratus, & artes,
Extulit, imperioq́ bonus præfecit auito,
Vnũ hunc excelsæ Tybris, qui possidet arces
Etruscus pater, & terras qui numine torquet,
Suspicit, & miro Iuuenem complexus amore:
Ingentes ob Virtutes celebratq́ fouetq́.
Vt dubium nulli iam sit, quin magna Deorum
Cura sibi hunc alios inter delegerit omnes,
Qui miseræ Vel Ausoniæ tandem terraq́ maris

Et

Et Velit, & possit fessis succurrere rebus,
Ferreaq́ antiquum conuertere secula in aurum.
Sed quid ego à primo digressus carmine, tanquam
Enumerare alto labentia sydera olympo,
Aequor & angusta totum concludere in Vrna,
Sperarim, laudes magni, & præconia COSMI
Deterere imprudens, & candida lumina Solis
Stultior obscuris Velle illustrare tenebris,
Occepi? ad te te redeo, me me mihi reddo,
(Obstrepere Vt coruus cygno tibi desinat ater)
Paule Ioui, qui tunc multùm, longeq́ profectò
Vidisti (Vt reliquis in rebus) cum tua tantæ,
Tamq́ bonæ egregiè misisti munera, tanto,
Tamq́ bono egregioq́ Duci, quo iustius Vnquam,
Nec Vidit quicquam prudentius auricomus Sol.

Quòd Iouius is noster Tomumbeij Regis fortissimi prolixam faciat mentionem, idque ad finem primi tomi, haberemusque ad manus Aonij Palearij Verulani elegantissimum carmen, & locus vacaret, in gratiam lectorum non ab re adscribere placuit.

AONIVS PALEARIVS Verulanus.

Non fuit in toto Rex aquè oriente beatus,
Nec magis in toto Rex oriente miser,

Quàm, dolor Aegypti, olim Tomumbeius, auro
Ingenti, atque armis, & ditione potens:
Captus ab hoste fero, miserum simul, atq; beatum
Exemplo potis est, commonuisse suo.
Quid rides temere? quid fles? vis te cohibere?
Et natum posthac te meminisse hominem?
Mi trabeam induto gemmis, auroq; coronâ
Cingebat fulgens & diadema caput,
Mi quondam ornabant pretiosa monilia collum,
Nunc fractam vili, respice, fune gulam.

FINIS.

INDEX IVXTA ORDINEM ALPHABETICVM, PROuinciarum, Vrbium, Fluuiorum, Promontoriorum, Portuum, atque Insularum, quæ antiquis nominibus aut corruptis, aut penitus extinctis, ab authore reditæ sunt.

Ex primo tomo.

A

ADuæ mõtis culmé, hodie Mõgraium. pag. 831
Ademum, antiquitus Ocellis emporium fuisse arbitramur. 1067
Albanorum regionẽ proximã Mediæ, Seruan hodie appellant. 800
Alpes Pœninæ sunt, quarum altissimũ cacumen hodie montem Cenisiũ nuncupamus. 833
Alpes sancti Bernardi sunt, quas Cæsar summas appellat, quondam abtransitu Græcorum atque Hercu

lis Graiæ nuncupatæ. 832
Amida vrbs vetus, hodie Caramida ab incolis vocatur. 965. & tom. 2. pagina. 743
Anaxus fluuius, hodie Piaua est. 603
Ancyra est, quam hodie Angorim dicũt. 681. & tom. 3. pag. 845

B

BActra vrbs, hodie Ephra dicitur. 796
Bagadad regia vrbs, olim Babylõ. 792 & tom. 2. pag. 717
Bellizona, oppidum Villitionis, vtquibusdam videtur antiquitus fuit. 832
Britonorium à Brinto oppido, nonnulli à Britonis Aquitaniæ populis nomen inditũ putant. 120

C

CAlesia, portus Icius olim fuit. 496
Calidæ aquæ, Mamosæ dicuntur. 175
Carmaniæ vetus nomen, in Narsingam abiit. 792
Castrocarium, olim Salsubiũ fuit. 116
Colanæ vrbs, hodie Maras vocantur. 691
Choim antiquitus fuisse Artaxata Casinus Armenius arbitratur. 765. & 791.
Cilices montani, hodie Caramanni vocantur. 992
Cimbrica, hodie Dacia est. 644
Coctiæ Alpes, nunc montis Genebræ culmina nuncupantur. 97

D

DAmiata, olim Pelusium, siue Heliopolis, aut demũ Æliopolis, ab Ælio Hadriano Cæsare vocata est. 981. & 1062

F

FOrtunatæ insulę, Canarię hodie dicũtur. 1072

G

GAllia Cisalpina, nũc Lombardia à Longobardis. 33
Getuli & Numidæ, Arabes hodie vno nomine nuncupantur. 21

H

HIrcani, & Coraxenæ regionis incolæ, Arriani scilicet, Margiani, Aracosij, Bactriani: hodie vno nomine Zagatai vocantur. 796. & tomo 2. pag. 717

I

ISicus sinus, hodie Aiaccius dicitur. 992
Isthmũ antiqui Dromon Achillis vocabant. 642

L

LAncianum, antiquitus Anxanum

xanum Frentanorum fuit. 352
Lauania fluuius Entella olim fuit. 91
Lepontiæ Alpes, hodie Splugæ & Septæ nomine vocantur. 464
Lepontij Rhætique, hodie Grisoni nũcupantur. 831

M

MAnfredonia, Sipontus olim fuit. 360
Memphis tres ingentes vrbes amplectitur quarum frequentissimam hodie nouum Cayrũ appellant. 1037
Memphim antiquã vbi Cayri veteris ædificia sunt, fuisse existimamus. 1041
Meroe, incolarum lingua Naulebabe: id est, optimorum portuum parens, vocatur. 1088
Mesopotamia regio hodie Diarbecha dicitur. 965.966
Mœotis palus, hodie Zabacca dicitur. 794
Moschi, hodie Moschouitæ appellantur. 24

N

NIger amnis, hodie Gambra vocatur. 1070
Nilus ab Ægyptijs & Arabibus Abbahuis, id est, amnium pater, appellatur. 1089

O

OCtodurum veragrorũ, hodie sancti Mauritij oppidum dicitur. 832.833
Orons amnis, hodie Farfar dicitur. 986
Orpha vrbs, à nonnullis Edessa esse iudicatur. 965
Orpha & Caramita vrbes, antiquitus Dara & Anidavocabantur. 794

P

PApirianæ fossæ, Fossæ nouæ oppido nomẽ dederunt. 99
Peloponesiaca, Morea dicitur. 803
Periardes mons, Leprus, id est, frugifer à Barbaris hodie nuncupatur. 762.763
Petrasancta, olim Fanum Feroniæ. 100
Polonia, olim Sarmatia. 24.& 645
Pontus & Mœotis & ea præsertim pars, qua Corax amnis in Euxinũ effunditur, recẽti vocabulo Cercasia vocãtur à Cercitis populis. 977
Portus Herculis, hodie Tropea dicitur. 244
Pylus olim Nestoris sedes, hodie Nauarrinum lunco portui impositum. 441

R

RHa flumen à nostris Volga, & à Scythis Hedil appellatur. 640
Rheti, Grisoni hodie vocantur. 437

S

SAlsæ hodie vocã tur quæ antiquitus Salsulæ fuerunt. 400
Samandriam, Scendorouium Hungari vocant. 700
Sapha, Susa antiquitus. 673
Scyras vrbs regia, quam Cyripolim antiquitus fuisse aliqui arbitrantur. 792
Sebasta, hodie Suias dicitur. 755
Selandia est, quam antiqui Scandauiam vocauere. 643
Sercius amnis, olim Auxerris fuit. 175
Suasia vrbs, olim Sebasta fuit. 989
Suezzia Rubri maris portus, is olim Arsinoes fuit. 1065
Sulthaniã, Tigranocertam fuisse arbitramur. 673
Sumachis vrbs regia, olim fortasse Gamala vocabatur. 795
Susa, olim Sebusiũ fuit. 833
Syenẽ, hodie Guaguerram incolæ appellant. 1065. & 1089

T

TAbenda, Tocata hodie dicitur. 661
Tartaros Tauricæ incolàs, Roxolani hodie Præcopitas appellant. 642
Taurisiũ regia vrbs, Terua Ptolemęo antiquitus fuit, vel Susa vt Hebræis videtur. 667. & 776. & 791
Theodosia nobilissima Genuensiũ colonia, Capha dicitur. 642
Ticinum vrbem, recentiores Papiam appellarunt. 98

V

VAlachi, antiquitus Mysi. 977
Varna, Dionysiopolis olim fuit. 698. & tom. 3. pag. 814
Vidana portus, Brestius dicitur. 494
Vitis fluuius, hodie Aquadussa. 452
Volaga amnis, Rha ab antiquis nuncupatur. 24. & 640

Z

ZAgatai tartari, olim fuere Bactriani & Sogdiani. 753. 754.

FINIS.

IND.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORALIVM, quæ in hoc primo tomo historiarum Pauli Iouij continentur.

A

Abbahus fluuius, qui & Nilus. pag. 1089
Abduæ fontes. 831
Abyssini regis studia, mores, & arma. 1078.1079
Vxores. 1079.1080
bella, regna, & tributa. 1080.1081
copiæ. 1082
Abyssini. 1074
Abyssinorū rex quomodo appelletur. 1077
Abyssinorum regum nobilitas. 1078
religio. 1075
leges. 1075.1076
patriarchæ. 1083
eius opes quibus inseruiant. 1083. 1084
Abyssina lingua Romæ impressa. 1077
Acanzes. 803
Acanzi qui. 768
Achasia vrbs. 1050
Achomates Baiazetis filius maximus. 681
Vir insignis. 695
in Selymum vocatur. 747. 748
Constantinopolim venit. 719
irascitur. 722
exercitum cogit per filios. 724
Asiæ rex declaratur. 724
hostis patris declaratur. 727
Achomates ad Mahometē nepotem. 724
filios Amurathem & Aladinum alloquitur. 723
capitur & necatur. 753
Achomatis desiderium. 720
crudele factū. 726
consilium. 723
Actius Syncerus Vir insignis. 253
Acierū dispositio. 324
Adamantes. 793
Ademū, ātiquis Ocellis emporium. 1067
Admonitio Ludouici Sfortiæ ad Maximilianum. 57
Adua mons. 831
Adurnij Genuæ discedunt. 492
Adurniorū consiliū de delenda classe. 228
Aestus maximi in Oceano. 537
Aethiopes. 1069
Aethiopiæ descriptio. 1068. & sequenti.
Africa figura pyramidali. 1068
eius descript. 1068. & sequentib.
quibus regibus teneretur. 21
Agricolæ ad Veronam facinus. 1111
Aguasapas Albanorum rex. 800
Aiax Ianizarorū præfectus. 708
Aidaris, siue Harduelis doctrina et probitate insignis. 659 & 661. 662
Alabardæ descrip. 126

Aladinus Achomatis filius. 975
Aladolus copias cogit. 964
capitur & interficitur. 970
Aladoli regis sedes. 964
fuga. 967.968
cõsilium. 968.969
caput Venetias trãsmissum. 970
Aladuli populi Vnde orti. 964.965
Aladulorum reges & regio. 757. & 764. & 779
Alarconis in Cardoniũ falsè dictum. 560
Alba Marsorum oppidum. 138
Albani belliçosi. 800
Albanorum regio, hodie Seruan. 800
Albertinus Bochetus pacis sequester. 284
Albertus Petra Berneñsis. 843
Alegria portæ excluditur. 256
Aleppus Vrbs celeberrima Vnde creuerit. 988
Alexandria à Gallis oppugnata capitur. 437
Alexãder sextus creatus Pontifex quomodo. 31
proceribus perniciẽ parat. 431
Gallis cõtra fidem hostiliamolitur. 138
Virginij oppida occupat. 420
Venenũ minstrat. 443
Veneno perit. 444
principum atrocissimus, immoderatus funestus. 394. & 400
Alexandri pontificis filij. 70
immanis cupiditas. 31
petitio. 121
simulatio. 63
timor. 123
Alexandrum sextum nulla data fidei religione teneri. 132
Alexi⁹ Beccacut⁹. 204
Alexius Bosigius ab Heluetijs interfectus. 480
Alfonsus Toraldus. 268
Alfonsus Daualus Piscariæ marchio. 81
Neapoli præfectus. 157
ex arce fugit. 161
Alfonsus Aragoni⁹. 28
Alfonsus Aragonius in regnũ Neapolitanũ adoptatus. 44
Alfonsus in Hispaniã contra fidem mittitur. 442
Alfonsus Aragoniorũ rex salutatus. 68
Alfonsi regis industria. 69
mores. 146.147
oratio. 80
ad filiũ Ferdinãdũ oratio. 147. & seq.
imperij abdicatio. 146
fuga in Siciliã. 150
mors. 344
eius petitio apud Ferdinandum filium 345
religio. 345
Alfonsi regis & Alexandri Pontificis congressio. 80
Aloysius Arsius. 347
Aloysius Gelsualdius. Ibidem.
Aloysius Aduocatus Brixianus. 205
capite plectitur. 452
Aloysius Rapollus. 82
Aloysius Fiscus contra Hyblettum fratrem. 90.91
Alpes ab Annibale fractæ. 833
Alpes Lepontiæ. 464
Alpes Iuliæ. 626
Alpes Carnicæ, Iuliæ, Rheticæ, Lepontiæ, Sancti Bernardi, siue Graiæ.

Pœnimæ, Coctiæ, Argẽtariæ, Maritimæ. 831. & seq. copiosè.
Alpium aditus. 830, & sequent.
Altosaxus Heluetius bello illustris. 463
Altosaxi habitus, cultus, & dolor. 485. 486
Aluantes Iacuppi filius fugit. 668 in prælio occiditur. 672
Amanus mons. 757 Syriá à Cilicia dirimit. 988. et 992
Amaranum regnum. 1086
Amasia Cappadociæ. 696
Americus Sanseverinus. 380
Amida Vrbs, hodie Caramida. 965
Amurathes primus Ianizaros instituit. 807
Amurathes in Cappadociam venit. 754 ad Hismaelem confugit, eius q; filiam Vxorem ducit. Ibid.
Amyrase. 1067. 1068
Anauolebanus Heluetiorum dux, victoria potitur, & moritur. 436
Anaxus flumen, hodie Piana dicitur. 683
Andreas Altauilla familiæ Capuanæ. 247
Andreas Matthæus Aquauiua. 104
Andreas Grittus Venetorũ legat⁹. 449 seruatur. 566
Andreas Lauredanus iugulatur. 566
Andegauensium iura in Neapolim. 43
Anemon flumen. 97
Angelus Cẽcellus. 109
Anglardus Tigurinus dux. 848
Angli & Scoti eiusdem linguæ. 511
Angli Victores in Hymeum. 514
Anglorũ prima acies funditur à Scotis. 524. 525.
Anguillaria Fidenatum Vrbs. 125
Anima nigra Ligur. 176
Anna Soleria Caroli amasia. 273
Annibal Bẽtiuolus. 93
Annibal Lana occiditur. 916
Annibal Pandonius interfectus. 386
Annus nonagesimus quartus supra mille pacificus. 19
Ansumoppidum. 930, 931
Antimiola dux impiger capitur, custodiæq; honestæ traditur. 593. 594
Antius Heluetius captus. 192. & 272
Anti-taurus mõs. 663
Antonius Feltrius Vrbinas. 205 ignominia notatus. 222
Antonius Grimanus Venetus præfectus. 169
Antonius Maria Sanseverinus. 86
Antonius Vitrius Ligur à cubiculo Baiazetis. 740
Antonius Basseius. 86. & 203
Antonius Fonseca Hispanus. 139
Antoniottus Adurnius princeps Ligurum. 463
Antonellus Picciolus. 163
Antonellus Sabellus. 137
Antonellus Salernitanus princeps exul. 47
Antracius Vir fortis. 111
Pisanæ arcis præfectus. 795
Ciuitate donat. 312

Anzoletus Heluetius. 359
Aphricus Ventus Liburnio portui aduersatur. 418
Aphricana gens 21
Aprutium. 137
Aqua Burmia. 831
Arabes. 1062.1063
Arabum Vxores pudicæ. 1063
Arabum arma. 1015
Aragonij duces capti ad Rapallum. 92
Aragoniorum cum Ludouico Sfortia simultates. 42
Aragonēsiū regnū. 28
Araldus. 151. & tomo.3. pag.473
Araldos Violare nefas. 151.194. & tomo.3. pag.473
Araquinquus Arabici maris portus. 1076
Arax Bactrianorum flumen. 799
Araxes flumen. 763
Arcomarianum oppidum. 271.289
Argentonus. 163
Armeniæ maioris regia. 791
Armeni milites. 790
Armuzum. 793
Armuzensium mores. Ibidem.
Arnoldus Vndernaldius. 1103
Arriana prouincia. 796
Arsenga Comana Pontica olim. 796
Arsia flumen. 839
Arsinoe. 1068
Arx Sergiani Genuensibus Vendita. 312
Arx Pisana intra dies centum delenda. 307
deleta, ac solo aquata. 312
Arx noua Neapoli oppugnata. 159
à Germanis Carolo tradita. 162
Arx Mediolani deditur. 569.570
Arx Mediolani à Nauarro oppugnata. 893.894
Arx Cremonensis traditur. 570
Arx Genuensium destruitur. 620
Arcis Phari Genuæ descriptio. 616
Asappi, qui apud Turcas. 682
Ascanius Sforcia Cardinalis. 35
Asparra capitur. 237
Asulæ oppugnatio Cæsari infausta. 945
Assimbeij gesta. 21
Asta colonia. 98
Atadidinghel. 1077
Atella oppidum. 378
Athila torrenti comparatus. 17
Atlas, hodie Clarus mons. 1071
Auanzinus Castiana [illegible]
Auentus Britannus dux inclytus. 108. & 513
Augusta Prætoria. 832
Augustinus Adurnius occasionem defendi hostis amittit. 230
Aurātius Mediolanius. 71
Aurelianus Nouariā capit. 186
Aureliani industria in obsidione. 274. 275
Aureliani litera ad Carolum. 273
Auxilia obsessis Brixiæ veniunt. 926

B

Bachillio amnis. 565
Bactra Vrbs, hodie Ephra. 796
Bacucus portus. 776
Badinus Insuber. 99
Bagadad, olim Babylonia [illegible] dita. 792.793
Baianus sinus. 81

Baiardus Franciscum Gallorũ regẽ, equitem creat, 887
Baiardi in re militari laudes. Ibidem.
Baiazetes Turcarum imperator. 19
Metonẽ occupat. 439
ad filiũ Selymũ oratores mittit. 699
cum Selymo filio cõgredi vult. 707. proditur à prætorianis. 739. Byzantio excedit, & veneno necatur à filio Selymo. 740
Baiazetis imperiũ & opes. 19
filij. 695. ingenium mite. 20. studia. 785
in filium increpatio. 705. dona ad Selymum. 700
ad filium Corchutũ responsio. 735
ad milites oratio. 712
querela apud Cam ponem. 680
Balneolum oppidũ. 34
Baleonus. 542
Balsamum vbi proueniat. 1021
Balzera emporiũ insigne Teredonis insulæ. 795
Bancarum domus Romæ direpta. 130
Bãdocaderus rex. 982
Baptista Fregosus. 226
Barigus Barga. 175
Basilius Ripa. 1135
Basilius Moscouitarũ rex. 643
eius ad milites oratio. 652. 653
fuga. 657
Bassa Visir. 708
Bastardus Borbonius. 173
Bastardus Sabaudius. 909
Bastarnæ populi. 643
Bartholomæus Villa[illegible] Brixian. 600
Bartholomæus Liuianus Vrsinus. 96. 97

Bartholomæa Vrsina Virilis animi. 420
Beatrix Ludouici Sfortiæ vxor fastuosa. 37
Bellerbechi duo magistri equitum. 804
Bellerbechi Turcarum vbi resideant. 683. 684
Bellum atrox in Italia. 1
Bellum in Venetos decretum. 447
Bellum Venetum. 542
Bellũ in Liguria. 225
Bellũ in Morinia. 498
Bellorum lues vniuersalis. 1
Bellandi ratio apud Italos. 144. 145
Bellica ars apud Romanos. 652
Bentiuoli Bononia expulsi. 445
Bentiuolorum domus euertitur. Ibidem.
Bergomum pro Venetis capitur. 575
Venetos recipit. 605
ad Hispanos redit. 579
Bergomensium studiũ in Venetos. 574
Bernardus Oricellarius. 74
Bernardus Contarenus, equitum præfectus. 187
Bernardinus Adurnius bellator insignis 225
Bernardinus Clostra vir apprimè pugnax. 176
Bernardinus Curtius arcem Mediolanensem Gallis prodit. 438
Berytus emporiũ. 988
Bido Mamaluchorũ pugnacissimus. 1028
Blanca Sfortia Maximiliano Cæsari desponsata. 56
Bombycum & serici copia. 796
Bonifacium vrbs Corsica

ſtica oppugnatur. 44
Bona Ioannis Galeacij Sfortiæ filia Sigiſmundo regi deſponſata. 922
Bernicum oppidũ munitiſsimum oppugnatur. 514
Bettinus Ricaſolus Vir fortis ac ſtrenuus. 416
Borbonius Comes ſtabilis creatus. 960
Borbonij & Triuultij reſponſio ad Cæſarem 947
Borea. 794
Borgia Cardina. 394
Bornemiſſa victoria potitur. 629
Boyſiuius. 913
Boryſthenes flumen. 642. & tomo. 3. pag. 829
Boſtanges Ducaginoglis. 708
Braccianum. 125
Bracciani oppugnatio. 422
Brennio amnis. 589. & 897
Brionia oppidũ. 278
Briſſonettus. 111
Cardinalis Maclodienſis. 178
Briſſonetto cur rubeus galerus traditur. 70
Britonorium oppidũ. 119. 120
Britones à Gallis victi. 45
Brixia oppugnatur. 1102. et ſeq. & deditur Gallis. 1107
Brixia oppugnãda duplex ratio. 904
oppugnatio. 906. 907. & 914
Brixiæ cuniculi deprehenſi. 918
Bubalus Piſanorũ tormentum. 179. & 436
Bucciardus ad Baiazetem pro Alexandro ſexto legatus. 134

Bucciardus & Dautius capti à Ioanne Rouerio. 136
Bucciardi oratio ad Baiazetem. 134
Burmium extremum Italiæ oppidum. 468
Burla equitum præfectus. 182
Ruſecus Germanus. 359
Buſſonius Rhodiorum magiſter. 133
Buttum oppidum. 181
Buttum à Lucio Maluetio expugnatum. 182. & 410
Byrta ubi poſita. 794. & 989.

C

CAdi legum periti. 804
Cadileſcherus apud Turcas. 722. & 809
Cæſar abſens deludẽtur. 920
Cæſar & Henricus in Morinis cœunt. 500
Cæſar Aragonius. 164. & 237
Cæſar Feramuſca capitur, vincitur, & Cremã perducitur. 581
Cæſar Borgia, Alexandri pontificis filius, à ſacris ſe abdicat, Candianum fratrem interficit, magnum imperiũ affectat. 433
in Hiſpaniam mittitur. 444
venenũ bibit. 444
Cæſaris copiæ in Venetos. 548
Cæſaris conſilium. 501
Cæſaris & Henricĩ fœdus in Gallos. 496
Cæſaris Borgiæ crudelitas. 443

Cagnolus Bergomas. 575
Caieta obsiditur. 397
à Gallis denuo capitur. 241
Cõsalua traditur. 444
Caietani à Gallis deficiũt, & cur. 238. 239
Calatinus. 204. 205
Cales oppidum. 155
Caluisianus Mantuanus. 206
Caliphus Saracenus rex Aegypti. 979
Caliphi reges Aegypti. 980
Caloiannes rex Ponti Christianus captus à Turca, & necatus. 661
Callitras oppidũ 378
Chalybis temperatura mirabilis. 792
Camelopardalis, quæ Gyraffa dicitur. 1084
Camillus Vitellius eques creatus in Tarrensi pugna. 217
Camillus, Vitellocius, & Paulus fratres Vitellij. 189
Camillus Pandonius. 64
Camillus Montanus capitur. 819
Camilli Vitellij Virtus. 362
& mors. 368
Campani nomen Gallicum inuocãt. 155
Campso Gaurius Sulthanus. 984
aduersus Turcas. 973. & seq.
funditur & moritur. 1002. 1003
Cãpsonis donatiuum. 985
modestia in ineundo principatu. 984. 985
responsio ad Selymum. 386. 687
acies. 999. 1000
fluctuatio. 993
& mors. 1003

Candaces Aethiopum regina. 1075
Canes Tartarorũ imperatores. 797
Canum portẽtum ad Nouariam. 477
Cannones. 129
Canoglis Tartarus. 751
Canta Vrbs, orbis maxima, Venetiarum similis etiam moribus. 797. 798
Cantelmus Populi comes. 352
Capella arx Bergomi Hispanis datur. 580
Capellesius pons. 175
Capitanei aduersus Gallos. 824
Carbunculi. 793
Caragius Bassa. 681
Carauana. 1070
Cardillus Vir impiger. 604
Cardinalis Strigoniesis excu ato. 638
Cari, igi 805
Carmagnolæ exemplum. 561
Carmenia, Narsingahodie. 792
Carnificina miserabilis. 637
Carolus Meliteus. 281
Carolus Gheldrius Menapiorum & Sicãbrorum princeps. 826. & secũdo Tomo, pag. 757
Carolus Burgundiæ dux casus ab Heluetijs. 23
Carolus Sabaudiæ dux, Frãcisci Gallorum regis auunculus. 839. & Tomo secundo, pagina 827. & eod. to. pag. 840
Carolus Balbianus Ludouici Sfortiæ legatus ad regẽ Galliæ & eius oratio. 48. & sequẽtibus.
Carolus Borbonius equitũ magister. 826

Carolus octauus, Gallorum rex. 23
Carolus quibus precibus ab Italis fatigetur ad renouandum bellum Neapolitanum. 404. & sequentibus, quà Alpes transierit. 97. 98. et 833. 834
Asta ægrotat. 98
à Ludouico Sfortia lautè suscipitur Papia. 98
Luca liberaliter exceptus, & pecunia adiutus. 107
à Pisanis alacriter susceptus. 183
Pisanæ libertatis author. 183
Florentiæ honorificè exceptus. 112
Senis lautè & liberaliter excipitur. 121
quà pompa Romã ingressus. 125. & sequentibus.
Alexandrũ pontificem adorat. 132
Neapoli receptus. 158
Caroli octaui & Maximiliani dissidũ, & inimicitiæ graues. 56
corporis habitus. 202
in Italiam transitus. 97. & seq.
orationis summa. 54
ad Alexandrũ põtificem Romanum responsio. 122
reditus. 170
trepidatio. Ibid.
petitio percaducatorem ad Tarrum. 193. 194
literæ ad Aurelianũ. 274. mors. 431
Carolus Vrsinus capitur, moxq; dimittitur. 431
Carolus Austrianus Ferdinandi hæres. 941
Carnaial moritur. 568
Casanũ oppidũ. 792
Casantes rex. 1080
Cascina. 177
Caspiũ mare. 794
nõ nauigatur. 795
Cassembassa. 768
moritur. 771
Cassinus Armenius. 765
Castellum nouum expugnatur. 100
Castruccius Lucensiũ tyrannus. 100
& tomo. 3. pa. 234
Castrorũ Iacobi Scotiæ regis munitio. 515
Casus memorabilis. 159
Cataracta Nili, antiquis catadupæ. 1087
Catarinus Zenus in Armeniam legatus. 678. 679
Cataium. 197
Catainorum rex maximus. 798
Cataphracti Gal. 127
Catharina Sfort. 115
capitur. 438
Caudinæ pax. 338
Cayerbeius Alepi & Comagenæ prouinciæ præfectus. Campsoni infensus, & quare. 995. 996
Cayerbeius toti Aegypto præficitur. 1092
Cayerbeij prodit. 998
Caithbeius Aegypti Syriæq; Sulthanus, bello semper victor. 794
opibus & gloriæ clarissimus. 982
camelopardalim Laurentio Medici Florentiã misit. 983
ob præclara facinora Maximi nomen adeptus. 983
imperiũ, cõditio, gesta, & mors. 982. 983
Cebellinæ pelles Vrde. 640
Celenæ Vrbs. 691

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cellanum. 137
Cemperusius Gal. 361
Centrones Galli. 833
Cēturiones strenui cōciduntur. 326
Centumcellæ. 140
Cephalenia à Venetis expugnatur. 441
Cercassius Sulthanus. 983
Cetinna amnis. 626
Chelia vrbs. 698
Chendemus Asiæ præfectus. 755
Selymo gratus. 757
Chendemi consilium & oratio. 757. 758
& mors. 760
Cherseoglis Bassa vir probus. 709
eius fuga ad Turcas cur. 710
Baiazetis gene. 710
Chesius amnis. 944
Chezzius Ammā Heluetius quadraginta annis cētur. 878
Chilo amnis. 362
Chimæra. 165
Chinea specula, hodie Culmea dicitur. 931. 932
Chios oppidū 764. 765
Christianorū principū exprobratio. 1017
Christophorus Frācapanis fugit. 589
Chiurleus pagus insignis. 718
Ciamassum oppidū expugnatur. 962. 963
Cercassia Mamaluchorum regio. 977
Cerciti populi. 977
Ciandeus. 137
Cianadiū vrbs combusta cum ciuib. 629
Cianadiēsis episcopus miserè extinctus. 629.
Cicchus Simoneta. 34
Cilices hodie Caramanni. 992
Circellum oppidum à Gallis oppugnatū. 368
Circassij populi. 801
Cisalpinæ Galliæ splendor à dor à Ludouico Sforcia. 36
Citadellæ ab Hispanis diripitur. 594
Classis Gallica disiecta. 537
in Liguria. 226. 227
capitur à Liguribus. 229
Clauarius vicus. 85
Cliuassiū oppidū. 846
Clusia. 1134
Cobena Baiorum regia. 643
Colleonesium & Petracallum oppida à Gallis delētur. 368
Colloquium trium regum. 921
Colloquiū de pace inter Gallos et Aragonios. 330
Columbina tormentū Pisanum. 308
Colubrinæ. 129.
Columna Iulij Cæsaris. 832
Columnenses & Sabelli Gallica pecunia conducti. 78
Colūniorū clientelæ. 78
Comani populi. 981
Comagenes. 1007
Cometes luridus apparet. 446
Cometes bōbarda Venetorum. 909
Compsana via. 379
Comum oppidum in Perside. 792
Conciliū Christianorum regum. 972
procerum Galliæ apud Turonos 53
Lugdunense abrogatur. 540. 541
Conditiones pacis ad Nouariam 287
Cōflictus inter Gallos & Britannos. 503. 504
Conflictus ad Gerionem. 443
Conflictus ad Semenariam. 443
Conflictus singularis ad Veronam. 1117

Consaluus Ferdinandus. 169
Gallis terrori fuit. 380.381
Brutios & Apulos capit. 442
suspectus regi. 446
Consalui consilium salubre. 246
in Brutijs egregiè facta. 380. mors. 942
Cõsaluo Magni cognomen datur. 441. 442. & 941
Consiliarij suspecta fides. 902
Consiliũ de suscipiendo bello Pannonico. 625
Cõsiliariorũ Ferdinãdi sẽtẽtiæ. 332. 333
Constãtinus Rutenus vir fortis. 648. 649
Cõstãtini Ruteni oratio ad milites. 654
Coraxeni populi. 765
Corchutus Ottomanus Philosophus. 728
Baiazetis filius. 681
Byzantium adnauigat. 732
fugit. 740
capitur, Prusiaq; à fratre Selymo necatur. 747
eius carmina in Selymum. 747
Corchuti Baiazetis filij ingenium. 745
oratio ad patrem. 732
Coriolanus Triuultius interficitur. 483
Cornu Monocerotis virtus. 1085
Coronei Turcæ se dedunt. 440
Corradinus Cribellus. 485
Corus. 794
Cornũ Lunæ promontorium. 82
Cothos rex. 981. 982
Cracouia Sarmatarum regia. 645
Craffij Tigurini oratio. 475

Crema fida Venetis. 574
Cremona Venetis cedit. 438
Crissæum expugnatũ à Turca. 440
Cryptæ. 336. & 339
Cryptæ Mariæ Virginis apud Memphim. 1039. 1040
Cuselbasæ Vnde. 664
Cuselbæ in Lycaoniã peruadunt. 676
Cutheia Vrbs à Techellis oppugnata & expugnata miserabiliter. 683. 684
Cyani lapilli, hodie Turchina. 797
Cynthius Tyburtinus. 843
Cyraca emporiũ nobile. 799

D

Dacia hodie, Cymbrica olim. 644
Dacreus Vir bello insignis. 514
Dauidis Preteiannis mors. 1089
Dauthes classis Turcica præfectus. 434
Delãtia Pisana puella nobilis. 295
Delphini portus. 85
Dephterder. 809
Derbentum emporiũ Persarum. 667. & 795
Desperata tormentum Pisanum. 308
Despina Coloiannis Ponti regis filia. 660
Diarbecha regio. 966
Dies trium horarum. 642
Dionysius Naldus præfectus. 93
Dionysiopolis. 698
Diplomata ducatus Mediolani. 116
Dissidium inter Gallos & Hispanos. 442
Diuisionum ab Heluetijs

tijs oppugnatur. 530
Dodus exauctoratus. 276
Domus diui Marci Romæ. 128
Dromon Achillis. 642
Druentia flumen. 837
Duces clarissimi Mamaluchorum. 1028
Dultibea Memphitica regina. 1038

E

EBerardus Obigninus Scotus legatus. 60.61
Eccia apud Neapolim. 336
Edictum vetus apud Turcas. 804
Egidius cucullatus in Germaniam legatus. 943
Elata flumen. 750
Emanuel Benauidius Hispanus. 248
Emanuelis Caballi facinus. 615
Emporia ad Tanaim amnem. 698
Epantheri Liguris. 835
Epirotæ. 165
Eporedia. 832
Equus mille coronatorum. 284
Equus restitutus Ferdinando regi. 392
Equi Scotorum quales. 511
Equorũ propago Mantuanorum princeps. 289
Equites leuis armaturæ Galli. 121
Equitatus duplex apud Turcas. 803
Erapons oppidum. 177
Eretanus amnis. 561
Ergata. 909
Eri vrbs. 736
Erix in Sicilia. 82
Euphrates flumen. 761
762.763
Europæ principum cõspiratio in Gallos, & causæ. 166
Exarcola. 807
Exercitus in Italia copiosior. 279

F

FAbritius Columna. 137.138
magister equitum. 351
capitur & liberatur. 442
Fabritius Carrectus Rhodiæ militiæ magister. 773
Falcones. 129
Familiæ nobiles quatuor inter Turcas Ottomannis amulæ. 302
Federicus Aragonius classis præfectus. 81
rex salutatur. 395
circumuentus ad Gallum confugit. 442
Ferdinandus rex Hispaniæ. 22
Ferdinandus Hispaniæ rex, & Ludouicus rex Galliæ, regnum Neapolitanum partiuntur. 433
Ferdinãdus rex Neapolim adnauigat. 445
Ferdinandus Aragonius. 28
Ferdinandus Alfonsi filius exercitus imperator. 81
rex Neapoli salutatur. 150
fugiens præcipitatur. 249
Isclæ arce excluditur. 158
reuocatur. 256. 257
Ferdinandus & Consaluus Rhegium traijciũt. 234.235

Ferdinandus dysenteria moritur. 395
tumulatur lachrymis veris. Ibid.
Ferdinandus Piscarius adhuc infans uxorem ducit. 269
Ferdinandus Niger interficitur. 593
Ferdinandi Hispaniæ regis ingenium. 455.456
suspecta fides. 811
mores. 150
auxilia. 381.382
Ferdinandi Hispaniæ regis, & Ludouici Galliæ regis colloquium apud Sauonam. 446
Ferdinandi Aragoniÿ copiæ. 93. & 144
pugnandi cupido. 246.247
fiducia. 251
consternatio. 158
timor & simulatio. 329
fuga à Neapoli. 157
oratio. 154
petitio ad Venetos. 353
ab Roma discessus. 124
Ferdinando redeunti Neapolim qui fuerint. 253
Ferretus Gallorum dux. 179
Fliſci Fregosÿs infensi. 817
Florabraccius Baleonus fugatur. 426
Florentini Cæsarum stipendiariÿ. 407
Florentini industriÿ. 31
cum Carolo fœdus renouant. 294
conditiones. 294
bellum in Pisanos restaurant. 290
suburbiÿs Pisanis potiuntur. 306
Florentinorum apparatus contra Pisanos. 173
expeditio ad Verruculam. 317
petitio à Carolo. 178.179
Fœdus & pax Hispanorum cum Gallis. 58.59
Fœdus cõtra Carolum octauum. 168.169
Fœdus quo principes Italiam partiuntur. 433
Fœdus ad Nouiodunũ percussum. 1134
et cõditiones. 1135
Fogia Vrbs. 354. & 357
Fonseca oratio contra Gallos. 139.140
Forum Iulÿ à Germanis occupatum. 586
Foronouum. 190
Fortebracius Montonius. 205
Fossa Giliola. 93
Fracassius Sanseuerinus. 117. & 307
Pisanis iratus. 318
Francapanis capitur. 590
Franciscus Gambara. 205
Franciscus Spinulæ Maurus classis præfectus. 227
Franciscus Candianus. 70
Franciscus Siccus Florentinorũ dux. 315
Frãciscus Piccolhomineus Cardinalis. 121
Franciscus Valorius. 103
Franciscus Montedolius. 100
ad vlciscendã iniuriam præferuidus. 291
Frãciscus Scarfu. 105
Franciscus Gonzaga imperator. 187
Franciscus Gonzaga ad legatos Venetos. 207

Franciscus Valesius rex Galliæ. 814
bellum in Insubres parat, inuitatus ab Venetis. 815
quà Alpes transierit. 835.836
Prosperũ solatur. 844
pugnat. 872
adhortatur. 877
eques creatur. 887
in Galliam reuertitur. 914
Franciſci Galliæ regis delineatio. 912. 913
Frãciſci regis, & Leonis ſummi pontificis colloquiũ. 913
Franciſci regis copiæ. 825
triumphus. 903
Franciſci Sicci ſtrata gema. 319.320
mors. 320
Franciſci Almediꝰ Indicæ claſſis præfecti captiuitas. 1072
Franciſci Sforziæ peritia rei militaris. 145.146
Frãciſci Gonzagæ cũ Baiazete amicitia. 136
Frandaiæ prædonis aſtus. 84
Frangettum oppidum à Gallis deditur. 369
Fregoſinus. 81
Fucinus lacus. 137
Fuſiꝰ ad Hiſpanos reſponſio. 403.404

G

GAlaratum. 851
Galeacius Pallauicinus. 205
Galeacius Sanſeuerinus legatus ad Carolum regem. 76
dux exercitus. 187
Galeaciꝰ Sanſeuerini factum. 437.438
Galeaciꝰ Vicecomitis Vanitas. 948.949
Gallus exercitus Romam ingreditur. 444
Gallus anathema à pontifice latum contemnit. 450
Gallus pacis conditiones detrectat. 538
Galli Virginiꝰ conſilijs nõ audiũt. 378
Proſperi Columnæ conſilio frangũtur. 335.336
decepti. 331
pugnã detrectant. 97
compelluntur in arcem. 258
occaſionem Victoriæ amittunt 373
ſuperati pecuſa amittunt. 367
ad Nouariam interfecti ab Heluetijs. 487
ab Heluetijs pacem petunt. 532
Senis expulſi. 173
à Genua fugiunt. 229
hoſtes fallunt. 840
Pontifici Iulio aduerſantur. 450
crudeli miſericordia ſuos iugulant. 223
arcem Phari Genuæ tradunt. 612. & 619
Brixiam Venetis tradunt. 1108
equitatu cæteras gentes præeũt. 825
regibus ſuis enixiſſime parent. 825
ad Semenariã Victores. 249
quos duces ceperint. 842
Galli & Aragonij in Vrbe Neapoli certant. 255.256
Gallorum ſuſpicio de Veneno. 393
apud Italos odium. 399

crudelitas. 340
crudeli i;Caieta. 242
duces qui perierint 870.871.872
ducũ consiliũ. 473
duces. 840
cõsilia.166.& 356
exercitus in Apulia. 359.360
responsio ad Fonsecæ orationem. 141
Vis ex Italica discordia. 398
difficultates post Victoriam. 217
aduentus in Italiam. 398
interitus Neapoli. 392.393
Gallorum & Hispanorũ contentio.142
Gallorum castra disposita. 866.867.& 876.877
acies instructa ad Tarrum. 202. 203
castrametatio.282
oratio ad Heluetios. 532. ex arce eruptio. 267
Gallis quid persuasum sit de suis regibus. 46
Heluetiorũ nomen terribile. 952
infausta dies. 232
Gallica nauis Magdalena intercepta. 348
Gallici morbi origo. 398
Gallici morbi medela. 399
Gallina in Aegypto oua non incubant. 1042
Gãbra amnis, qui & Niger dictus.1079
Garzias Toletanus interficitur. 449
Garzias Manricus captus, 605
Gaspar Germanus dux. 119
Gaspar Goldilus tortus. 539
Gasparis Germani duci
tios. 532. ex arce eruptio. 267
Gallis quid persuasum sit de suis regibus. 46
Heluetiorũ nomen terribile. 952
infausta dies. 232
Gallica nauis Magdalena intercepta. 348
Gallici morbi origo. 398
Gallici morbi medela. 399
Gallina in Aegypto oua non incubant. 1042
Gãbra amnis, qui & Niger dictus.1079
Garzias Toletanus interficitur. 449
Garzias Manricus captus, 605
Gaspar Germanus dux. 119
Gaspar Goldilus tortus. 539
Gasparis Germani duci
cis sententia. 160
Gaspar Germanus securi à Maximiliano percutitur. 162
Gasto Foiseius imperator Gallorũ. 451
interficitur. 452
Gaza Vrbs. 1006
à Turca capitur. 1008
Gazelles ad Selymũ venit, & eum alloquitur. 1048
Gazellis virtus in pugna. 1027
Gazellis viri fortis cõsilium.993.994. & 1009
oratio. 1011
Gemes Baiazetis frater Romæ custoditur in Vaticano. 131.132
magnum vectigal põtificibus.133.134
aspectu regio, & literis doctus. 133
Caietæ moritur veneni suspicione à
pontifice Alexandro. 142.143
Gennarij legati. 40
Genuenses à Gallis subacti.32.et 446
Genuensium prætorianorum centuriones. 88.89
Georgius Petraplanus vir clarus. 278
Georgius Sechelus rex rusticorũ creatus. 628
eius crudelitas. 628.629
oratio ad suos.634 635
bellũ restaurat.631
capitur, excruciatur, & forti est animo. 636.637
Georgius Franisperchius Germanus. 1121
Georgij Soprasaxi liberatio. 913
Georgiani, hodie Hyberi. 800

Gerardus Boncontes Pisanus. 302
Germaniæ ciuitates septuaginta consensu insuperabiles. 24
Germanus signifer egregius. 387
Germani à Cãpanis vrbe exclusi. 156
ab Heluetijs trucidati ad Tarrum. 212
Germanorũ virtus. 361
consternatio. 161
Gerunda. 58
Gesualdium oppidum expugnatum. 374
Getæ. 643
Ghingattæ pagus. 502
Giapalatus, Sulthanus. 983. 984
Gidda. 1066
Gilbertus Cleuensis 203
Gilbertus Mompenserius. 99
Gilopi populi. 1070
Gogianum regnũ quibus scateat bestijs. 1084. 1085
Gorlinus Rauennas. 281
Gothia. 25
Gothiæ insulæ descriptio. 643
Gothorum res illustres. 17
Gothifredus Borgia. 70
Gothifredus Calearius Veronẽsis cur interficitur. 595
Gothifredus Bolionius Gallus. 18
Gothifredus Germanus. 119
Gratianus Guerra. 137
classis præfectus. 240
Græci audaces, & insidiosi. 379
Græci viri illustres militares. 409
Græci equites regia supellectile potiti. 218
fugati. 410
Græcorum spes & consilium. 164. 165
Græcorum equitũ virtus. 411. & 1116
Græcorũ militiæ vsus Gallis ignotus. 191
Grimanus in fugam conijcitur. 434
in Ossarum Absyrtidem insulam relegatur. 434
Grittus togatus imperator. 1137
prolegatus. 461
Gritti in equites dictum. 485
Gualterius Tinctaurilla. 173
Guerra Monaldus. 79
Guido Baldus Vrbini princeps à Florentinis coducitur. 290
Guido Feltrius capitur. 427
Guido Guerra Cesennas. 117
Guido Vrbinatiũ regulus. 93
Guiliermus Brissonetus. 54
Guilielmus Rochadulphus. 925. & 1130
& tom. 3. pag. 225
Guinei populi. 1070

H

Hadrianopolis. 695
Haly Mohometis interpres ac socius. 662
Halym flumen. 691
Halybassa Macedo. 686
interficitur. 690
Hasserius Foctius Heluetius. 878
Hauardus Suffolchius. 812
Hederlinus Germanus. 360. & 362
Heluetius populus fide & virtute inclytus, Pontificiæ libertatis defensor. 458
Heluetij contra Gallos pro põtifice. 450
sim

simplicitate generosi. 463
irritati. 846
sine pecunia conscripti. 463
sesquihora grauissimum bellum conficiunt. 484
tres viri fortes. 866
centuriones cadũt. 870. & 880. 881
Gallos & Germanos rident. 470
Sfortiã defendunt. 463
ad Nouariam desiderati. 487
primã aciem Gallorum fundunt. 871
spem pacis faciunt. 845
Heluetiorum leges in bello. 478
solita virtus & disciplina. 601
mos in pugna. 484
alacritas cõtra Gallũ ad Nouariã. 468
iuuenũ mos. 868. 869
pietas. 885
discessus. 886
audacia in prælio. 879. 880
concilium in Heduos. 497
prælium ad Nouariam. 479
& victoria. 482
Heluetiorũ & Germanorũ cõflictus. 481
Heluetiorum & Sueuorũ prælium. 435
quinque millia ceciderunt. 886
duces secundò prælium ineunt. 879
qui cæsi sint. 873
fatum. 868
classicũ Vri cornu. 874
ducũ consiliũ. 475
risus ad Turrũ. 215
stratagema. 477. 478. & 865
seditio. 844. & 847. & 849
simultates. 956
Heluetijs donatiuũ à Carolo datur. 217
Heluetia cohors. 898
Henricus Agnauolebanus. 184
Henricus Albadelistæ regulus. 401
Henricus Angliæ rex insignis. 23
Henrici regis ad Scotũ responsum. 509
Hercules Atestinus. 61
Hercules Bentiuolus dux. 176
Hicardus Brixiæ præfectus. 890
Hicardi Hispani virtus & prudentia. 1106
Hieronymus Sauonarola comburitur. 431
Hieronymus Adurnus, & Scipio capti. 818
Hieronymus Sauorzianus à Venetis cõmendatus. 589
Hieronymus Pennæ equitũ præfectus. 841
Hiesdum oppidum. 792
Hippotoxotæ. 127
Hispani equites cum Gallis non conferendi. 250
Hispani profugi. 1115
Hispanorum ingeniũ. 44
Hispanorum equitum mos in pugna. 248. 249
Historia Pauli Iouij quinquagintæ annorum. 17
Homares Mahometis interpres. 662
Horminius mons. 681
Hugonis Cardonij oratio ad milites. 545. & seq.
Hungarorum studia. 624
Hunna amnis. 626

Huntlei viri fortis sententia. 516. 517
Hyalon Scytharum rex. 988
Hybletus Fliscus. 80
Hyrcani, Sophiani imperij extremi. 796
Hysmaël Sophus. cuius filius. 663
eius studia. 664. 665
& fama. 665
ad populum concionatur. 672
Mesopotamiam in deditionem accipit. 674
rerum potitus. 669
quas regiones superauerit. 753. 754
Baiazeti infensus. 677
ad Selymum caduceatorem mittit. 766. 767
Hysmaëlis Sophi descriptio. 781. 782
& studia. 782. 783. & seq.
primum facinus. 666
Sumachiam capit. 666
Hysmaëlis & Techellis fœdus. 677
prouincia & vrbes. 791. & seq.
expeditio in Aluantem, & prælium. 670. & seq.
copiæ dispositæ. 769. & seq.
à Venetis petitio. 678
Hysmaëlis & Selymi comparatio. 780

I

Iacobus Stuardus Scotiæ rex. 23
Iacobus Scotorum rex pugnando occiditur. 527
insepultus relinquitur, & cur. 528
Iacobi Scotici regis oratio ad milites. 521. & seq.
Iac

Iacobus è Regio Lepidi Turca factus. 1025
Iacobus Stapher Tigurinus. 944
Iacobus Motinus Vranienſis augurali ingenio miles. 477. & 479
interficitur. 483
Iacobus Tropiæ vir summæ authoritatis. 930
Iacobi sacellum Venetijs vetustissimum. 572
Iacuppæus Persarum rex. 19
Harduellem interficit. 659. & 663
Iacuppi imperij fines & fortuna. 21
Ianus Fregosius ingratus Genuæ. 461
Ianizari qui. 686
Ianizarorum tegumentum. 807. 808
Ianizarorum legiones duæ. 808
Iaxars fluuius. 797
Ichthyophagi. 25
Ignis missilis. 421
Indici maris emporia. 792
Indicarum rerum testes. 1076
Inducia ad Salsulas. 404
inter Gallos et Aragonios. 331
Nouariæ cõfectæ. 285
Innocẽtius Catia mortuus condemnatur. 185
Insula Meroes, Britanniæ maior. 1087
Insula in Nilo. 1040
Insula Cameronis. 1067
Insula diui Laurentij. 1080
Insula sancti Thomæ. 1071
Insulæ Virides, Hesperides antiquitus. 1071
Insula Fortunatæ, hodie Canariæ. 1072

Ioanna regina Neapolitana impudica. 43
Ioannes rex Hispaniæ. 58.59
Ioãnes Vayuoda Trãsyluaniæ. 633.634
Ioannes Stuardus Albaniæ regulus. 938
Ioannes Vetturius à Cæsarianis capitur. 591
Ioannes Bornemissa dux. 629.630
Ioannes Bentiuolius. 61.& 94
Ioannes Sforcia Pisauresium regulus. 93
Ioannes Adurnius. 88
Ioannes Vetula centurio. 181
Ioannes Lascaris. 711
Ioannes Cardinalis Columna. 240
Ioannes Medices Cardinalis captus fugit. 453
Ioannes Borgia Cardinalis. 70
Ioannes Galeacius Carolo regi liberos suos commendat. 98
Ioannes Galeacius trucidatur. 33
Ioannes Paulus Cantelmus. 138
Ioannes Rouereus. 138
Ioannes Calchus Sir timidites arcem Nouariæ tradit. 187
Ioannes Petrus Surra decies septies ex prouocatione victor. 578
Ioãnes Montanus Neapolitanus. 257. & 333. & 341
Ioãnes Frãciscus Sanseuerinus Calatiæ comes. 93
Ioannes Comes. 284
Ioannes Petittus. 142
Ioannes Berrus Bassolienſis vexillifer. 881
Ioannes Desphachius Bernensis. 843
Ioannes Petrus Gonzaga deditur. 427
Ioannes Mattaronius. 74
Ioannes Galliosius. 138
Ioannis Galeacij miseria. 76.77
mors. 115.116
& successio. Ibid.
Ioãnis Picinninimors. 216
Ioannis Spinelli factum. 255
Ioannis Conradi Vrsini expeditum consilium. 930
Ioannis Stennij mors. 931
Ioannis Ricasoli legati Florentini sauitia. 291
Ioanni Vetturio Veneti gratias agunt. 590
Iordinus Vnderualdius vir fortis. 469 & 487
Iouianus Pontanus vir eloquens. 45
Iouij libri historiarum vbi perierint. 430
Isabellæ Sforciæ animi ægritudo. 38
& eius epistolæ ad patrem Alfonsium & Ferdinandum auum, exemplar. 38. & sequentibus.
Iselæ arcis custos infidus. 158
Isycus sinus. 20
Issicus sinus, Aiaccius hodie. 922
Italia opulentissima. 47
Italiæ miseriæ à Turrensi pugna cœptæ. 215
Italorum principum ingenium. 72
Italicorum regulorum enumeratio. 29
Italorum principum in Venetos conspiratio. 27

Italorum & Hispanorum singulare certamen. 544.545
Iulianus Medices equitum præfectus. 824
Iulianus Medices Leonis decimi frater. 491.& 541
Romana ciuitate donatur. 541
Iulianus Rouereus Cardinalis Ostiensis, postea pontifex. 77
hostis Alexandri sexti. Ibidem.
inquieto ingenio. Ibidem.
Iulius Vrsinus cohortium præfectus. 85
Iulius Monfronius capitur. 936.937
Iulius Italiæ liberator. 453
Iulius Pontifex moritur. 454
Iulius Cæsar primus nobis Britanniam aperuit. 512
Iulij Pontificis coniuratio in Venetos. 447
Iunus Bassa superbus. 1092
ad dicendam causam à Selymo trahitur. 1096
interficitur. 1097
Epirotæ imperator deligitur. 691
Iustus, Isclæ arcis custos. 158
Iusiurandū apud Turcas. 703

L

Lacus Verbanus centum stadijs crescit. 569.
Lambrus flumē. 855
Lancianum, celeberrimum Apuliæ emporium. 352
Lanistæ. 977
Laurentius Medices sapiens. 31
Laurentius Medices copiarū præfectus. 824
Laurentius Medices aduersus Petrum Medicem coniurat. 101
Laurentij Medicis copiæ. 856
Laurentij Medicis opus. 175
Legatorum Alfonsi Aragonij ad Ludouicum Sfortiā oratio. 40.& sequent.
Legati Romani ad Carolum octauum Galliæ regem. 125
Legati in Galliam pro pace ad Atellam. 390
Leo decimus pontificatum inijt. 455
Florentiam venit. 912
Leo marmoreus, Florentinorum insigne in Arnum præcipitatur. 110
Leonis decimi fides. 823
Leonardus Blancus suspenditur. 264
Leonardus Dressanus punitur. 449
Leprus frugifer. 763
Leucopetra, promontorium. 238
Libera facta. 175. 176.& 179
Liburnum oppugnatur. 415
Liguriæ frenum. 615
Liguriæ ciuitates & oppida. 835
Ligurum nauigia à Pisanis intercepta. 315
Ligurum duæ nobiles familiæ. 32
Lillensis Gallus moritur. 309
Liquentia flumē. 586
Literæ Baiazetis ad Alexandrum pontificem Romanum. 135
Literæ ad Achomatē à Selymo intercepta. 749
Lithuania. 644
Lithuani postremò ad

Christum venerũt. 644
Liuianus. 164
capitur. 487
Liuiani ardor. 552
sententia. 561
ferocitas. 889
virtus. 446
Liuiani strategema. 587. & 603
prudentia. 611
salubre consilium. 420. 421
oratio ad milites. 552. & seq.
ingenium, laus, & mors. 892
Liuius Septimius. 596
Liuonia. 643. 644
Liuones populi. 644
Lombardia vnde dicta. 33
Longobardi vnde venerint. 643
Lotrechij officia in M. Antonium Columnam. 1129
Lubeca ciuitas celeberrima. 644
Lucas Pisanus eximia virtutis vir. 187
Lucatius dux rusticorum fugit. 630
Lucenses. 32
Lucenses pecunia mulctati. 140
Lucius Malueti⁹. 174. & 177. & 180
sauciatur. 305
Ludouicus Andegauensis. 44
Ludouicus Aurelianus Gallus. 86
Ludouicus Aurelianensis, regnum Galliæ. & Mediolanense imperium tandẽ adipiscitur. 74
Nouariam occupat. 184
Carolo in regno Galliæ succedit. 431
manu & consilio promptus. 505
belli & pacis peritissimus. 812
peruicax & crudelis. 813
vxorem ducit. 812
moritur. 812
Ludouicus Gallorum rex ad Damiatam capitur. 981
Ludouicus Sforcia dux Mediolani creatur. 115. 116
ad Castra cum vxore venit. 279
ad Baiazetem Turcam confugit. 433
in Galliam ducitur 439
in cauea ferrata moritur. 813
Ludouicus Mirandula. 314
Ludouicus Salassus. 272
Ludouicus Martianus, equitum præfectus. 181
capitur. 409
Ludouici Gallorum regis consilium. 809
cura. 497
apparatus. 460
Ludouici Sforciæ mẽs. 408
consilium de euocandis Gallis. 43
artes & mores. 35. 36
apparatus bellicus. 78
spes de Pisanis. 314
profectio ad Maximilianum. 408
supplicatio ad Venetos. 186
postulata à Florentinis. 74. 75
fuga. 438
ad legatos responsio. 41
Lumen omnium oppidum. 271. & 280
Lusitana classis quousque peruenerit. 792
Lusitani regis nauigatio. 585
dona ad Leonem decimum. 584. 585

Lyris amnis. 155
Lysia flumen. 496

M

Macra amnis. 82. & 99
Macedonica phalanx. 807
Mahometes Bosphori rex. 1099
Mahometes Caitbeij filius. 983
Mahometes Præcopitarum & Tartarorum rex. 697
Mahometes Tunetanus rex eminet inter Arabes. 22
Mahometes Othomanorum præstantissimus. 743
Mahometis studia. 785
Mahometis ad Achomatem auunculum responsio. 725
Mahometis ara in Arabia. 733
Mahometis sepulchrũ. 1066
Malatesta Baleonus acer iuuenis. 587
Malatestæ certamen. 587. 588
Malatestæ strategema ad Veronam. 594
Malcociÿ nobilitate Othomannis pares. 774
interficiuntur. 776
Maldonatus Hispanus trãsfuga. 1115
Maluetius cur Pisanos deserat. 413
Maluetij factum illustre. 409
Mamaluchi hæreditate non fiunt. 978
qui. 977
Christianæ religionis desertores. 978
Alexandriæ iubente Selymo trucidantur. 1090
Mamaluchorum disciplina. 977
dominium. 979
numerus, arma, et equi

equi. 998. 999
Mammosæ aquæ. 175
Manfredus Torniellus Nouariam tradit. 184. 185
Manicongri populi. 1070
Mantingæ populi. Ibi.
Mantuanus princeps, imperator Venetorum. 275
Venetijs exceptus. 289
Germana matre genitus. 276
ad Neapolim imperator. 354
Mantuani consilium. 277
sententia de victoria. 283
acies ad Tarrum. 204
sententia post Tarrensem pugnam. 218. 219
eius gloria maior post pugnam. 220
Copiæ ad Neapolim. 355
Maorius dux. 239
euadit. 241
Maranum oppidũ frustra Veneti tẽtant. 570. 571
Maras oppidum. 966
Marcellus & Annibal vbi pugnarint. 340
Marcus Antonius Columna. 824
sauciatur. 1128
illustris. 1129
Veronam defendit architecturæ peritus. 1113. 1114
Marcus Calaber, equitum præfectus. 908
Marcus Antonius Mõtanus. 564
Marci Antonÿ Columnæ facinus audax. 1124. 1125
& prudentia. 1126
& ars. 1128
Marcus Matthæius Romanus patritius interfectus. 130

Margaria vicus maritimus. 551
Margaritæ castra Hispanorum potiuntur. Ibidem.
Margaritæ Maximiliani filia à Carolo octauo repudiatur. 56
Margaritæ Vbi piscantur. 793
Marinus Corealis regulus. 244
Marinus Mercatellus. 114
Marsya amnis. 691. & 966
Martha Vssuncassanis filia Christiana. 660
Matharea in Aegypto. 1021
Mathematici quid Carolo octauo Gallorum regi pollicentur. 46
Matthias Coruinus Pannoniæ rex. 24
insignis. 622
Mathematicarum studia Vbi vigeãt. 645
Matthæus Granata Hispanorum præfectus interficitur. 580
Matthæus Sedunensis Cardinalis, Vir eloquens. 540
Maximilianus Cæsar inclytus. 24
Gallis infestus. 168
Brixiæ Augustus salutatus. 943
iniurijs ac contumelia affectus. 56
Pisas adnauigat. 413
in Germaniam reuertitur. 419
eius mina. 419
Adurnijs fauet. 817
Maximiliani Cæsaris fama. 407
cogitatio. 599
dissimulatio. 950
in Italiam aduentus. 413
somnium. 958
spes 408
Maximilianus Sfortiæ pauidus. 466
arcem dedidit. 902
animũ recipit. 476
in Venetos. 575
Maximiliani Sfortiæ latitia. 487
apparatus bellicus. 821
consternatio. 900
insania. 897
Medeæ & Oetis insula. 800
Medicei, hostes patriæ iudicati. 105
Mediceum nomen inuidiosum. 106
Medicea domus diripitur. 104
Medicei fugiunt. Ibid.
Medicea bibliotheca. 106
Mediceis ædibus nullum priuatũ ædificiũ elegantius. 105
Mediceorum bona quæ veniere. 105
Mediceorum bona publicantur. 105
Mediolanũ totius Italiæ arx. 73
Gallo deditur & Genua. 438
Mediolani imperium quo pacto à Vicecomitibus ad Sfortianos delatum. 467
Mediolanenses se dedunt. 888
Mediolanensium multa à Gallo. 888
Medorum regna. 794
Melas amnis. 962
Melchior Triuisanus. 397
præfectus copiarũ. 187
Melchioris Triuisani ad Franciscũ Gonzagã responsio. 208
Meleagri Foroliuiensis à Gallis defectio. 387
Memphis contra Turcas munitur. 1034. & sequen.
Memphis descriptio. 1036. & seq.

Memphis à Selymo incenditur. 1045
Mengrellij populi stolidi, temulenti, & latrones. 800.
Mœotis palus, hodie Zabacca. 794
Merculianus audax centurio. 254.255
Mercurius et Bosigia Epirotæ. 355
Mercurius excusionibus felix. 1134
Mesopotamiæ descriptio. 794
Mestrium oppidũ occupatur, & incenditur. 551
Meton ciuitas à Turca capta. 439.440
Metonẽses & eorum episcopũ Turcæ trucidant. 440
Michalogli nobiles. 802.803
Militia promeritis. 145
Militiæ finis. 161
Militum querimonia. 608.609
Militum scommata. 916.917
Mincius fluuius. 935. 936
Mingaresius Tartarus. 641.642
Mompenserius & Salernitanus. 254
Mõpenserij fuga. 342
Monpenserij interitus. 392
Monopolis Vrbs à Venetis oppugnatur. 235
Monopolis à Venetis capitur, diripitur. 236.237
Monoceros. 1085
Mons Cenisius. 833
Mons Genebræ. 834
Mons Cremeres. 831
Mons Caleneus. 966
Mons Vesulus Eridani pater. 834
Mons Iouis. 833
Mons idem Amanus & Taurus appellatus diuersis in locis 992
Mons sancti Ioannis oppidum direptum, atque incensum. 151.152
Mons Aualtius. 827
Mons Pedeporcius. 838
Mons Fortinus, oppidum. 138
Mons terræmotu corruit. 569
Motes Lunæ, Vbi Nili fontes. 1086
Montanus & Epirotæ. 181.182
Montecarlus. 177
Montecuculus. 177
Monterisius, Piscarij frater. 265
Motiroseus atq; Crafordius Scoti pugnãdo cadunt. 525
Montopolis oppidum. 183
Moratchamus Aluãtis frater. 670 in Arabiam fugit. 674
Mordanum castellum expugnatum. 114
Moræamnis. 474. & 479
Morea, Peloponnesus hodie. 803
Moroni legati postulata. 456
Mortaria genus tormenti. 264.265
Moscouia regio quid ferat. 640
Moscouiæ descriptio. 639.640
Moscouiã Paulus Iouius descripsit. 647
Mosca Vrbs regia. 640
Moscus amnis. Ibid.
Moscouitæ, gens fera. 642
Moschi, Scytharum finitimi. 24
Moschouitæ equites. 646
Moschij montes. 762
Moscouitarum & Roxolanorum ritus. 646.647

Moscouitarum arrogantia. 651
Moscouitarum copiæ. Ibidem.
Mozambicum. 1080
Muleassis rex Tunetanus. 1071. & tomo. 3. pag. 450
Munera inter regem Carolum, & Mantuanum. 288. 289
Munitiones à Petro Medice Carolo regi traditæ. 101
Munitionis ridicula ratio. 84
Mustaphas Bellerbechus Hungarus. 1001
Mustaphas Bassa Græco sacerdote genitus. 708
Mustaphas Pannonius Baiazetis gener. 1058
Mustaphas proditus. 744
interficitur, & insepultus proijcitur nudus. 745
Mustaphæ Virtus. 1028
Mustaphæ oratio ad Baiazetem. 729
Mutpharachæ Virtute admirabili præstantes. 805
Mutpharacharum libertas. 805. 806

N

NArcissus Etruscus mirabilium operum machinator. 269
Natison fluuius. 589
Naturæ humanæ Vicissitudo. 18
Nauarrus dux factus. 448
qua gesserit in Africa. Ibidem.
Naufragium classis apud Liburū. 418
Nauis Gallica, Chordigera dicta. 495
Nauis Gallica, cognomento Normana, inuitis Venetis in portum se intulit. 418
Nauiebabe. 1088
Naupactum amittūt Veneti. 434
Neapolitani quibus de causis Gallos fugidiant. 233
Nicolaus Annonius Dalmata. 191. & 284
Nicolaus Scotus capite truncatur. 612
Nicolaus Martianus interficitur. 412
Nicolaus Vrsinus Petilianus. 78
cautus & minimè pugnax. 95
Helvetios Italis præfert. 95
Niger amnis, hodie Gambra. 1070
Nilus amnis. 1032
amniū pater. 1089
Nili fontes. 1084
Nili incrementū quid portendat. 1091
Noctes coniunctæ. 25
Nodrosium promontorium. 642
Nogardia Vrbs totius Aquilonis emporiū. Ibidem.
Norbanum oppidum solo æquatur. 514
Noruegia. 25. & 642
Nouaria deditur Francisco Gallorum regi. 850
Nouariæ mœnia quassantur. 468
Nouariæ obsidio grauis. pag. 271. & sque ad paginam 287
Noruegiæ Isthmo. 644
Nysitha insula. 253

O

OBertus Rossetus arcis Caietanæ præfectus. 397
Obignini oratio Romæ habita. 63
Obignini consilium de incūda pugna. 245
Obsidio Cremensis cur neglecta. 528

Occa flumen. 799
Ocellum oppidum. 833
Octauianus Fregosius. 491
Genua recipitur. 493
Octauianus Fregosius Gallorum sequitur partes. 816
Octauiani Fregosij oratio ad Senatū. 820
Octodurum Veragrorum. 832
Odera flumen. 24
Odettus Lotrechius. 960. & 1102
Odoardus Britannicæ classis præfectus moritur. 494
Oglanij. 805
Ogoniæ flumen. 832
Ollium amnis. 187. & 944
Olyga mons. 689
Opicinus Catia Nouariam tradit. 184. 185
Oppida ab Aragonijs occupata. 365
Oppitergini montes. 586
Orbitum Vrbs. 172
Orcada. 642
Orcomas Memphiticus prætor. 1013
Orinianum castellum captum. 579
Orons amnis, hodie Farfar. 986
Orpha Vrbs, quæ & Edessa, Balduino celebris. 965
Osophum oppidum. 586
Otho Sacramori frater seruatur. 564
Othomannorū robur. 803
Othomannorum domus clarissima. 694
Othomannici imperij natura. 801
Oxus amnis. 796. & 799

PActa inter Florētinos, & Carolum octauum Gallorum regem. 113
Palæa deditur Florētinis. 291. 292
Palus ex Nili fontibus facta. 1086
Palindromū promontorium. 1067
Pancratius Georgianorum rex. 800
Pandonius Camillus legatus ad Baiazetem. 69
Pandonius improspere pugnat, ac interficitur. 237
Pandonij Camilli legationis summa ad Turcam. 69
Pandoniæ legationis summa ad Carolū octauum. 65
Pandulfus Petrucius, 31
Parthemius amnis. 749
Parthorū regna. 794
Patauium a Venetis munitum. 543
Patauina oppugnatio frustra tentatur. 449. & 545
Patauini agri euersio. 549. 550
Patauini patritij suspenduntur. 449.
Paulus Baleonus a Venetis ad Pontificē se contulit. 569
Paulus Vitellius Florentinorū dux Venetos duces fudit. 432. & 436
in Pisano prælio. 305
à Florentinis capitur, et plectitur capite. 437
Paulus Fregosius Cardinalis, Genua pulsus. 80
Paulus Vrsinus. 99
Paulus Māfronius. 318
Paulus Capellius legatus. 354

Paulus Paranius. 305
Pauli Vrsini & Vitelli prælium & salus. 384
Pauli Vitelli strategema. 231
Pausilypus mõs. 153
Pax cum Sfortia & Carolo rege. 287
inter Pontificẽ & Vrsinos. 428
nõ duratura inter Gallum & Põtificem. 131
Pacis cõditiones inter Gallos & Aragonios. 389
Pacis conditiones ad Diuionum facta. 534.535
Pecoris miserabilis strages. 366.367
Pecoris minoris abacti sexcẽta millia. 366
Pecoris maioris abducti ducenta millia. 367
Perditi Heluetiorum iuuenes. 869
Perditorum iuuenum Heluetiorum facinus. 869
Periardes mõs. 762
Perpẽnianum Hispanis redditum. 59
Persius. 248
delendi hostis occasionẽ amittit. 326
à Neapoli discedit. 339.340
Persiui adhortatio ad milites. 388
Persiui oratio ad Ferdinandũ regẽ. 389
Persici militis tria genera. 789
Persarũ gerendi belli ratio. 786
Persarũ arma. 786
Perusini equitis factum. 383
Pestum Hungariæ ciuitas. 626
Pestilentia Constantinopoli. 695
Petilianus Vulnoratus. 282
captus. 118
à Venetis præfectus. 275
Petiliani opportuna fuga. 213
Petrus Medices. 31. & 81
ad Carolum regem venit. 100
Petrus Borbonius. 55
Petrꝰ Nauarrus. 827
Petrus Aluares Lusitanus. 1076
Petrus Paceus Hispanus. 248
Petrus Dodus Venetus. 204
Petrus Caponius legatus Florẽtinus traĩcitur. 412
Petrus Bẽbus trierarchus occiditur. 236
Petrus Lõgenas Brixianus. 905
Petrus Aretinus architectus. 646
Petrus Abyssinus Preteiãnis aulicꝰ. 1077
Petrus Lõbardus magister sententiarũ
Vnde oriundus. 271
Petracrosia iuga. 226
Petrasancta Lucensibus tradita. 312
Petri Medicis responsum ad regem Galliæ. 62
mores & negligentia. 102
electio. 103.104
Petri Caponij factum audax. 113
Petri Hetruscí inuẽtiõ mirabile. 615.616
Piccifalconium Neapoli. 162
Picus Mirandula, Phœnix cognomento. 112
Pici Mirandulæ funus. 112
Pienes præfectus Gallorum. 302
Pigmæi 25.
Phasis amnis. 800.
Philippus Austria. 23
Hispaniã dotale regnum adijt. 445
moritur. 445.446

Philippus Allobrogum princeps. 33
Philippus Bressius dux in Ligures. 111. & 188. 189
Philippus Dechordes. 71
Philippus Argētonus, historicus Gallus. 55. & 60
Piscarius iugulatur perfidia Aethiopis. 266
Piscarius industria Neapoli enituit. 258. & seq.
Piscarij infamia. 460
Pisaurius sāctæ Maurę oppidum expugnat. 441
Pisæ à Carolo liberæ factæ. 110
Pisis scutum liliatum confringitur. 415.
Pisani oppida recipiunt. 180
Lucio Maluetio gratias agunt. 307
capti. 306
sub Florētinorū imperio manserē octoginta septē annis. 108
Pisanorum potentia. 107
legatio ad principes. 313. 314
animi franguntur. 295
muliebre mundum Lucēsibus oppignoratum. 313
egestas. 313
damna resarcita. 411
superbia, eos præcipites dedit. 107
Pocifera Gallis. 226
Polonia, Sarmatia olim. 644
Polonorum copia. 651
Polonorum præda ex Moscouitis. 637
Pomerani populi. 644
Pontesaccum oppidum 181
oppugnatur. 290
& deditur. 291
Pontremulum oppidū. 99
comburitur. 190
Pontremolenses fugiunt. 190
Pontificis Romani ditio. 29
capitanei. 853. 854
diplomata pro bello Turcico. 626
oratores ad Carolū regem. 131
Pōtifices Romanis infesti. 30
Pontifices cur discordias inter Romanos aluerint. 30
Pōtificum terror. 123. 124
Pontificiam aulā qui sequantur. 172
Pontificij ab Vrsinis fugantur. 425. & sequentibus.
Populi Romanorum literis incogniti. 17
Portus Veneris oppidum. 81
Portus Veneris oppugnatio. 83. 84
Portus Erycis. 82
Portus Herculis, hodie Tropea. 244
Portus celebres in Media. 794. 795
Portus nouus à Liuia no capitur. 588
Portorium pecoris in Apulia. 356. & 358
Portentæ Scoticæ pugna. 517
Praxium promontorium. 1071
Præfectura Turcica, & præfecti. 803
Præfecti Galli in regno Neapolitano. 171
Pralium atrox. 526
Genuæ inter Fregosios et Adurnios. 462. 463
ad Pisanas portas. 303. 304
inter Pisanos & Florētinos. 175. 176

rusticorum in Pannonia. 635
ad Fogiã cum Ferdinando. 363
ad Olygam montem. 691
inter Venetos & Sforttianos ad Bergomum. 577.578
ad Citadellam. 592.593
ad Brixiam. 932. 933
ad Mincium. 935. 936
ad Salernum. 325
ad sanctũ Seueri oppidum. 358
ad Elatum amnẽ. 751
ad Rhodaniã. 1021 & sequentibus.
inter Siccum & Manfronum. 319
in Vrbe Neapoli atrox commissum. 258. & seq.
Rhauennate. 452
inter Baiazetem & Selymum. 714 & sequentibus.
Hismaelis & Selymi. 771. & sequentibus.
inter Selymum & Campsonem. 999 & sequentibus.
Moscouitarum & Polonorum ad Boryslhenem. 650. & sequentibus.
Prælia casu ferè conseri. 83
Præsidium ex Nouaria eductum. 288
Pretoriani milites ad Baiazetem. 701
Praianes Gallus præfectus. 493
Preteiannes. 1068
Preteiannis imperia. 1072
Prosper Columna pro Aragonijs. 267
Sforttianorum imperator. 584
cunctator, eiusque consilium. 547
à Gallis capitur. 841
Prosper Columna & Ascanius Sforttia capti. 79
Prosperi sententia. 609
oratio. 333
liberatio. 914
Prosperi & Cardonij contentio. 559. 560
Pruteni populi. 644
Pseudocardinales. 540
Ptolemais Christianis adempta. 982
Pugna Tarrẽsis. 208. & seq.
inter Scotos et Anglos. 523. & seq.
inter Gallos et Heluetios. 870
Pugna Heluetiorum & Gallorum horarum septem, horribilis. 873
Pugna duorum dierũ & duarum noctium. 1045
Pugna ad Semenariam. 248
Pugna Vrsinorum & Columniensiũ. 431
Pugna ad Surianum. 424. & seq.
Pugna Cesennæ exorta. 118
ugna Rapallina. 787. & seq.
Pugna ad Calderanos campos. 775
Pugna inter Selymũ & Aladolũ. 967
Pugna ad Nilum. 1056
Puluis exitialis Alexandro sexto familiaris. 142. 143
Pyramides Aegyptiæ. 1041
Pyrrhus Martianus capitur. 410
Pylus olim Nestoris sedes Turcis deditur. 441
Pyrchalis Harduellus amicus. 663
Pyrrhus Bassa Vir prudens & nobilis. 973

Q

Qvies in Italia. 621

R

Rama Vrbs. 1014
Ranuccius Martianus. 177. & 304
capitur & moritur. 442
Ranuccius Farnesius. 205. & 210. & 216
Rapallum oppugnatur, & ab Adurnijs capitur. 228. 229
Rapallinus sinus. 85. & 87
Rapolana aqua. 349
Rasignanum. 178
Raynaldus Feramusca periit. 397
Raysalomonis facinus. 1068
Reges qui floruerint quinquaginta his annis. 17. & seq.
Reges tres in Oriente. 19
Regum omnium fides. 1138
Regum Galliæ ius in regnum Neapolitanum. 45
Regum oculis Vim inesse. 158
Regum mos. 345
Renatus Sabaudiæ bastardus. 461
Rentius Ceres Vir fortis. 574
Obsidionem Cremæ sustinet. 596
ad Bergomates concionatur. 607
eius diligētia Bergomū tradit. 609. 610
Rentij Ceritis strategema. 600
Rha flumen, Scythis Hedil. 797
Rhegiū à Ferdinando & Consaluo oppugnatū capitur. 235
Rheti, hodie Grisoni. 831
Rho

Rhodani fontes. 833
Rhodania in Aegypto. 1021
Rhodope mons. 695
Riccinius Asulanus Vir fortis, & vigilans. 945
Rius altum comburitur. 572
Ripacandida. 379
Ripacandidæ oppugnatio. 384
Robertus Sedanius. 826
Robertus Lenuncurtus. 137
Robinetus Framesella. 202
Roccabertinus Hispanus. 240
Rodericus Monterisius. 239
Rodulphus Hala dux Germanus. 907
Rodulphi Gonzagæ dictum forte. 206
mors. 210
corpus inuentum. 221
Romani Pontificis authoritatem opinione potius quàm armis constare. 139
compedes. 139. & 420
Romani iuuenes tres fortes. 584
Romanorum ingenium in Pontifices. 30
Rōna Tigurinus dux. 849
Rostius Tigurinus cōsul & dux. 852
Rouerstius Bononiēsis cēturio capitur. 176
Roxolani, hodie Pracopitæ. 642
Russiæ duæ. 643
Rustici in Hungaria deleti. 631
Rusticorum insolentia. 626. 627
Rusticorum Ligurum cades. 232

S

Sabatinus lacus. 125
Sacerdos Maranum

tradidit. 571
Sacramorus Vicecomes Catilinæ nomẽ adeptus. 465
insidus Sfortiæ. 466.467
Mediolanum occupat. 467.468
Sacramori perfidia nudatur. 467
Sagittarij periti. 790
Saladinus Hierosolymitanum imperiũ euertit. 980
Salẽtius Liburni præfectus. 294
Salernitanus Aragonijs infensus. 344
Salernitani oratio ad Mompenserium. 342
Salernitani principis defectio & mors. 396.397
Salsa, siue Salsida expugnata à Gallis. 58.59.& 404
Samandria Thraciæ propugnaculũ. 971
Samarcanda metropolis nota Q. Curtio. Tamerlane nobilis. 797
Sancta Agatha oppidum Ferdinando deditur. 244
Sandara Vrbs maritima. 796
Sangarium flumen. 681.& 688
Sanzachi. 804
Sapha Vrbs, antiquitus Susa. 673
Sapis amnis. 94
Sarmatæ olim cur Poloni. 644
bellicosi. 645
quot prælia confecerint. 645
Sarmatarum arma, Vestitus, & lingua. 646
Sarnũ oppidum. 328
Sarnus amnis. 328
Sarraco rex Aegypti. 980
Sautus flumen. 626
Saxouareglis. 969.& 992
Scaramucia Vicecomes. 225
Sceua oppidum. 835
Sceua regnum, & mores, et religio. 1073. 1074
Sceuani mulieres circuncidunt. 1075
Sceuanis quis Euangelium prædicarit. 1075
Scotiæ breuis descriptio. 510.511
Scoti quales sunt corpore. 511
Scoti regis querela. 508.509
ad Surreium responsio. 516
Scotorum mores. 511. 512. arma. 511
Victoria Humeo duce in Anglos. 513
strages. 527
illustrium cædes. 527.528
Scoticæ nobilitatis internicio. 528
Scoticarũ copiarũ dispositio. 524
Scutariũ oppidũ, Chalcedon olim. 719 & tom. 3. pag. 839
Scyras Vrbs celeberrima. 669. Cyropolis antiquitus dicta. 792. regia in Persi de. 792
Scythæ. 641
Sebastia, hodie Suias. 755
Sebetus amnis. 252
Sedanij Virtus & pietas. 484
Seditio militaris inter Italos & Germanos. 275
Seditio Neapoli pro Aragonijs orta. 255.256
Seditio in Venetis cæstris inter Italos & Hispanos. 1133
Seditio militũ Brixiæ in imperatorẽ. 928
Sedunẽsis Cardinalis, Gallorũ hostis acerrimus. 457. et 952

oratio. 848
adhortatio ad duces pontificios. 853
ciũ Heluetijs in Italiã descensus. 822
in Gallos odium, et eloquentia. 822
discessus ab Italia. 886
Segesta Tiguliorum. 85. & 230
Selandia. 643
Selymus crudelissimus. 742. 743
ad Hadrianopolim consedit. 704
ad patrem nuntiũ mittit. 705
Constantinopolim tendit. 706. Byzantium venit. 736
deligitur astu renitẽs imperator. 737
regnũ occupat. 739
imperator salutatur. 739. & tom. 3. pag. 843
nepotes quinq; pueros necat. 742
Corchutum fratrẽ ludificatur. 737
fratribus necatis & insepultis, equũ sepulchro tradidit. 717
Hierapolim capit. 1003
Damascũ & totã Syriã capit. 1005. 1006
Memphi potitur. 1047
Hierosolymam venit. 1017. & tom. 3. pag. 858
Alexandriam adnauigat. 1090
pacem cum Venetis facit. 742. & tom. 3. pag. 847
Selymus alter Alexander. 975
Selymi descriptio. 782 & tom. 3. pa. 865. 866
& studia. 783
donatiuum & liberalitas. 741
astus. 749
artes ad imperium occupandum. 697. & tom. 3. pa. 842
crudelitas enumerata. 1097. 1098
pollicitationes ad Armenos. 761
præ cæteris præstantia. 809
equus. 717
responsio ad Baiazetem patrẽ. 699
ira. 1054
egregiũ cõsiliũ. 989
ad milites oratio. 1042
copiæ dispositæ. 768
Copiæ à patre fugãtur. 716. 717
Victoris legati ad Tomumbeũ. 1052
trucidantur. 1053
legati ad Campsonem. 974
acies in Campsonem. 1000
ad Hysmaëlem responsio. 767
oratio ad prætorianos. 990
in Christianos expeditio. 971
Slymus cur Iunobassa infensus. 1093. 1094. & tom. 3. pag. 866
Semenaria Ferdinandũ recipit. 244
Senenses. 62
Sercius amnis. 175
Sergianũ oppidũ. 99
Serra Hispanus. 93
Sesithes amnis. 282. & 833
Sfrondatus senator eruditus. 7
Sfortia Nouariam recipit. 438
Sfortiæ legati de pace ad Gallorũ regem. 286
Sfortiani à Venetis fugantur. 601
Sfortianorum suspicio de Venetis. 283. 284
Siccus dux. 176

Sigismundi regis in Moschos expeditio. 648
Siliphtari. 805
Simon Orlandius Pisanus. 108
Simonis Orlandij oratio prætermissa. 109
Singa amnis. 988. & tom. 3. pag. 855
Smolenchum oppidum oppugnatum & captū à Moscouitis. 647
Socinus Benzonus Cremensis. 205
Sociorum infidæ mentes. 857
Soles perpetui. 25
Solymanus, Selymi filius. 784
Sophus apud Persas. 665. 666
Sophiani imperij fines. 796
Spachi. 803
Spaha Vrbs regia Medorum. 796
Species horrenda. 897
Spedia oppidum piscosum, amabili vino nobile. 82
Spurius Herō Vir insignis. 524
Stabulum regiū Neapoli direptum. 157
Stephanus Tabernius. 74
Stephanus Petitius. 60
Stephanus Belcarius. 54
Stuardæ familiæ futum. 528
Subasi. 804
Subsidia Gallis missa Genuam. 612
Subserui. 806
Suburbia Mediolani à Borbonio incenduntur. 947
Succarus dux ferox. 594
Suetia. 642
Suetia Romanis scriptoribus quondam ignota. 25
Suezzia portus. 1052 olim olim Arsinoes. 1065
Sulthanus hæreditate non creatur. 978
Sulthaniæ quæ Tigra nocerta Vrbs. 673
Sulthania ex Tigranocertæ ruinis ædificata. 791
Sumachis, olim Gamala. 795
Surreius Britannia præfectus. 515
ad milites concionatur. 520
Surrei expostulatio ad Scotorum regem. 516
dispositio copiarū. 521
Sutrium. 125
Sybeius schœnobates strenuus. 1009
Syene Vrbs, obeliscis clara, hodie Guaghera. 1089
Sylaris amnis. 321
Sylua Barmorea. 518
Syluester Pogius, Pisanorum legatus. 296
Syluius Sabellus. 469. & 485. & 576
Symon amnis. 1058
Synambassa eunuchus. 768
equitum præfectus. 966
Synambassæ patria. 1022
studium. 1008. 1009

T

TAllacotium oppidum. 138
Tamerlanes Tartarus. 641
clades & terror Orientis. 965
Tamerlanis Scythæ arma. 18
Tamis amnis. 698
Tangaribardinus Hispanus Mamaluchus factus. 978

Taroanna Britannis deditur, & igni traditur. 496. & 505
Tartari. 977
Tartarorũ duces. 800
religio. 641
mores & bella. 797. 798
Tarrus amnis. 191. & 193
Tarrensi pugna quot millia, qui principes viri ex Italis, qui verò ex Gallis perierint. 215. & seq.
Tascia vrbs. 675
Taurisium Armeniæ vrbs. 667
antiquitus Terna. 776
Thecelles propheta nouus Harduellis discipulus. 659
vbi egerit. 663. 664
adoratur. 664
Cuselbas Turcarũ fines inuadit. 675
Techellis consilium. 687. & 689. 690
religio rubris pilis insignita. 675
oratio ad milites. 682
Iconiũ occupat. 681
à Turcis fugit. 693
Temesuar oppidum à Georgio oppugnatum. 632
Templum filiæ Pharaonis. 1040
Tergestum à Venetis captum. 446
Terræmotus terribilis. 695
Theodosia Genuensiũ colonia. 642
Theodorus Triuultius. 247. & 1102
Thomas Hauardus, Surrei filius. 518
Thomas Cardinalis Strigoniensis. 623
Thorius portus. 1065
Thule insula. 642
Ticini inflatio & rapacitas. 897
Timarriotæ, & Timarrum. 803
Tinninum oppidum à Turcis oppugnatũ. 625
Tomumbeius Sulthanus. 984. & 1007
bellũ reparat. 1050
pugnat. 1028. 1029
à Memphi fugit. 1047
captur. 1059
suspenditur. 1060
Tomũbeij memorabile exemplũ. 1061
Tomumbeij consilium. 1032. 1033
Tomumbeij labores. 1023
Tomumbeij castra & proditio. 1022
Torsanũ Heluetiorum oppidum. 832
Tormẽta per Apenninũ traducta. 190
Tormenta septem sorores capta. 527
Tornacum Neruiorũ ciuitas oppugnatur. 529
Tornacenses deditionẽ faciunt. 530
Traianus Papacauda. 347
Tramulius vir fortis ac clarus. 203. & 538
Tramulij prudentia. 535
Transyluaniæ armentorum & auri ferax. 634
Transyluaniæ descriptio. Ibidem
Trauaconia fossa. 600
Trebia amnis. 458
Treboniani expugnatio. 421
Trepidatio Mediolani. 951
Tribalii populi. 623
Tripolis Christianis adempta. 982
Tripolis emporiũ. 988
Tristanus Cunius in India clarus. 585
Triuultius Venetorũ

imperator. 893
Triuultij ad Gallum defectio. 155
sententia. 473. 474
Petiliani cõtraria. 95
sententia & oratio ad Tarrum. 195
responsio ad Heluetios. 471
adhortatio. 953
æstimatio apud Carolum. 190
deles opportunius. 955
Triuultio Vnde opes. 191.
Troglodytæ. 1070. & 1080
Tuedus flumen. 510
Tumultus Neapolitanus. 153
Tumultus Genuæ ortus. 92
Turbæ Romæ exortæ ac sedatæ. 130
Turcæ fides memores. 448
Turcæ Vxores quibus studeãt rebus. 784
Turcarum militum lusus. 807
arma. 787
exercitus in Techelem. 688
copiæ dispositæ. 1026
terror et fugæ. 164
Turcis dies festus quis. 783
Turcici iudicij mos. 808. 869.
Turris Octogonia. 416.
Tuscanellensium calamitas. 172
Tybiscus amnis. 631
Tygris amnis. 793
Tylus fluuius. 515. & 518
Typographia Vnde nobis aduecta. 728

V

VAianna dedita. 410
Valachi, antiquitus Mysi. 977
Valastichinus Cantacuzenus. 1109
Valdũ oppidũ frustra oppugnatum. 348
Valentini Cardinalis fuga. 142
Valli descriptio. 487
Valesij & Seduni. 832
Vallis Barcellonia. 837
Vallis Argẽtaria. 838
Vallis Asturia. Ibidẽ
Vallata oppidũ vi expugnatum. 365
Valterius senator eruditus. 7
Varadinũ Vrbs. 628
Varesium. 851
Varanij extinctio. 443
Varna Vrbs, quæ & Dionysiopolis. 698. & tom. 3. 814
Varnæ portus. 698
Varro flumen. 835
Vayuoda milites exhortatur. 635
Vbertus Gambara Brixianus. 929
Venantius capitur. 326
Venetiæ beata & munita. 25
Veneta res afflicta. 572
Venetijs furta in incendijs. 573
Veneti senatus seuerum iudicium. 434
responsio ad Sophum Hismaelem. 678.
Veneti. 25
cupidi. 447
Pisis potiuntur. 419
Vevonam tentant. 490
Cremonæ recepti, sponte abeunt. 489
Rodigium capiunt. 604
ad Osophum victores. 589
bellum cõtra Carolum regem decernunt. 187
à Gallis profligati. 447
exuuntur. 447

Venetorum animus. 408
ingenium. 26
imperium, & potētia terribilis prima autharitatis in Italia. 25.26
perplexa responsio. 285
ad Carolum responsio. 194.195.
responsum Carolo octauo. 61
fœdus cum Gallis. 460.461
petitio à Francisco rege. 893
Venetorum & Sfortiæ responsio ad Pisanos, 301
Venetorum auxilia Pisanis missa. 315. & 408. & 412
Venetorum & Ludouici dissensio extialis. 413. & 417
Venetorum odium in Sfortiam. 432
Venetorum bellum in Ferrarienses. 449
Venetorū clades. 1135.
Venetorū strages quæ ta. 566.567
Venetorum calamitas. 551
Venetis quæ ciuitates in Apulia tradantur. 354
Veneta respublica perculsa. 567
Venetæ nobilitatis studia. 26
Venetus senatus impugnaces liberalit. 222
Venetus scriba ad Pisanos. 307
Venetum incendium ad Riuum altum Vnde. 572
Venetū bellum. 446. & 555. & seq.
Venetum prælium duce Liuiano. 561. seq.
Veneti belli exitus. 1135
Vennsina Via. 379. & 385
Vercelle. 847
Vercellensis ager & status. 278
Verona obsidione leuatur. 1131
Venetis traditur. 1134
Veronam clari milites defendūt. 1109
Veronēsis oppugnatio. 1113. & 1118
Veronensibus subsidia missa. 1129
Verrucula. 181
Verruculæ expugnatio frustra tentata. 317.318
Vesir apud Turcas quid. 808
Vestimenta, calcei, arma & honores Ianizarorum apud Turcas. 807.808
Vertius Claronensis mendax damnatur, & in frusta secatur. 486
Veteres Emporiæ. 58
Vgo Amboisius militiæ peritus. 189
Vgo Cardonius. 247
Vicētina turris Neapoli. 163
Vicoiriēses direpti ab Hispanis. 459.460
Vicopisanum. 180
Vicopisani descriptio et oppugnatio. 292
Victoria Columna trimanupsit. 263
Villamarinus classis præfectus. 244.
Vilna Lithuaniæ caput. 644
Virginius Vrsinus Neapoli captus. 394. Gallis addictus. 348. in carcere moritur. 428
Virginij Vrsini laus. 429
copiæ & capitanei. 352
sanum consilium. 375. filij. 342
Vistula amnis. 643. 644. 645

Vitis amnis, hodie Aquaduſſa. 452
Vitellij cõtra mõtanos Lugures. 230.231
Vitellij Romano Pontifici inferſi, Vrſinorum ſocij. 423
Vitelliorum militia. 423.424
Vitoldus dux Lithuaniæ primus Chriſtianus. 644
Vladiſlaus Pannoniæ rex. 622
Bohemorũ & Hungariæ. 24
Vladiſlai ſtultum cõſilium. 624
Vluphagi. 805
Vnsones vbi piſcãtur 793.
Volga amnis. 540
Vrſatus Priulus patricius Venetus capite mulctatur. 926
Vrſini ab Alexandro ſpoliantur. 304
Vrſinorũ & Põtificis præliũ. 425. et ſeq.
Vſſumcaſſanes Armeniæ regnum occupat. 662.
Vſtaoglues dux clariſſimus Amurathẽ ſequitur. 755
interficitur. 771
Vulturnꝰ amnis. 153

X

Xiſtus pontifex Romanus cũ obierit. 34

Z

Zachariæ Fregoſij interitus. 463
Zagataius Cacebat Sophianis hoſtis. 706
Zagatai qui populi. Ibidem. & tomo 2. pag. 718
Zagrus mons. 674
Zaninus Sampetrius. 291
Zapes populi. 1170

Finis indicis primi tomi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

